BIBLIOTECA NAZ.LE
XXVI*
B
49
NAPOLI

102
a
129

112 · 1 · 68

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA HISTORIAE PHILOSOPHICAE LITERARIAE CRITICAE

OLIM
SPARSIM EDITA
NVNC
VNO FASCE COLLECTA
MVLTISQVE ACCESSIONIBVS
AVCTA ET EMENDATA
A

IACOBO BRVCKERO
ACADEMIAE SCIENTIARVM
BEROLINENSIS ET BONONIENSIS
MEMBRO

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI
B. R. NAPOLIS

AVGVSTAE VINDELICORVM,
TYPIS ET IMPENSIS HAEREDVM IOANNIS IACOBI
LOTTERI ANNO MDCCXLVIII

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO

GERLACO ADOLPHO

LIB. BAR.

DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE STRAVSFVRTI
RELIQVA
AVGVSTISSIMI ATQVE
POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE

REGIS ELECTORIS
BRVNSVICO LVNEBVRGENSIS
ETR. ETR.
MINISTROSTATVS ATQVE
CONSILIARIO INTIMO
SVMMO DVCATVS CELLENSIS PRAEFECTO
ACADEMIAE GOETTINGENSIS
CVRATORI
S. P. D.

IACOBVS BRVCKERVS

Digitized by Google

Digitized by Google

Si id mihi in præſentia agendum eſſet, ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE, ut vel ſapientiæ Tuæ, uſu rerum maximarum & incredibili adminiſtrandæ reipublicæ prudentia fultæ, laudes decantarem, vel enarrarem, quanta quotque merita ſint Tua in civitatem univerſam, cui Te præeſſe juſſit auguſtum Britannici regni Numen; vel cum Helicone Goettingenſi deprædicarem, quo

Digitized by Google

favore, qua contentione, quibus auxiliis rempublicam literariam adjuves, merearisque verus iſtius Muſarum ſedis Apollo dici: non una, fateor, me ab hac devotiſſima compellatione abſterreret ratio. Namque nec infacundi calami exilitas eas mihi vires ſuppeditat, quæ ad debitas excellentiſſimæ virtutis Tuæ laudes queant aſſurgere, & is ego ſum, cui longe de via illis decedendum eſt, qui certatim in deprædicando Mæcenate ſuo ſunt verſati, meritiſſimisque encomiis orbem omnem civitatemque eruditam repleverunt. Omni autem laude ſuperior eſt auguſtiſſimi Regis de Te opinio, quamque in Te ponit fiducia, qua Te rerum maximarum in ditionibus Germanicis adminiſtrum ſibi purpuratumque eſſe amicum voluit. Itaque ad hunc lucis ſplendorem afferre velle claritatis aliquid, imprudentiam proderet, quamvis ex ſumma animi devotione profectam. Verum alia mihi compellatio-

nis

nis hujus cauſſa diverſaque ratio eſt. Tu enim, ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE, me hominem Tibi ignotum, & a veſtro, cui regio nomine curator praees, Helicone longe remotum, amiciſſimorum vero virorum, quos eruditionis claritas & meritorum de nova academia gloria Tibi charos fecit, benevola commendatione ad limina Tua adductum, ea, quam hactenus civibus præſtitiſti, gratia atque inſigni benevolentia es complexus, quam ſperare quidem auſus non fueram. Cujus exoptatiſſimum ſpecimen extare voluiſti, cum hiſtoriæ criticæ philoſophiæ opus, auguſtiſſimo orbis Britannici Monarchæ inſcriptum, ad thronum ejus adduceres, efficeresque, ut ſolita tanti regis & ſcientiarum ſtatoris clementia conatus illi de haud ignobili eruditionis parte bene merendi reſpicerentur. Quod cum mihi humaniſſimis indiciis ſignificares, ineffabilis animum meum occupavit læ-

titia, quòd licuerit mihi iſtum ſolem adorare, qui clementiae ſuæ radiis totum orbem eruditum hactenus replevit, illuſtrabitque etiam in poſterum: feliciſſimos autem reputavi terrarum Brunſvicenſium cives, qui ſceptro parent Britannico, quod Mæcenatem illum acceperint, qui regi ſuo animo in literas ſimillimus, id ſibi curæ maxime habet, ut regiam voluntatem erga literarum cultores lætiſſimis argumentis & jucundiſſimis teſtimoniis demonſtret explicetque. Itaque cum hac quidem ratione immerentem me gratioſum eſſe volueris, quis hoc, quod præſtare hac compellatione audeo, officii atque obſervantiæ genus improbaverit? quis non ſperaverit, acceſſurum ad iſtam gratiam Tuam hoc etiam complementum, ut gratiſſimi atque devotiſſimi animi teſtem, hunc libellum, illuſtriſſimo atque excellentiſſimo nomini Tuo inſcriptum, ea benevo-

lentia

lentia accipias, qua dudum memoriam Tui immortalitati conſecraſti? Qua ſi me felicitate beari ſentiam, habebo certe, de quo cum civibus & indigenis certare, communique literarum ex Te beatitate frui valeam. Faxit Numen, quod ſaluti electoratus Luneburgenſis, quin totius Germaniæ, Te præſidium largitum eſt exoptatiſſimum, ut hoc porro ſidere per innumerorum annorum decurſus illuſtretur, quicquid de literis bene mereri, & reipublicæ ſaluti inſervire contendit, maxime celebratiſſima Muſarum ſedes, GEORGIA AVGVSTA *hoc columine fulta æternam, quam urgere cœpit, gloriam indies augeat; cumuletur autem in ſanctiſſimum caput Tuum, omnemque, quæ literis ſolatio data eſt, illuſtriſſimam gentem Tuam, quicquid felicitatis & tranquillitatis capere poteſt mortalium conditio. Ita diu, ſpero, gratia quoque Tua frui,*

quod obſervantiſſimis precibus flagito, licebit

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO

Scrib. Aug. Vindel. Cal. Maj. A. S. R. cIↃIↃccXLVIII.

devotiſſimo
Iacobo Bruckero.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quæ hoc faſce collecta Tibi legenda damus, Lector benevole, opuſcula noſtra minora, ex parte dudum ſcripta, quædam etiam juvenilibus annis vulgata, pleraque autem precibus amicorum accepta referenda ſunt, qui diverſis collectionibus menſtruis ornandis a nobis ea poſtulaverant. Quibus cum denegare quicquam nobis religio eſſet, ejusmodi plerumque argumentum elegimus, quod brevi tractatione poſſet abſolvi, nondum autem ita ab aliis eſſet traditum, ut non aliquid novi, quod lectione dignum videri queat, exhiberet. Quod pro temporis & ſtudiorum noſtrorum ea ætate conditione ita peregimus, ut non nullam quidem diligentiam adhiberemus, quæ tamen humanarum rerum conditio eſt, ſuccreſceret nobis ætate, lectione & uſu rerum auctis, in haud paucis ſerenius lumen & amplior cognitio. Id quod

omnem

omnem nobis dudum ſpem everterat, ea uno volumine collecta edendi, qui non ita ſuffeni nobis ſumus, ut noſtra ſemper & ubique nobis placeant. Quoniam tamen in deſcribenda hiſtoria critica philoſophiæ ad ea multoties provocandum erat, ubi ejusmodi ſingularia argumenta ex inſtituto tractari non poterant, petierunt multoties a nobis viri docti, quorum judicium maximi facimus, quique ægre ferebant, ablegari lectorem ad magnæ molis ſumtuumque collectiones ſcriptorum miſcellaneorum, quibus illæ diſſertatiunculæ inſertæ ſunt, quæque non omnium uſui patere ſolent, ut, quæ brevibus obſervationibus olim tractaveramus, uno faſciculo collecta recuſa daremus, adderemus autem, quæ tempore & lectione, itemque judicio maturiore, docti emendanda putaremus. Quod rejicere quidem totum non potuimus, aliis tamen occupati diu diſtulimus, donec bibliopola quædam a nobis poſcente, quibus res literaria juvaretur, tantum temporis laboribus aliis, & innumeris, quibus diſtrahimur, impedimentis ſuffurari licuit, quantum ad hæc relegenda, examinanda, emendanda atque refingenda, & ad ultimas ſcriptiones noſtras, quibus maturior judicii opera & copioſior lectio adhibita eſt, componenda requirebatur. Itaque ea jam mutata in haud paucis, atque interdum inſigniter aucta, Tibi, Lector humaniſſime, exhibemus, eandem nobis benevolentiam, humanitatem atque patientiam exorantes, qua illæ nondum emendatæ, & ob juvenilem nonnullæ imperfectionem legi vix dignæ a viris præſtantiſſimis exceptæ, quædam etiam, quod ſperare non poteramus, commendatæ ſunt. Diviſimus

mus autem illas pro argumenti diverſitate in tres partes claſſesve, quarum prima hiſtorico-philoſophicas, ſecunda hiſtorico-literarias, tertia philologico-criticas complectitur. Et in prima quidem, non negamus, haud pauca nobis occurriſſe, quæ tota refingere curæ nobis poſteriores ſuadebant. Aſt cum in prolixo hiſtoriæ criticæ philoſophiæ opere cuncta maturiori diſcuſſione expenderimus, contenti fuimus, loca indicare, quibus clariora & interdum certiora ſuppeditavimus, ut, quod multo tandem labore congeſſimus & elaboravimus, hiſtoriæ philoſophicæ corpus ſua conſtaret integritate, & quæ prioribus curis, ubi nondum ea nobis lux affulſerat, ſcripſimus, poſterioribus vel emendarentur, vel ſupplerentur. Ea vero, quæ plane ſtare non poſſe intellexeramus, ſuſtulimus, & nova ſurrogavimus, quo pacto inſignis interdum illis mutatio accidit. Ceterum animus nobis erat initio, ea quoque peculiari volumine adjicere, quæ vernacula ſcripſimus, qualia præter præfationes tres, quarum una de ſcriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ, altera de ſcriptoribus rerum Turcicarum, tertia de Balthaſare Graciano agit, illæ obſervationes ſunt, quas ad hiſtoriam criticam & literariam linguæ Germanicæ ſpectantes collectaneis criticis (*), auſpicio cel. GOTTSCHEDII, octo voluminibus editis, inſeruimus. Aſt cum hic quidem faſciculus ad juſtam magnitudinem excreverit, illæ vero vernacula omnes ſcriptæ ſint, eas omiſimus, rati, in libro noto & in omnium manibus verſanti facile inveniri poſſe. Damus

(*) *Beytrage zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Lipſ. 1732. ſeqq.*

mus autem earum hoc loco indicem, ut, ſi cui ſchedæ noſtræ minores lectione dignæ videantur, eas reperire valeat. Sunt autem ſequentes:

Vol. IV. p. 362. *Nachricht von Stephani Forcatuli Buche de Gallorum imperio & philoſophia Gen. 1595. 8.*

p. 561. *Nachricht von dem Augspurgiſchen geſchriebenen Deutſchen Rechte, das unter dem Namen des Stadt-Buches im Iahre 1276. zuſammen getragen, und von Rudolph dem erſten bekræfftigt worden iſt.*

Vol. V. p. 9. *Abhandlung von einigen alten Deutſchen Vberſezungen der H. Schrifft.*

p. 179. *Titi Livii deſs allerredtſprechſten vnnd hochberümpteſten Geſchicht-Schreibers Ræmiſche Hiſtorien verdeutſcht durch Nicolaum Carbachium und Iacobum Micyllum, Maynz 1533.*

p. 223. *Ieſuwald Pickharts Bienenkorb des Heil. Röm. Immenſchwarms, Chriſtlingen 1601.*

p. 270. *Anmerckung über die Erklärung alt-deutſcher Schrifften, aus noch übrigen Provinz-wörtern und beſonderer Mundart, zumal des Ober-Schwabens.*

p. 320. *Arzneybuch, Augspurg 1479.*

p. 349. *Ioannis Stobæi ſcharffſinnige Sprüche aus den Schrifften der Griechen, durch Georg. Frælich verdeutſcht. 1550.*

p. 552. *Valerius Maximus verdeutſcht. Augsp. 1489.*

Vol.

Vol. VI. p. 1. *Nachricht von der Beſchaffenheit der Deutſchen Sprache und deren Schreibart bey den Rechtsgelehrten vor dem ſechzehnten Jahrhunderte.*

p. 171. *Verſuch einer deutſchen Vberſezung von Johannis Stobæi Sammlung auserleſner zur Natur-Lehre gehöriger Lehr-Stücke.*

p. 355. *Anonymus de orthographia Germanica aut potius Suevica.*

p. 363. *Eine hübſche Hiſtory, wie Lucius Apulejus in Geſtalt eines eſels verwandelt und verkert ward.*

Vol. VII. p. 321. *Nachricht von der verſprochenen Ausgabe des Augspurgiſchen Stadt-Buches.*

p. 491. *Severini Boëthii bedencken wie man ſich bey vordringendem Gewalt und Wohlergehen der Gottloſen zu verhalten habe, verdeutſcht, Nurnb. 1660.*

Vol. VIII. p. 195. *Xenophon von dem Leben vnd Heerzuge Cyri in gut Deutſch verordnet von Hier. Boner.*

Ceterum ſi hanc noſtram qualemcunque induſtriam arridere Lectoris humanitati & benevolentiæ intellexerimus, animus quoque eſt, quam dudum promiſimus, *ſyllogen opuſculorum a celeberrimis viris editorum, quibus philoſophicæ hiſtoriæ lucem accenderunt, ſed quæ rariora facta in paucorum manibus ſunt, obſervationibus noſtris auctorum & emendatorum* per partes edere, quoniam ad ea quoque haud raro provocavimus, multaque in promtu ſunt, quibus juvari

hoc

hoc literarum genus poſſit, digna quæ oblivioni eripiantur. Cujus exemplum eſſe poteſt SCIPIONIS AQVILIANI libellus *de placitis phyſicis philoſophorum ante Ariſtotelem*, longe rariſſimus, paucisque viſus, ideoque dudum, ut recudatur, exoptatus. Qua in re virorum doctorum auxilium merito expetimus, id imprimis in votis habentes, ut latentes hujus generis theſauri literarii vulgentur, fiantque omnibus utiles.

Scrib. Aug. Vind. Cal. Apr. A. S. R.
cIↄ Iↄcc XLVIII.

MISCEL-

MISCELLANEORVM
HISTORIAE PHILOSOPHICAE LITERARIAE, CRITICAE
PARS PRIMA
HISTORICO - PHILOSOPHICA.

OBSERVATIO I.
De Pyrrhone a ſcepticiſmi univerſalis macula abſolvendo.

§. I.

UT nunquam non invidia odioque cumulata eſt philoſophia, ex quo ſtultitiam debellare, præjudicia ejicere, & novam, quæ inviſa videri poterat, viam parare cœpit: ita imprimis, qui ſe philoſophantibus duces præbuerunt, magnis ſubinde calumniis onerati ſunt. Pro his apologiam ſcribere, non tantum hiſtoriæ & ipſius veritatis, ſed philoſophiæ quoque intereſt, ſcilicet ne deterreantur ingenia obtrectationum maculis, habeantque, in quo magnorum virorum exempla intuiti, aliquid ipſa quoque audeant. *Philoſophi calumniis cumulati.*

Tentabo ego ſimile quid in Pyrrhone, eumque ab extremæ dementiæ calumnia liberare conabor (*a*).

Pyrrho ſcepticiſmi univ. accuſatus. §. II. Accuſatur communi eruditorum ſuffragio *Pyrrho ſcepticiſmi univerſalis;* (*b*) & nititur illa accuſatio ANTIGONI CARYSTII cujusdam relatione, qui *vitam Pyrrhonis* conſcripſit, & ex quo ſua excerpſit DIOGENES LAERTIVS in Philoſophorum vitis. Refert vero hic (*c*) ex illo, docuiſſe eum: „*Nihil vere* „*eſſe, ceterum lege ac conſuetudine cuncta homines fa-* „*cere, neque enim eſſe quicquam hoc magis quam illud.* „Vitam

(*a*) Primitiæ hæ noſtræ fuere, cum hiſtoriæ philoſophicæ ſtudium vix ſalutaſſemus, excitatique a B. *Carolo Friderico Buddeo*, quem hujus partis hiſtoricæ præceptorem eumque amiciſſimum habebamus, hæc ad *Carolum Fridericum Pezoldum* ſcholæ Thomanæ apud Lipſienſes ſubrectorem peculiari epiſtola ſcripſimus, quæ ab eo *Miſcellaneis Lipſienſibus T. V. p.* 136. *ſeqq.* inſerta eſt. Ab eo tempore accuratius de hoc argumento meditati multa obſervavimus, quæ in clariore illud luce collocare apta ſunt, & potiora quoque maturiori induſtria *hiſtoria critica philoſophiæ T. I. P. II. l. II. c.* 14. *§.* 3. *ſeqq. p.* 1320. *ſeqq.* inſeruimus, eorum quoque ſummam nuper in *inſtitutionibus hiſt. philoſ Per. I. p.* 228. *ſeqq.* exhibuimus. Ex illis itaque, quæ hic ſcripſimus, emendanda & ſupplenda ſunt, quorum præcipua tantum momenta brevitati conſulturi hoc loco indicabimus, prolixiora ut lector dicto loco quærat, rogantes.

(*b*) Induxiſſe Pyrrhonem per omnem ſcientiarum ambitum ſcepticiſmum, teſtimonia veterum indubitata ſatis confirmare videntur, quo ſenſu a ſcepticiſmi alicujus univerſalis macula abſolvi non poteſt. Verum de eo quidem ſcepticiſmo hoc loco quæſtio haud eſt, ſed de iſta dubitatione univerſali, qua non tantum criteria theoretica ſed practica quoque convellebantur, quod ei ex Antigoni Caryſtii narratione tribuit DIOGENES LAERTIVS *L. IX.* §. 61. 62. quam accuſationem fictam & ineptam, ſi nihil de Pyrrhone conſtaret, conſtans Scepticorum ratio de iis, quibus per ſenſus & phantaſiam animi afficiuntur, ſatis convellere poteſt, de qua fuſe multoties agit SEXTVS EMPIRICVS *Pyrrhon. hypotyp. l.* 1. *c.* 7. *ſ.* 13. 17. 19. 30. & *adv. mathematicos* multoties, cujus loca cum his diligenter comparanda ſunt.

(*c*) LAERT. *L. IX. Segm.* 61. 62. *Ed. Wetſten.* οὐδὲν ἔφασκεν οὔτε καλὸν, οὔτε αἰσχρὸν, οὔτε δίκαιον, οὔτε ἄδικον, καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ τε καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν. Οὐ γὰρ μᾶλλον τότε ἢ τότε εἶναι ἕκαστον. Ἀκόλουθος δὲ ἦν καὶ τῷ βίῳ μηδὲν ἐκτρεπόμενος μηδὲ φυλαττόμενος, ἅπαντα ὑφιστάμενος, ἁμάξας, εἰ τύχοι, καὶ κρημνοὺς, καὶ κύνας, καὶ ὅσα τοιαῦτα, μηδὲν ταῖς αἰσθήσεσιν ἐπιτρεπόμενος.

„ Vitam quoque doctrinæ duxiſſe conſentaneam; nihil declinaſſe, nihil devitaſſe, ſuſtinuiſſe omnia; „ currus ſi forte occurriſſent, & prærupta, & canes, „ & talia, nihil ſenſibus permiſiſſe.

§. III. Ego vero a me impetrare non poteram, cum hæc primum legiſſem, ut pro veris illa haberem. Repugnare videbatur natura intellectus humani, qui ita eſt comparatus, ut poſitis omnibus ad cognoſcendum requiſitis non poſſit non cognoſcere. Et hinc jam dudum a philoſophis vocatus eſt facultas neceſſaria. Quotiescunque enim ille ipſe intellectus in veritatis alicujus cognitione verſatur, & omnes, quotquot ei offeruntur, & ad rem præſentem ſpectant, ideæ ipſi ſint clare, diſtincte atque adæquate cognitæ, per naturam ſuam, ſi ſanus fuerit, veritatem, & rerum exiſtentiam percipere cogitur. Quis enim ſana mente præditus, poſtquam ſenſerit ſolis radios, ſolem non lucere, ſed tenebras eſſe ex mentis ſententia profitebitur? Et hinc quoque eſt, quod recentiores imprimis philoſophi pro genuino & infallibili veritatis criterio evidentiam perceptionis accipiant, cum per eam neceſſario intellectus noſter de rei veritate convincatur (*d*). Contra

Ratio dubitandi.

(*d*) Hoc adeo non negabant Sceptici, ut potius concederent: ſi quis dicat, ſectam eſſe inſtitutionem, quæ ſecundum id, quod ſenſibus apparet, rationi alicui adhæreat, illa ratione monſtrante, quomodo recte vivere videri poſſimus, tunc ſe ſectam habere, dici poſſe. Adhærere enim ſe rationi cuidam quæ ſecundum id, quod ſenſibus apparet, monſtrat vivere ad patrios ritus, & leges & inſtituta, & ad proprias ſibi affectiones, quæ verba ſunt SEXTI EMPIR. *Pyrrh. hypotyp. l. I. c.* 8. *ſ.* 17. Unde κύριον δόγμα Scepticorum; vitam Sceptici communem quadruplicem eſſe, quæ videlicet partim in naturæ ſuggeſtione verſetur, partim in coactione paſſionum, partim in conſtitutione legum & cõnſuetudinum, partim in traditione artium, *ib. ſ.* 23. 237. Quæ ratio fuit, cur, teſte LAERTIO *l. IX. ſ.* 105. Sceptici dogmaticos mendacii coarguerint, quod traderent: eos vitam tollere, dum omnia, ex quibus vita conſtat, evertant, non enim rem ſe auferre, ſed rei rationem, qui & id, eodem auctore, addunt, nec Pyrrhonem conſuetudinem tranſiliiſſe, & quæ ſunt apparentia ſequutum eſſe, cujus teſtes laudat Simonem & Æneſidemum. Plura acute ea de re diſputat SEXTUS l. c. ex

quod tamen aperte & directa fronte egiſſet Pyrrho, illudque negaſſet, quod intellectus natura negari haud patitur, ſi vera eſſent, quæ de eo tradit Caryſtius.

Rationes aliæ inde fluentes. §. IV. Adeo certa hæc ſunt, ut impoſſibile mihi videatur, ex animi ſententia ſtatuere quem poſſe, *nihil eſſe vere, nec quicquam hoc potius quam illud eſſe.* (*e*) Sufficere hoc potuiſſet, quod accuſationis falſitatem proderet; ſed ut certior evaderem, inveſtigavi, annon ex ea relatione, quam de Pyrrhone noſtro tradit Laërtius, pro confirmanda ſententia mea deſumi poſſint argumenta, & ea quoque haud ultima inveni. Ut vero clarior fiat tota ſententiæ deductio, Pyrrhonis vita præmittenda.

Vita Pyrrhonis. §. V. Erat vero Pyrrho (*f*) pauper initio atque obſcurus, pictorque haud adeo felix. Poſtquam vero philoſophiæ operam navaſſet (*g*), & cum Anaxarcho

quo rem in compendio delineavimus *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1333. *ſeqq.* quæ, ſi tanti videbuntur, conſulenda ſunt.

(*e*) Vocavit inde Scepticos *ſectam mentientium* autor artis cogitandi Diſſ. prælimin. I. p. 4. ed. Bat. Facit huc illud ARISTOCLIS apud EUSEB. de præp. Ev. l. XIV. c. 18. ὅτι μὲν ἂν τὴν τοιαύτην εἴτε αἵρεσιν, εἴτε ἀγωγὴν λόγων, εἴτε ὅπη καὶ ὅπως ἐθέλη τὶς καλεῖν αὐτὴν, ὐδεὶς ἂν εὖ φρονῶν ὀρθὴν εἶναι φαίη, δῆλον. Ἐγὼ μὲν ὐδὲ φιλοσοφίαν οἴομαι δεῖν ὀνομάζειν αὐτὴν, ἀναιρῦσάνγε δὴ τὰς τῦ φιλοσοφεῖν ἀρχάς.

(*f*) LAERT. *Segm.* 62. Fuit patria Pyrrhoni Elea, ex qua famoſiſſima Eleaticorum ſecta orta eſt, cujus philoſophandi rationem occaſionem Pyrrhoni ſubminiſtraſſe ad ſcepticiſmum delabendi *hiſt. crit. T. I. p.* 1324. veriſimile eſſe oſtendimus. Ceterum eodem loco plures vitæ Pyrrhonis circumſtantias ex veterum narrationibus retulimus, quas huc non transſcribimus.

(*g*) LAERT. *Segm.* 61. Probe ad præceptores Pyrrhonis attendendum eſt, cum perpetuus philoſophiæ hiſtoria teſtis ſit, præceptores maximum in condendi ſyſtematis novi rationes influxum plerumque habuiſſe. Audivit autem Pyrrho primum in patria Eleaticos, dein ſerio a pictoria ad philoſophiam delatus, vel in Democriti ſcripta incidit, teſte Ariſtocle apud EUSEB. l. c. vel Bryſonem, Stilponis filium, Clitomachi diſcipulum præceptorem primum habuit, vid. LAERT. l. c. SUIDAS in *Pyrrho* T. III. p. 247. Utriusque in exagitandis dogmaticis ſollertiam, & adhibitas eam in rem philoſophandi rationes, ſuo loco in Eleaticæ & Eriſticæ ſcholæ hiſtoria delineatas philoſophiam ſcepticam apud Pyrrhonem formaſſe, comparatio recte

cho Magos ac Gymnoſophiſtas Indos adiiſſet, egregie eruditus evaſit (*h*). Fuit illa eruditio cauſa, qua Epicuro quam maxime commendabatur, adeo, ut eum admiraretur, & aſſidue de eo percunctaretur. Obſervabat ſcilicet Epicurus illum, qui haud adeo felicis ingenii initio fuerat, ad egregium ſapientiæ cultum, ſublimemque gradum evaſiſſe. Quæ quoque eruditionis præſtantia, & ex illa nata gloria, eum ſupremo in patria apud Eleos ſacerdotio (*i*) admovit, atque effecit, ut ejus gratia omnes philoſophi immunitate donarentur. Refert etiam Diocles, (*k*) Athenienſes eum civitate donaſſe, ob Cotyn Thraciæ regem interemtum, quod tamen ex errore hic fuiſſe dictum aliunde conſtat. Vivebat ceteroquin hone-

inſtituta convincit, & luculentis, niſi fallimur, argumentis in *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1323. *ſeq.* evicimus. Aſt his ſectis non niſi cum dogmaticis, non cum ſenſibus, pugna erat, quam ab illis Pyrrho didicit, qui a præceptoribus tantam, quanta illi tribuitur, inſaniam nunquam vidit.

(*h*) LAERT. *Segm.* 64. Adeo vero in eo itinere Alexandro M. apud quem gratioſus erat Anaxarchus, eruditionis elegantia Pyrrho commendatus eſt, ut cum illi poëma obtuliſſet, ejus pulchritudine & eruditione captus decies mille aureorum munere, quod 25000. thalerorum conſtat, eum afficeret, vid. SEXTVS l. c. ſ. 282. nam quod apud MENAGIVM ad LAERT. l. IX. ſ. 102. mille tantum aureos accepiſſe dicitur, aut calami aut typorum vitium eſt. Ceterum tantæ exiſtimationis apud veteres philoſophia Pyrrhonis fuit, ut nobiliſſimum philoſophandi genus excitaſſe videretur, teſte LAERT. l. IX. ſ. 61.

(*i*) LAERT. *Segm.* 64. οὕτω τε αὐτὸν ὑπὸ τῆς Πατρίδος τιμηθῆναι, ὥστε καὶ ἀρχιερέα καταστῆσαι αὐτὸν, καὶ δι' ἐκεῖνον πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἀτέλειαν ψηφίσασθαι. conf. HESYCH. MILES.

(*k*) LAERT. *Segm.* 61. Pythonem Ænium, Platonis diſcipulum hoc patraſſe facinus refert PLVTARCHVS in libro de *laudando ſeipſo*, & libr. *contra Coloten.* Item DEMOSTH. κατ' Ἀριστοκράτους p. 446. PHILOSTRAT. in *vita Apollon. l. VII.* c. 2. Hinc ea corrupta, & verba hæc a quodam lectore ad oram loci, qui proxime præceſſit: ὄντως ἐν Πύθωνι addita fuiſſe, ſuſpicantur ÆGID. MENAG. *Obſerv. ad D. Laërt. p.* 427. & ISAAC. CASAVBON *not. ad h. l.* forſitan Pyrrhoni æqualis honos contigit, quod etiam alias factum eſſe philoſophis conſtat, qui cum nominum confuſione erroris occaſionem dedit.

ſte, idque potiſſimum ſtudebat, ut vir bonus eſſet (*l*). Ad quæſtiones quoque (*m*), ſi quæ proponebantur, copioſe pariter atque accurate reſpondit, quapropter etiam a nemine contemnebatur.

Dogmata Pyrrhonis. §. VI. De dogmatibus vero ejus atque hypotheſibus ita refert LAERTIVS, ut pateat ex eo, eum ſtatuiſſe: I. *Tranquillitatem mentis* omni ſtudio eſſe ſectandam, idque præcipue agendum, *ut animæ noſtræ felicitatem* per eam acquiramus & conſervemus (*n*). Id ut efficiatur, ἀπάθειαν (*o*) viro ſapienti eſſe neceſſariam, ne ſcilicet affectibus, doloribus & angore miſere turbetur, neque mens inveniat, ubi quieſcat. Et eundem in finem vitam doctrinæ conformem duxit, quantum poterat, etiam externorum ſenſuum dolores contemnens (*p*). II. Credidit, ad decipiendum ſæpiſſime compoſitos eſſe *ſenſus* noſtros, intellectum vero noſtrum, multis gravibusque vitiis eſſe inquinatum, quæ vano & puerili hominum ſtudio augeantur; ut propter iſtam hominis imbecillitatem *difficilis ſit veritas cognitu* (*q*). III. Putavit præterea, *eſſentias rerum nobis neutiquam patere*, & hinc earum non dari cognitionem (*r*), in hoc ipſo cum recen-

(*l*) LAERT. *Segm.* 63. Καταληφθεὶς δέποτε, καὶ ἑαυτῷ λαλῶν, καὶ ἐρωτηθεὶς τὴν αἰτίαν, ἔφη μελετᾷν χρηστὸς εἶναι.

(*m*) LAERT. *Segm.* 64. ἐν ταῖς ζητήσεσιν ὑπ' ὀδενὸς καλεφρονεῖτο, διὰ τὸ ἐξοδικῶς λέγειν, καὶ πρὸς ἐρώτησιν.

(*n*) Patet hoc ex ſummo tranquillitatis animi ſtudio, cujus ſigna recenſet DIOG. *Segm.* 63. 66. 67. 68. Cum navi aliquando eſſet, & reliqui tempeſtate acti mœſtiores eſſent, ipſe tranquillo animo porcellum in navi edentem oſtendebat, dicens: Oportere ſapientem tali animi tranquillitate eſſe.

(*o*) Quam docuiſſe ex LAERTIO patet *Segm.* 66. ubi reprehenſus, quod ſorori ſuccenſuiſſet, ὀκ, inquit, ἐν γυναίῳ ἡ ἐπίδειξις τῆς ἀδιαφορίας, quam ἀδιαφορίαν vocat Ariſtocles ἀπάθειαν apud EVSEB. *l. c.*

(*p*) LAERT. *Segm.* 67.

(*q*) LAERT. *Segm.* 67. 68. eum delectatum fuiſſe talibus dictis, ὅσα συντείνει εἰς τὸ ἀβέβαιον καὶ κενόσπουδον ἅμα, καὶ παιδαριῶδες τῶν ἀνθρώπων, quibus infirmitas & inania ſtudia atque pueriles nugæ hominum indicantur.

(*r*) Hoc enim eſt, μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, quod Pyrrhonem

recentioribus nonnullis conſentiens. IV. Quo igitur omnis præcipitantia evitetur, omniſque error procul eſſe jubeatur, σκέψιν & ἐποχὴν quandam adhiberi voluit, donec accuratiſſime rerum circumſtantias noverimus (*s*).

§. VII. Tale porro Pyrrhoni contigit ſeculum, quod philoſophorum ſtultitia ſuperabat omnia. Dogmatici enim philoſophi, qui honorifico ſophiſtarum nomine ſtultitiam tegebant, ſcholas variarum rixarum ſtrepitu tum replebant. Florebat enim tunc temporis eloquentiæ ſtudium, & tanto quis doctior habebatur, quanto melius diceret. Cauſa hæc fuit, quæ perſuaſit toti fere Græciæ, ut relicto veræ ſapientiæ ſtudio, ad vanam loquacitatem citatis pedibus properaret. Enata hinc ſophiſtarum turba, tumidum ſuperbumque hominum genus, quod in captioſis verborum ſtrophis ſummam jactabat ſapientiam, illum pro doctiſſimo reputans, qui prolixiſſime in utramque partem diſſerere poſſet. Eleganter depingit eos LVCIANVS: (*t*) *Sub pallio habent*, inquit, *contentionem, vanitatem, quæſtiones ambiguas, ſpinoſas diſputationes, perplexas involutasque notiones.* Et TIMON apud LAERTIVM (*u*) de noſtro Pyrrhone: *Seculi illius mores.*

Miror, qui tandem potuiſti evadere, Pyrrho,
Turgentes fruſtra ſtupidos vanosque ſophiſtas,
Atque impoſturæ fallacis ſolvere vincla? (*x*)

 Erat

ſtatuiſſe ait LAERTIVS ſ. 61. opponitur enim γόμῳ, diſpoſitioni & ordini modorum & conſuetudini.

(*s*) Id quod ex relatis ſua ſponte ſequitur, & multis urget SEXTVS EMP. *Pyrrh. hyp. I. ſ. 25. ſeqq.*

(*t*) In *dial. mortuor.*

(*u*) *Segm.* 67.

(*x*) Maxime hic legendus eſt dialogus PLATONIS, cui ſophiſtæ nomen fecit, eo quod hujus gentis artes, ſtudia, vanitatemque luculenter in eo deſcripſit. Ex eo enim mores illius ſeculi, quibus adeo ſophiſtæ inviſi facti ſunt bonis omnibus, diſci poterunt, intelligiturque, qui factum ſit, ut dubitationem quandam univerſalem ad evertendas eorum nugas Pyrrho adhiberet. Conf. quæ in hiſtoria Socratis diximus *T. I. H. G. Phil. p.* 549.

Erat vero philoſopho noſtro ſæpius res (*y*) cum hominibus hiſce, quorum captiunculæ, ut evitentur, σκέψιν & ἐποχὴν & hic quoque neceſſariam putavit, ipſe quoque eam in diſputationibus cum iis adhibuit, eorumque vanitati prudenti σκέψει illuſit. Erat enim cum horum hominum eruditione ita comparatum, ut nulla habuerit, quibus niteretur, fundamenta, principia nulla; quo factum, ut ſi quis prætenſa ignorantia & dubitatione perpetuo quæſiverit, vanitas eorum atque ſtultitia fuerit manifeſtata. Felici ſucceſſu id etiam præſtitit SOCRATES, a quo hæc diſputandi methodus hodienum nomen habet, a ſummis noſtræ ætatis philoſophis commendata (*z*).

Rationes abſolvendi. §. VIII. Ex præmiſſis hiſce, quæ LAERTIVS confuſe, ut ſolet, refert, ſententiæ meæ ingens accedit robur, & CARYSTIVS falſæ accuſationis atque calumniarum convincitur. Non hic, quæ *de intellectus facultate neceſſaria* ſuperius dixi, repetam; illud certum eſt, hominem ejusdem veſaniæ, ac fuit Pyrrho, ſecundum Caryſtii relationem, *nunquam admoviſſent pontificatui Elei* (*aa*). Requirebat enim omnium ceremoniarum ac circumſtantiarum accuratiſſimam obſervantiam gentilis ſuperſtitio, cum vel a minimo neglecto momento tota ſæpius civitatis, ex ipſorum ſententia, penderet ſalus (*bb*). Non obſervaſſet vero illa, & muneri atque civibus ullo modo ſatisfeciſſet Pyrrho pontifex, ſi omnem prorſus veritatis cognitionem negaſſet, & vitam doctrinæ conſentaneam duxiſſet. Imo falſitatis aperte arguit Antigonum Caryſtium ÆNESI-

(*y*) Quod ex modo adducto patet carmine conf. quæ habet LAERT. *Segm.* 69.

(*z*) Conf. quæ ex veterum fide hac de re *l. c. p.* 532. 533. diximus.

(*aa*) Ex quo etiam falſam Caryſtii relationem judicant FRANC. MOTHÆVS VAYERIVS *de virt. paganor.* & ÆGID. MENAG. *Obſ. ad* LAERT. *p.* 426.

(*bb*) Ridiculus Sacerdos Scepticus, qui, cum ſacra faceret, non noverat, quid faceret. JOACH. KVHN. *annot. ad* LAERT. *l. IX. Segm.* 64.

ÆNESIDEMVS (*cc*), qui tradit, „eum quidem de „aſſenſu retinendo fuiſſe philoſophatum, non vero im„prudenter egiſſe ſingula. Ex quo, quanta Caryſtii „fides ſit, patet.

§. IX. Neque ſane Pyrrhonem *tanti feciſſet, & admiratus fuiſſet* EPICVRVS, ſi hujusmodi veſaniam docuiſſet, vitaque comprobaſſet, quæ ſcilicet canonibus ejus logicis e diametro eſt contraria. Verum melius mentem Pyrrhonis inſpexerat Epicurus; ſtatuebat enim, in tranquillitate mentis εὐτυχίαν eſſe quærendam, & eo quoque tendebat Pyrrhonis hypotheſis, quam Epicurus non poterat non laudare, & Pyrrhonem, *quod vitam doctrinæ conſentaneam ducat*, magni facere atque admirari. Et quæſo, quomodo Antigoni relatio convenit cum eo, quod ipſe Pyrrho, *ſe meditari, ut bonus ſit*, profeſſus fuerit? Certe, qui virum bonum ſe præſtare ſtudet, ut virtutem admittat, & normam, ſecundum quam bonus eſſe queat, neceſſe eſt. *continuantur*

§. X. Æſtumatio quoque patriæ & *immunitas philoſophis illius gratia data* longe aliud ſuadent (*dd*). Simili argumento, aliorum obſervantia, præſertim ob egregias ad quæſtiones reſponſiones contrarium nimis manifeſte arguit: qui enim ad quæſtiones ita reſpondet: ſe nihil ſcire, neque definire poſſe, quin nihil vere eſſe, is certe ἐξόδικῶς, accurata ad quæſtiones non dat reſponſa. Et profecto longe aliud ſuadent dogmata Pyrrhonis. Admiſit, quod eſt extra controverſiam, tranquillitatem mentis, honeſtatemque, *aliæ.*

 quin

(*cc*) DIOG. *Segm.* 62. Αἰνεσίδημος δέ φησι, φιλοσοφεῖν μὲν αὐτὸν κατὰ τὸν τῆς ἐποχῆς λόγον, μὴ μέντοι γε ἀπροοράτως ἕκαστα πράττειν.

(*dd*) Revocandi hic in memoriam mores Græcorum ab oratorum ſtudio populum in partes pertrahendi, quod in republica plurimum valebat, ita effecti, ut nihil magis cuperent, quam aures rationibus in partes vocantibus replere: quæ cauſſa fuit, cur tantis honoribus ſophiſtæ affecti ſint. An itaque veriſimile eſt, Pyrrhonem tanta patriæ exiſtimatione & imprimis Athenarum laude floruiſſe, ſi talem nugatorem egiſſet, qui ſenſuum & vitæ criteria prorſus negaſſet?

quin & omnem rerum extra nos exiſtentiam, ſenſumque licet in perceptione ejus ſæpius hallucinari intellectum decipique dogmaticorum ratiunculas aſſereret. Quæ omnia ſcepticiſmo, qualis illi tribuitur, plane ſunt contraria, & Antigoni relationem funditus evertunt.

Cauſſæ ſcepticiſmi ejus. §. XI. Patet vero ex præmiſſis quoque, quo modo, *quave occaſione* Pyrrhoni ſcepticiſmi univerſalis nota fuit inuſta. Partim enim ignorantiæ, partim malitiæ opus hoc erat. Statuebat Pyrrho, *ἀπάθειαν* eſſe ſectandam, ideoque etiam, qui externos ſenſus afficiunt, *dolores non eſſe curandos*, ſed *indifferenter ſe habere debere virum ſapientem ad omnia, quæ ipſius mentem movere poſſent:* & huc omnia pertinent, quæ de illius *ἀδιαφορίᾳ* vel potius *ἀπαθείᾳ* vitæ referuntur. Cum huic doctrinæ accederet *ἡ σκέψις* contra dogmaticos imprimis adhibita, facile erat, ut ii, qui mentem ejus non curatius perſpexerant, in errorem ducerentur, & crederent, eum *ἀδιαφορίαν* illam ideo adhibere, quia nihil vere eſſe ſtatuat: ex quo rumore facile fuit, Pyrrhonem contra omnem veritatem ſcepticiſmi ſtultiſſimi reum agere.

Alia. §. XII. Accedebat vero dogmaticorum & ſophiſtarum malitia. Illuſit eorum captiunculis ſimulata ignorantia, eosque omnium expoſuit riſui & deſpectui Pyrrho: quid miri, quod hiſce homuncionibus ſtomachus motus fuerit? Quid miri, quod injuriam a Pyrrhone, ut putabant, illatam, omni modo ultum iverint? Solet enim iſtud hominum genus, quod faſtu ac prætenſa vana eruditione ſtultitiæ ſeipſum reum agit, ita cum viris ſtrenuis agere, ſi ipſorum detexerint artes, ut omni niſu ſatagat, quo illis ſtultæ, abſurdæ, impiæque hypotheſeos notam inurat. Accidit id etiam Pyrrhoni. Et cum ejus ſententiam de *ἀπαθείᾳ* & adhibenda *σκέψει*, vitamque doctrinæ conſentaneam ad id maxime compoſitam cernerent, optata illis fuit occaſio, eum ſcepticiſmi univerſalis

reum

reum peragendi. Quæ accuſatio ad poſteros delata, non potuit non altas figere radices, cum Pyrrhonis diſcipuli, ad vexandos Dogmaticos toti compoſiti, magiſtri ſententiam non ſolum defenderent, ſed ulterius forſan extenderent *(ee)*.

Modus dubitationis ſceptica.

§. XIII. Puto, ex deductis hactenus corruere accuſationem Caryſtii, cui *vita, doctrina, munus, famaque Pyrrhonis* omnino ſunt contraria: patere quoque facillimam calumniandi occaſionem. Objici quidem quædam ex Laërtio atque Ariſtocle apud EVSEBIVM poſſent ſententiæ huic, quæ vero omnia vel Antigoni nituntur auctoritate, quem Ariſtocles preſſo pede eſt ſecutus, odio inſuper adverſus Scepticos ductus, ideo non curanda; vel ex adductis facillime ſolvi & explicari poterunt, modo obſervetur, non Pyrrhonem modo, ſed quicunque ejus philoſophandi viam ſecuti ſunt, de modo magis cognitionis humanæ, quem variis ratiociniis dogmatici definire auſi ſunt, quam de rerum exiſtentia, quam ſenſu, paſſione ſive affectu, modorum diſpoſitione & ordine, lege & conſuetudine definiebant, dubitaviſſe, eum in finem, ut exagitatis philoſophorum næniis non opiniones magis frivolas, quam quæ ſenſu & uſu cognoſcuntur, ſequatur animus.

(ee) vid. LAERT. *L. IX, Segm.* 70. *ſqq.*

(O)

MEDI-

MEDITATIONES PHILOSOPHICAE
DE

FALSA VIRTUTE

EXEMPLO
ALEXANDRI MAGNI
ILLUSTRATAE.

OBSERVATIO II.
De falſa virtute, exemplo Alexandri M. illuſtrata.

PROLEGOMENA.

§. I.

Neceſſitas & dignitas doctrinae de virtute. INter eas humanæ ſcientiæ partes, quæ ad veram felicitatem faciunt, primum tueri locum philoſophiam moralem, (*a*) is haud invitus concedet, qui accurato examine ponderaverit, eo majorem mereri omnem ſcientiam dignitatis gradum, quo propius

(*a*) Variæ ſemper fuere eruditorum de dignitate & gradibus partium eruditionis ſententiæ, ex diverſis, quibus quisque nitebatur, eruditionis conceptibus oriundæ. Jonici enim phyſicæ primas partes detulere, Platonici metaphyſicæ, Eriſtici dialecticæ, Eclectici theurgiæ omnique theologiæ, ut de humanitatis diſciplinis, perperam a veteribus nonnullis ad ſapientiæ circulum raptis, nil dicamus. Nos, quæ cuilibet ſententia placuerit, non moramur, ſed hic potius obſervamus, vulgarem eruditionis in quatuor facultates diviſionem confundendi neceſſitatem & dignitatem ſtudiorum graduumque eruditionis occaſionem præbuiſſe. Quæcunque enim hujus diſtinctionis cauſa ſit, de qua JO. CHRISTOPH. STVRMIVS *in prælimin. Phyſic. elect. art. IV.* §. 1. *ſeqq.* & JO. FREINSHEMIVS *de præced. Elect. & Cardinal. Diatr. II.* §. 26. in diverſa abeunt, illud certum eſt, philoſophiæ, imprimis ei, quæ moribus corrigendis & formandis, vel potius felicitati ſummæ comparandæ præeſt, inique ultimas fuiſſe datas partes. Nempe omnis illa diſtinctio tenebroſis medii ævi temporibus excogitata & cleri emolumentis inſervire juſſa eſt, conf. *obſ. Hal. Tom. I. obſ.* 15. & 18. Aſt præter rem fasque. Omnis enim noſtra cognitio eo tendere debet,

propius ad veræ felicitatis ſcopum ducit. Nullam enim diſciplinam meliori indice felicitatis adquirendæ viam oſtendere, quam eam, quæ a moribus nomen accepit, ex ejus natura & indole perſpicitur. Cum vero non minus ejus ſit munus indicare, quomodo felicitatem adeptus homo ſe gerere debeat, quam, quibus mediis ad illam perveniendi via detur: illud vero ſola virtute abſolvatur; recte feciſſe ii cenſendi ſunt, qui in doctrina morali de virtute egerunt.

§. II. Cum vero ea humanæ mentis imbecillitas ſit, ut ſæpe nubem pro Junone amplectatur, & inordinato ſui amore ducta virtutem eſſe putet, quod fallaci quidem larva decipit, virtutemque mentitur, ſuo tamen indicio ſe prodit, vitium: recte illi (*b*) apteque *& de falſa virtute.*

ut veræ felicitatis fiamus compotes. Hinc illud quoque ſtudiorum & laborum genus ſuo jure primum, & præcipuum erit, quod primo & immediate eo ducit, & quod reliquæ ſcientiæ velut fidam matrem ducemque ſequuntur. Iſtud vero præter theologiam, philoſophiam imprimis moralem facere, ex ejus indole luculenter pateſcit. Vidit id pulcherrime Socrates, qui Græciam cœlum ſcrutari, & quæ ante pedes ſunt, & in ipſo homine fiunt, negligi indignatus philoſophiam ex cœlo in terram deduxit, & morali philoſophiæ primas ideo partes detulit, quod formandi ad felicitatem animi vis & poteſtas omnis in ea eſſet, quare reliquas fere diſciplinas non alio fine diſcendas eſſe ſtatuit, niſi quatenus ad fingendos mores & emendandum animum facerent, qua de re dignæ ſunt, quæ legantur, & inculcentur ſedulo, narrationes XENOPHONTIS, *memorab. Socr. l. IV. p.* 814. ed. Leuncl. GELLII *noct. attic. l. XIV. c.* 3. SEXTI EMPIRICI *adv. Math. l. VII. ſ.* 8. conf. ſi ita videtur, quæ in *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 557. *ſeqq.* ea de re obſervavimus. Verum ex hujus conſiderationis neglectu factum, ut philoſophiæ ſtudium fere poſthaberetur, velut ancilla reliquarum ſcientiarum. conf. JO. CHRISTIAN. LANGIVS *in Protheor. erudit. hum. c. XI. p.* 687. *ſeqq.* Hinc merito inter impedimenta eruditionis & ſapientiæ eum retulit EPHRAIMVS GERHARDVS *in Diſſ. de præcipuis ſapientiæ impedimentis* §. 17. *p. m.* 42. *ſeqq.* conf. quæ de eruditionis gradibus diſſerunt Illuſtr. CHRIST. THOMASIVS *in der Einleitung zur Vernunfft-Lehre c. I.* §. 21. *p.* 6. *ſeqq.* DIET. HERMAN. KEMMERICH *in der neueröffneten Academie der Wiſſenſchafften l. I c.* 3. *p.* 23. EPHR. GERHARD. *Inſtit. Philoſ. ration l. I. c.* 1. aliique.

(*b*) Fecit id præter alios, qui obiter rem tetigere, ſcriptor Gallus ESPRIT FLECHIER, in egregio libello, qui ſub titulo

que ſuo fini egere, qui falſæ virtuti larvam detraxerunt, ejusque turpem detexerunt faciem.

Methodi ratio & breves lineæ hiſtoriæ de virtute.

§. III. Eundem laboris locum occupare, & falſæ virtutis naturam depingere, hujus inſtituti finis eſt atque ſcopus. Et ita quidem circa hanc materiam verſabimur, ut primo veræ virtutis fundamentum, indoles & characteres exponantur, quo ſcilicet ex oppoſitorum luce clarior fiat tota tractatio: deinde vero falſæ virtutis turpis detegatur fallacia, oſtendendo, ubi virtutem mentiatur, & ubi differat, eoque detegi poſſit. Quod ubi fecerimus, facile erit, ad hanc normam falſam virtutem in exemplo Alexandri Magni pſeudo - virtutibus illuſtriſſimi exigere, & oſtendere quid diſtent æra lupinis. Non vero varia

la fauſſeté des vertus humaines duobus Voluminibus *Pariſiis & Amſtelodami* 1709. 8. recuſus, & in noſtrum quoque ſermonem translatus eſt. Eundem finem intendit *Diſſertation ſur le caractere de trois celebres Romains Ciceron, Atticus & Lucejus, où l' on fait voir la difference, qu'il y a entre un veritable honête homme, & ceux qui n'ont que l' apparence. vid. Journal literaire M. Sept.* 1714. *p.* 129. In Academia Lipſienſi *de larvis virtutum* diſputavit GEORG. CHRISTOPH. BVTTNERVS, qui tamen nec ſolide, nec ſufficienter ſatis, nimisque breviter in hoc argumento verſatus eſt. Eos, qui duce revelationis lumine in hac arena deſudarunt, omittimus. Non tacendum tamen, illuſtrem LEIBNIZIVM *in epiſt. ad Grimareſtum*, *Vol. III. Epp. Leibn.* a ven. KORTHOLTO *editarum p.* 330. hujus generis ſcriptores, & imprimis Gallum laudatum accuſare, quod non æqui ſatis verſati fuerint circa virtutis pretium & indolem ſtatuendam; & cum oculos juvenum feriant, fundamenti veritatem & ſoliditatem illis denegare. Nempe diſplicebat viro ſummo, & veterum admiratori omnem gentilium virtutem pro falſa haberi, unde cupit, ut viri ingenio præditi, ejus vim eo convertant, non, ut virtus obſuſcetur, ſed ut commendetur, & jucunda atque ædificationi inſerviens evadat. Quod quam recte in hos auctores dicatur, hoc loco expendendum non eſt, monendum autem, veram virtutis indolem detectam, & detractam falſæ virtuti larvam plus emendationis efficere, quam laudatam hanc, qua omnis virtutis indoles ſubvertitur, & commendantur ſplendida vitia. Interim inter virtutem philoſophicam & theologicam ſive chriſtianam diſtinguendam, nec omnem virtutis externæ laudem abjiciendam eſſe, lubentes concedimus,

varia philoſophorum (*c*) ſequemur in hac tractatione placita, quæ, quemadmodum inter ſe multum differunt, ita non omnia veram virtutis ideam exhibent: ſed ex humanæ mentis conſideratione rem ipſam pro virium modulo deducemus.

(*c*) Virtutis moralis, de qua hoc loco ſermo eſt, quæque cum omnis artis & ſapientiæ perfectione, quæ Græcis ἀρετὴ dicitur, ut ex PLVT. *de educ. liber. c.* 4. patet, confundenda non eſt, tanta ſemper bonis omnibus neceſſitas, tanta dignitas viſa eſt, ut non philoſophorum tantum libri, ſed & poëtarum carmina & oratorum declamationes ejus laudibus & commendatione perſonent. Cujus ſi quis ſpecimina cupiat, ea legenda ſunt, quæ lance quaſi ſatura collegit STOBÆVS *ſermone I.* qui *de virtute* agit, & veterum de ea loca cumulatim affert. Aſt quod quavis ætate eveniſſe videmus, ut de rebus ad mores ſpectantibus docti, indoctive, velut de rebus notiſſimis differant, accuratas tamen earum notiones non habeant, id imprimis in doctrina de virtute eveniſſe, experientia & veterum loca teſtantur. Unde ad philoſophos confugiendum diſtinctas definitasque virtutis deſcriptiones dantes. Verum ex horum quoque diſſenſu manifeſtum eſſe putamus, non adeo innatam quaſi, & ex primo cognitionis humanæ fonte claram eſſe virtutis notionem, ut ſingulis de ea meditantibus occurrat. Vehementer enim in partes philoſophi conceſſerunt, prout nempe perfectionis moralis fundamentum, finem, media ex ſyſtematis ſui ſemel deamati principiis extruxerant. Quæ omnia hoc loco enarrare, eſſet extra oleas vagari, & lectoris patientia abuti. Dignum vero argumentum eſt, quod excutiatur, & accurata tractatione integra hiſtoria doctrinæ de virtute exponatur, quod fieri non poteſt, niſi ſyſtemata veterum moralia ſimul explicentur, quod prolixi laboris opus eſt. Nos, quid veteribus de virtutis definitione & diviſione viſum ſit, paucis indicaſſe contenti, alii, ſi Deus annuerit, tempori prolixiorem tractationem reſervamus. Et *barbaricæ Philoſophiæ* quidem de hac re placita obſcuriora eſſe, nemo mirabitur, qui temporum vetuſtatem & deficientia, ejusdem monumenta cogitaverit, expenderitque gentes barbaras, maxime Europæas magis præſtandæ exercendæque, quam docendæ virtuti ſtuduiſſe. *Perſas* de quatuor virtutibus cardinalibus, ſapientia, juſtitia, temperantia, fortitudine fuiſſe philoſophatos autor eſt PLATO *in Alcibiade primo T. II. Opp. p.* 812. *ex edit Serrani.* Quid vero per virtutem intellexerint, non addit. Satisque veriſimile, exotericas tantum ad virtutes admonitiones, quales regi formando præſcribebant Perſæ, Platonem reſpexiſſe, quarum plures collegit de philoſophia morali apud barbaros differens TRIBBECHOVIVS, qui videndus. Cavendum autem ne quæ Platonici recentiores pro

Perſica

Perſica doctrina vendiderunt, pro iis habeantur; illos enim ad enthuſiaſmum ſyſtematis ſui has Perſarum virtutes retuliſſe, vel ex uno hoc oraculorum Zoroaſtri tributorum loco, verſ. 215. ſeqq. patet:

Oportet te feſtinare ad lucem & patris radios
Unde tibi miſſa eſt anima multam induta lucem
Mentem enim in anima repoſuit & in corpore depoſuit.

Locmanno virtus eſt abſtinentia a vitio. *Confucium Sinenſium Philoſophum* mediocritatem pro fundamento virtutis habuiſſe, verum non indicaſſe, in quo ea conſiſtat; homini quoque virtutis adquirendæ facultatem vindicaſſe patet ex *ſcientia Sinenſi ſ. Confucii Pariſ.* 1687. *fol.* latine edita, & quidem ejus *l II. p.* 46. 47. ubi multa Confucii de perfectione ſ. virtute hominis afferuntur. Quamvis enim ad internam virtutis conſtantiam Confucius provocet, ideoque animi explorandi ſtudium commendet, radicem quoque & fundamentum virtutis ponat, unius cordis rectitudinem, quæ medium non tranſilit, adeoque temperamentum naturæ rationalis velut characterem virtutis commendet; non explicuit tamen, & ſi verum fatendum, explicare non potuit, quæ ſit illa ratio congenita, quæ cordis rectitudo, nec illius perfectionis fontem viresque oſtendere. Unde virtus Sinica ſine numine & ſalva idololatria conſtare poteſt, & ad ceremonias plurimum reſpicit. Inter *Græcos* ad Socratem usque pauca inveniuntur, quæ hanc philoſophiæ moralis partem admodum illuſtrent, niſi ea huc forte referantur, quæ *Sapientes Græciæ*, ut vocantur, obſcurius licet, protulerunt, quorum tamen ἀρετὴ politica tantum perfectio eſt, ad rempublicam bene gubernandam comparata. vid. quæ *hiſt. cr. phil. T. I.* diximus. *Socrates* vero Græcorum philoſophorum fere primus tantam virtutis cum doctrina tum vita famam nactus eſt, ut non veteres ſolum, ſed & recentiores quidam eum pro veræ virtutis exemplari habeant, inter quos eſt DANIEL HEINSIVS *Orat. de Socrate* quæ eſt inter *Ejus orationes XV. p. m.* 233. *ſeqq.* & JO. CLERICVS *Sylvar. Theolog. c. III.* §. 6. 7. aliis contradicentibus vid. ESPRIT. *de la fauſſeté de vertus humaines P. II. p.* 194. *ſeq.* & B. BVDDEVS *in Dial. de moribus philoſophorum.* De virtute vero ita docuiſſe autor eſt PLATO *in Menone Opp. T. II. p.* 99. *ſeqq.* ut eam nec doctrina, nec natura nobis adeſſe, ſed divina forte, in eum, qui illam ſortitus eſt, influere affirmaverit. conf. IDEM *in Alcibiade primo p.* 135. XENOPHON *memorab. l. IV.* CRISPVS GALLIPOL *de Plat. caute legendo diſt. II. l.* 6. *p.* 272. *ſq.* ARISTOT. *eth. l. II.* Eandem magiſtri ſententiam propoſuit quoque *Æſchines Dial. I.* PLATONI virtus erat perfecta mens, id eſt abſoluta ratio, cujus acies ita curata eſt, ut ne cæcetur erroribus, exponente ita CICERONE *QQ. Tuſcul. l. IV. c.* 13. vid. PLATO *in Gorgia T. I. Opp. p.* 506. & conf. MAGN. DANIEL. OMEIS *in Ethica Platonica.* Quatuor vero ponebat virtutes cardinales, prudentiam, fortitudi-

nem.

nem, temperantiam & juſtitiam, vid. EJVSD. *Meno, Opp. T. II. p.* 73. & ORIGENIS *philoſophumena c.* 19. *p.* 125. *ex edit. Wolf.* Hiſce ſectatores addebant quatuor ſpeciales, politicam, purgativam, intellectualem & exemplarem. conf. JAC. THOMAS. *Origin. Hiſt. Philoſ. & Eccleſ. p.* 110. Maxime Eclectici, dum virtutem ſyſtemati emanativo attemperaverunt, in eo toti fuerunt, ut hos virtutis gradus inculcarent. Vnde PLOTINO Enn. VI. l. 8. c. I. p. 739. virtus eſt alter intellectus habitus animam transformans in mentem, multis vero hoſce gradus explicant MACROB. *ſomn. Scip. l. I. c.* 7. PORPHYR. *ſent XXXIV. p.* 80. MARINVS in *vita Procli.* SIMPLICIVS in *Epict. init.* conf. FABRIC. *proleg. ad vit. Procli. Ariſtoteli* virtus eſt duplex, intellectualis ſ. theoretica, habitus intellectuales comprehendens, & moralis ſ. practica, quæ eſt habitus mentis electivus in mediocritate, quantum ad nos, conſiſtens. vid ARISTOT. *ad Nicomach. l. II. c.* 6. conf. STOBÆVS *eclog. phyſ. l. II. p.* 184. *ſeqq.* eam in undecim dividit ſpecies *l. II. c* 7. *Antiſthenes Cynicæ ſectæ conditor* virtutem docebat eſſe activam, nec verbis nec ſcientia indigere, ſed ipſam eſſe felicitatem. vid. DIOG. LAERTIVS *l. VI. ſeg.* 10. 11. *Stoicorum* doctrina ſplendido quidem nitebat tegumento, dum virtutem in eo ſitam eſſe aſſerebant, ut homo naturæ rationali convenienter vivat: hanc felicitatem, hoc ſummum bonum eſſe contendebant. Cum vero hæc ſententia malo illo nitatur fundamento, animæ mundi, id eſt ipſius Dei, nos eſſe particulam, adeoque partem toti conformem vivere debere, quæ anguis in herba lateat, manifeſtum eſt. vid. IAC. THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica Diſſ XIV. p.* 177. *ſeqq.* & BVDDEVS *de erroribus Stoicorum in Analect Hiſtor. Philoſ. p* 132. hinc Stoici virtutem ſibi ipſis adſcripſere. vid. HORAT. *Ep. l.* 1. æquum animum mihi ipſe parabo. LIPSIVS *Phyſiol. Stoic. l. III. diſſ.* 8. SENECA *ep. I.* hinc & illud *ep.* 108. Omnibus natura fundamenta dedit, ſemenque virtutum: omnes ad omnia iſta nati ſumus, cum irritator acceſſit, tunc illa anima bona velut ſopita excitantur. conf. LIPS. *Manud. ad Phil. Stoic. l. II. diſſ.* 10. Ex his intelligitur definitio virtutis Stoica apud LAERT. *l. VII. ſ.* 89. 70. virtutem eſſe convenientem animi per totam vitam diſpoſitionem. Quatuor autem primarias virtutes Stoa enumerabat, prudentiam, temperantiam, fortitudinem & juſtitiam, quarum definitiones exponit ex Panætio LAERTIVS *l. c. ſ.* 92. non quod multæ eſſent, omnes enim iisdem regulis eodem fine regi, & qui unam habet omnes habere, aſſerebant, *ib. ſ* 125. PLVT. *de Stoic. repugn. T. V. p.* m. 10. ſed quod objecto, modo & ſcopo differrent: ex quo ſequitur, inter virtutem & vitium per ſe medium non intereſſe, LAERT. *ſ.* 125. virtutem poſſe doceri, *ib. ſ.* 91. eſſe eam propter ſe ipſam, aliaque quibus ethica Stoica nubes petebat. *Epicuro* tandem virtus eſt prudentia recte agendi, cum tranquilla vita conjuncta vid. LAERTIVS *l. X. ſ.* 132. & ÆGID. MENA-

GIVS *ad h. l.* & quæ nos fuſe *T. I. hiſt. crit. phil. p.* 1303. *ſeq.* attulimus, ex quibus patet virtutem Epicuri voluptatis miniſtram eſſe, id eſt, virtutem propter animi tranquillitatem appeti. Pythagoras virtutes duorum generum poſuit, privatas & publicas, unde pædeutica & politica oriuntur, vid LAERT. *l. VI. ſ.* 6. poſuitque virtutem in perfectione naturæ hominis, tria ad eam requirens, rationem, facultatem & conſilium. Inde congeries illa cohortationum Pythagoricarum, quas uno faſce *in opuſculis mythologicis* edidit TH. GALE. *p.* 684. add. IAMBLICHVS *in protrept. c.* 6. & quæ nos *l. c. p.* 1068. *ſeqq.* attulimus. Hæ aliæque gentilium philoſophorum ſententiæ ſi cum recta virtutis ratione conferuntur, apparebit, eos, ſi paucos exceperis, aut externam modo actionum cum lege convenientiam requiſiviſſe, interna animi honeſtate & intentione legitima neglecta, quo fieri aliter non poterat, quam ut vera virtus cum falſa confunderetur, aut quandam animæ ex Deo emanationem ſuppoſuiſſe, & ita feciſſe virtutem vere ex enthuſiaſmo fanaticam. Hinc etiam propriis viribus eam adquiri poſſe aſſerebant, quod omnium gentilium dogma fuiſſe, poſt COTTAM apud CICERONEM *de Nat. Deor. l. III. c.* 36. & ANTONIVM ARNALDVM aſſerit PETRVS BAELIVS, vir meritis in rempublicam literariam illuſtris *continuation des penſées ſur les cometes p.* 243. *ſeqq.* repugnante tamen veterum monumentorum fide, quæ rectiora quosdam docuiſſe produnt, quod contra viros laudatos erudite, more ſuo oſtendit B. GOTTL. STOLLE *in diſſ. de virtute precibus impetranda.* Add. omnino EIVSD. *Hiſtorie der Heidniſchen Morale*, FRIDER. RAPPOLTVS *comment. in Horat. p.* 819. *ſeqq.* & qui ex veteribus de virtute prolixe egit PLVTARCHVS *Moral. p.* 484. IAMBLICH. *de myſter. Ægypt. ſect.* 5. *c.* 26. qui & ipſe, licet ab Ariſtotelis hypotheſi recedere videatur, idem tamen cum illa ſentit. Inter Chriſtianos ſeculis vetuſtioribus virtutis præcepta vel ex purioribus ſacrarum paginarum fontibus hauriebantur, vel ex Platonicæ, Stoicæ & Ariſtotelicæ philoſophiæ placitis aſſerebatur, quidquid de virtute tradiderunt philoſophi. Primusque fere fuit AMBROSIVS, qui de officiis tractationem inſtituendo, philoſophorum præcepta de virtute ita in eccleſiam traduxit, ut ad vitæ æternæ gratiam eam reſpicere juſſerit, *de off. l. I. c.* 8. *T. I. opp. p.* 1. *ed. Eraſm.* majori auſu virtutem Stoicam Chriſtiano habitu indutam eccleſiæ commendavit Nilus, Epicteti enchiridium monachis accommodans, de cujus conatibus cum *in hiſt. crit. phil. T. III. p.* 308. *ſeq.* ex inſtituto egerimus, ea hic, ubi alia agimus, non repetimus. Ævum vero medium, dum Ariſtotelis jugo premitur, jejuna virtutis Peripateticæ imagine ad noſtra usque tempora deluſum eſt, quibus tandem depoſito philoſophiæ Ariſtotelicæ & ſcholaſticæ jugo, magis genuinam virtutis ideam *recentiores* effinxerunt. Hinc RENATO CARTESIO *in epiſt. dedicat. principior. Philoſ.* virtus eſt firma ac efficax voluntas

recte

recte ſemper utendi ſua ratione, quantum in ſe eſt, idque omne, quod optimum eſſe cognoſcit, exequendi. HOBBESIO illud, quod in re omni eſt propter eminentiam ſpectabile conſiſtitque in comparatione, *Leviath. c. 8. p. 34.* ARNOLDO GEVLINCS *in Ethica c. I. §. I. p. 9.* & PHILARETO *Ethic. P. II. c. I. §. I. p. 134.* virtus eſt amor veritatis unicus, quam conſcientia legem in faciendis & omittendis præcipit. Illuſtri CHR. THOMASIO *in introd. in phil. mor.* eſt amor rationalis, celeb. NIC. HIERON. GVNDLINGIO *in via ad verit. mor. c. IX §. 4. & 13. p. 52. ſeqq.* τὸ naturam ſequi, id eſt ſervare proportionem humanæ naturæ convenientem, eamque quantum in nobis eſt perficere ad regulam. Summe Rev. D. BVDDEO *in Elem. Phil. pract. P. I. c. IV. §. 51. p. 146. ſeqq.* ſtudium efficax ſe ſuasque actiones ad legem & voluntatem Numinis componendi; aliis aliud; licet in re fere omnes conveniant, proponendi tantum claritate & modo diverſi, & præter externam cum lege convenientiam, internam quoque animi rectitudinem ad perfectionem animi tendentem requirentes.

Cap. I.

De natura veræ virtutis.

§. I.

Natura veræ virtutis.

Dum de vera virtute (*a*) loquendum nobis eſt, ex natura hominis morali, id eſt ejus ad normam relatione & diſpoſitione eam eſſe deducendam, ex ipſa, quam de virtute habemus, idea intelligitur. Niſi enim talis animæ humanæ eſſet conditio, quæ ad normam referri, ejusque propenſiones & rationes ad legem examinari poſſent, nullam (*b*) etiam

(*a*) Virtutis vox, ſi originem ſpectes, non tam qualitatem animi moralem, quam fortitudinem ſignificat, nomenque a viribus ſive a virilitate accepit, VARRONE auctore, quod obſervat SCALIGER *Poët. l. I. c. 22.* ejusque ſynonymum fuit artis vocabulum. Poſtea tamen ad animum tranſlata eſt ſignificatio, habitumque animi naturæ modo & rationi conſentaneum denotavit, explicante ita CICERONE *de Invent. l. II. c. 53.* Manſit tamen prima quoque ſignificatio.

(*b*) Cauſſa hæc eſt, cur Scholaſticorum plurimorum de actionibus per ſe & antecedenter ad legem moralibus commentum, poſt SAMVEL. PVFENDORFIVM *de I. N. & G. l. I. c. 2. §. 4.* GEORG KVLPISIVM *in Colleg. Grotian. ad l. I. c. I. Diſp. I. §. 6. p m. 15. ſeqq.* CHR. THOMASIVM & JCtos alios ex noſtratibus theologi improbaverint undiquaque celeberrimi

etiam virtutem proprie ſic dictam dari, apud omnes fere, qui rem æquis oculis examinant, eſt in confeſſo.

Deſcribitur §. II. Natura itaque hæc moralis animæ nobis primum conſideranda venit. Eam vero ex humanæ mentis deſiderio, quo in bonum infinite fertur, rectiſſime deduci putamus. Poſtquam enim divinæ ſapientiæ liberrime placuit, creaturam rationis & felicitatis capacem condere, tale ei indidit deſiderium, quod infinito appetitu in bonum (c) fertur. Addidit etiam

ADAM. RECHENBERGIVS *in lineament. philoſ. civil. P. I. c. 7. §. 1. p. 41.* & IO. FR. BVDDEVS *in Elem. philoſ. Pr. P. I. c. 7. §. 2. p. 39. & in theolog. morali P. II. c. I. §. 29. p. m.* 387. add. Cel. IO. IAC. SYRBIVS *in philoſ. prima c. XVII. §. 39. p. 247. ſeqq.* qui tamen ipſam actionum moralitatem, quatenus ex intellectus divini ad ipſorum naturam relatione quod legis fundamentum eſt oritur, non tollunt, ex quo ea judicanda ſunt, quæ recentiſſima ætate in contrariam partem vehementer diſputata ſunt, quæ hoc loco tangere inſtitutum vetat.

(c) Deſiderium hoc infinitum, etiamſi rationibus a priori, quod vocant, probari non poſſet, per experientiam tamen ſolide ſatis comprobaretur. Omnis enim noſtræ voluntatis appetitus ita circa bonum verſatur, ut illo æterna poſſeſſione & ſine fine frui in votis habeat, & perfectiſſimum quodque bonum concupiſcat. Verum etiam rationibus a priori ductis confirmari poteſt. Ut enim taceamus ideam infiniti, quæ cum idea finiti neceſſario conjuncta & maxime poſitiva eſt, & quam non niſi propter voluntatem ejusque deſiderium infinitum habemus, quod accurate & ex inſtituto demonſtravit acutiſſimus SYRBIVS *in Inſtitut. philoſ. ration. P. I. c. 13. § 25. p. 231. ſeqq.* quocum conferendus FENELON *de l'exiſtence de Dieu S. I. I. p. 159. ſeqq.* inde etiam clare patet, quia, cum Deus mentem humanam conderet, in creatura rationali & felicitatis capace condenda non poterat ei indere, vel ipſe quoque habere finem a ſe diverſum: alias quam maxime irrationalis & felicitatis minime capax facta eſſet creatura. Cum itaque Deus neceſſario ejus finis eſſe debuerit, omnis finis autem motum vel deſiderium connotet, deſiderium hoc Dei pro objecti conditione infinitum eſſe recte concluditur. Conferri de hac finis ratione, ſed & probe expendi merentur, quæ acutiſſimi philoſophi PETRVS POIRETVS *in cogitat. ration. de Deo, anima & malo l. III. c. 15. §. 9. p. 516. ſeqq. in notis,* & NIC. MALEBRANCHE *de la recherche de la verité l. III. c. 6. p. m.* 344. dixerunt. Agnoverunt vero præter vetuſtiſſimos philoſophos hoc deſiderium infinitum etiam recentiores, ex quibus præter alios vid. IAC. ABBADIE *de veritate Relig. Chriſtian. P. I. c. 11. §. 14. ſeq. p. 92. ſ. Verſ. Germ.* SAMVEL

etiam rectum intellectus judicium, ut, quale illud bonum ſit, intelligere poſſit, libertatemque voluntatis circa intentionem (*d*) & media illud conſequendi, ut adeo obligari ex voluntate ſuperioris homo poſſit. Et cum homo in naturali ſtatu (*e*) ita in infinitum bonum feratur, hic vero animi motus a voluntate Dei ſanctiſſima ejusque lege primario intendatur, (*f*) & centri inſtar illam abſolvat, ratio hinc patet, cur ex his rationalis & moralis naturæ hominis circumſtantiis virtutis idea ſit formanda & deducenda.

§. III. Neceſſario vero voluntas hominis cum bono infinito jungenda, & nunquam ſeparanda eſt, niſi deſiderium hoc fruſtra a creatore humanæ menti eſſe inditum, abſurde quis aſſeruerit; (*g*) hoc vero ſolo amore *Virtutis fundamentum.*

B 3

WERENFELSIVS *Opp. Theol. & Phil. p.* 786. & maxime rev. abbates D. IO. ANDR. SCHMIDIVS *in Theol. natur. p.* 46. & IO. LAVR. MOSHEM. *inſt. theol. mor. P. I. p.* 159. 231. 266. VITRINGA *Obſ. SS. l. III. c.* 5. *p.* 79. *ſq.*

(*d*) Vbi enim nulla libertas, ibi nec obligatio locum habet, ut ex philoſophia morali notum. Ceterum libertas modo circa intentionem voluntatis, non vero circa volitionem aſſerta eſt. Namque primus hic deſiderii gradus omni caret libertate, ut per experientiam edocemur, quæ oſtendit, cognito bono ad nos relato, voluntatem non poſſe non deſiderio in illud fieri. Hinc HENRICO MORO *in Enchirid. Ethic. c. II.* §. 5. voluntas audit facultas ἀγαθοειδὴς boniformis. conf. B. BVDDEVS *theol. mor. P. I. c. I. Sect. IV.* §. 4. *p.* 91. & Cel. SYRBIVS *in philoſ. prima c. VI:* §. 25. *ſeqq. p.* 190. *ſeqq.* & HOLLMANNVS *inſtit. pneumat. c.* 2. §. 53. *p.* 118.

(*e*) Excluditur itaque ſtatus corruptus, & quæ ubique in eo deprehenditur, finium alias ſubordinatorum ſubverſio.

(*f*) Patet hoc ex probatione deſiderii, quæ data eſt. Neceſſario enim vult Deus illud, quod cum fine, ad quem hominem condidit, convenit, alias Deus, hoc eſt ens ſapientiſſimum, non eſſet. Voluntas Dei autem nec ab ipſius ſanctitate & ſapientia, nec, quæ illis nititur, a lege ejus diſſentit, immo hac exprimitur, adeoque relatio hominis ad finem infinitum, & ad legem divinam reapſe coincidunt. Ex quo genuinum fundamentum officiorum juris naturæ, &, quæ illorum mater eſt, virtutis patet.

(*g*) Niſi enim infinite conjungi poſſet & deberet, non eſſet deſiderium hoc infinitum, ſed finitum, quod eſt plane contrarium iis, quæ antea demonſtrata ſunt: aut Deus fruſtra indidiſſet deſiderium hoc homini, & feciſſet aliquid in creatura ra-

amore fieri, id eſt, animi ad conjunctionem cum iſto bono commotione, poſſe, ex natura voluntatis patet. Hinc recte colligitur, mentem perpetuo & infinito amore Deo velut fine ſuo frui debere, & cum illo conjungi.

Virtutis definitio. §. IV. Quod ſi infinita debet eſſe hæc voluntatis cum Deo velut fine ſuo conjunctio, poſtquam in ea vere poſita eſt, ſemper quoque in iſta propenſione ſe ad finem ſuum infinitum componendi neceſſe eſt manere & deprehendi, quæ naturæ ejus morali (*b*) convenit. Et hæc moralis mentis propenſio (*i*) ſe ad finem ſuum infinitum componendi nobis virtutis moralis nomine venit (*k*). Nec vero in ſola mente manet,

tionali, cujus ratio ex fine non conſtaret, quod cum perfectione entis ſummi & intelligentiſſimi non conſiſtit.

(*b*) Adeoque etiam rationali, ubi non irreſiſtibili coactione homo ad virtutem adigitur, ſed judicando & eligendo ſciens volensque cum propria mentis determinatione & intentione ad voluntatem Numinis, id eſt, finem ſuum, ſe componit.

(*i*) Placet hic aliis, imprimis Ariſtotelicis, vox habitus, quam tamen in definienda virtute incommode adhiberi monet ARNOLDVS GEVLINCS *in Ethic. Tr. I. c. I.* § 3 *p.* 39. quia in habitu ſint conſuetudo & facilitas, neutrum vero pertineat ad rationem virtutis. Alias rationes, ab ipſo adductas, prætermittimus; præſertim cum virtus Peripatetica, quæ in mediocritate actionis conſiſtit, & mere civilis eſt, adeoque habitu acquiri & poſſideri poteſt, a virtute morali, qualem nos deſcribimus, multis modis differat, quod ſi tamen quis habitum analogice talem vocare voluerit, delicias hujus termini nemini invidebimus. Ceterum hoc notandum inſuper, dum virtus hunc in modum a nobis definitur, ita eam diſtingui a ſimplici primoque hominis deſiderio boni infiniti. Hoc enim conjunctionem cum fine infinito intendit, illa jam conjuncta ſe ita ad eum componit, ut conjunctio iſta requirit: hoc apud omnes datur, illa apud eos ſolum qui ſummo bono fruuntur. Ex quo patet deſiderium hoc potiundi ſummo bono, in conſtans deſiderium potito ſine fine fruendi mutari, & ad adhibenda in hunc finem media dirigi.

(*k*) Verbis, non re, diſſentiunt, qui ex recentioribus virtutem per amorem rectæ rationis, per τὸ naturam ſequi, vel per ſtudium ſe ad voluntatem divinam componendi definiunt. Recta enim ratio, & natura animæ nihil aliud ſunt, quam illa mentis relatio ad bonum infinitum, & quæ ei ſubordinata ſunt, quæ ſcilicet ei maxime naturalis & rationalis eſt. Studium vero ubi

net, ſed quoties occaſio fert, in actum deducitur; & tum, ut actiones iſtæ pro veræ virtutis habeantur actionibus, præter externam cum lege convenientiam, internam quoque illius propenſionis rectitudinem requiri, ex dictis eſt manifeſtum. Id quod in comparanda vera virtute cum falſa omnino notandum.

§. V. Porro cum bonum hoc, quocum voluntas hominis infinito amore jungitur, ſit perfectiſſimum, conjunctio hæc quoque nulla ex parte deficiet, neque ex illa reſultans propenſio ſe ad infinitum finem ſemper componendi, ejusque actiones, pro humanæ mentis conditione erunt imperfectæ. Si enim labes hic deprehenditur, tota conjunctio ſolvitur, quoniam perfectum cum imperfecto jungi non poteſt (*l*). *Character primus.*

§. VI. Hinc iterum recte concluditur, virtutem etiam in actionibus ſuis debere eſſe perpetuam & conſtantem (*m*), debere eſſe ſinceram, hoc eſt nullo alio fundamento ſimul nixam, ac conjunctione cum bono infinito (*n*), debere eſſe ordinatam ratione bonorum finitorum (*o*), & tandem debere re- *ſecundus.*

vocatur, hoc ipſo moralem & rationalem eſſe hanc propenſionem recte innuitur. Hi tamen omnes de interna modo mentis qualitate loquuntur, nec ad officia, quæ ex virtute oriuntur, ſive actiones virtutis reſpiciunt. In iis enim præter internam mentis rectitudinem externa quoque cum lege actionum convenientia connotatur.

(*l*) Recte tamen hoc intelligendum eſt, ne perfectio abſoluta cum relativa confundatur, & tribuantur enti finito, quæ non niſi infinito tribui poſſunt. Nempe perfectio nobis hoc loco audit ea actionis humanæ voluntatis ſufficientia, qua finem illum, in quem fertur, obtinere poteſt, quamque cauſſa illa maxime rationalis, a qua condita eſt, in effingenda humana mente intendit.

(*m*) Alias non ex infinito deſiderio &, quæ illam ſecuta eſt, conjunctione cum bono infinito flueret.

(*n*) Non poteſt enim aliquid ſimul ortum ducere ex infinito & finito, quod contradictionem implicat, licet finitum ſubordinari poſſit infinito.

(*o*) Alias eſſet propenſio primaria ad bona finita, non ad bonum infinitum. conf. AVGVSTIN. *de Doctr. Chriſt. l. I. c. 27.* & CAMPEG. VITRINGA *Obſ. SS. l. III. c. 5. §. 6. ſeq. p. 79. ſeqq.*

nuere ea omnia quæ huic fini non conveniunt (*p*).

tertius. §. VII. Tandem ex hac virtutis idea manifeſtum quoque eſt, unicam (*q*) tantum eſſe virtutem, id eſt talem animi propenſionem, qualis deſcripta eſt, quæque omnes bonas actiones edit, eamque ex poſſeſſione ſummi & infiniti boni demum eſſe derivandam (*r*).

Diviſio. §. VIII. Et licet unica virtus ſit, pro varietate tamen objectorum, circa quæ in exequenda actionibus

(*p*) Nam qui ad bonum infinitum ſe componit, contrarium renuat, neceſſe eſt, quia ſimul conſiſtere nequeunt.

(*q*) Recte CARTESIVS *in Epiſt. Dedicat. Princip. Philoſ.* *Virtutes*, inquit, *puræ & ſinceræ, quæ ex ſ la recti cognitione profluunt, unam & eandem omnes habent naturam, & ſub uno ſapientiæ n mine continentur. Quisquis enim firmam & efficacem habet voluntatem recte ſemper utendi ſua ratione, quantum in ſe eſt, idque omne, quod optimum eſſe cognoſcit, exequendi, revera ſapiens eſt, quantum ex natura ſua eſſe poteſt, & per hoc unum juſtitiam, fortitudinem, temperantiam reliquasque virtutes omnes habet, ſed ita inter ſe conjunctas, ut nullæ ſupra ceteras emineant.* Idem quoque Stoicorum fuit præceptum, referente PLVTARCHO *de Fort. & Virt. Alexandri Orat. I. Quicquid agat ſapiens, omnibus eum virtutibus agere, unamque virtutem aliquam primas obire partes, reliquas vero omnes ſocias ſibi perficiendæ rei adſciſcere.* Et MENEDEMVS apud EVNDEM *de Virt. mor. virtutum & multitudinem & differentiam ſuſtulit, quod unam eſſe arbitraretur, quæ diverſis uteretur nominibus. Idem enim dici & temperantiam, fortitudinem, juſtitiam.* Quin &, hoc auctore, ARISTO CHIVS unicam fecit virtutem. Ipſe PLATO quoque, qui virtutem *in Gorgia T. I. p. 506.* definivit animæ affectionem perfectam & optimam, quæ exornat hominem, eundemque firmum ac conſtantem reddit, tum vero conſonum, qua in agendo, qua in dicendo, ſive ſolus id agat, ſive cum aliis, virtutes quidem cardinales pro diverſis animæ partibus, quibus præſunt, diverſas facit, ut ſupra dictum, ita tamen in una notione conjungit, & ita inter ſe cohærere ait, ut ſeparari nequeant *in Protag. T. I. p. 345.*

(*r*) Hinc patet, male ab Ariſtotelicæ philoſophiæ magiſtris virtutem pro medio perveniendi ad ſummum bonum venditari: quos tamen magiſtrum minus recte intellexiſſe recte ex eo probat B. I. FR. BVDDEVS *in inſtitut. theol. moral. P. I. c. I. Sect. IV. §. 137. p. 157. ſeq.* quia Ariſtoteles non virtutes morales, ſed politicas intellexit, quibus mediantibus ad felicitatem politicam homines interdum pervenire poſſe non negatur. conf. *Hiſt. crit. phil. T. I. p. 535. ſeqq.*

bus ſuis Dei voluntate & componendo ſe ad infinitum finem atque bonum verſatur, varia ſortitur nomina. Et pro principali quidem objectorum diverſitate triplex conſtitui poteſt. Pietas in relatione ad Deum, ſanctitas (s) in relatione ad ſe ipſum, & juſtitia in relatione ad alios. Quas ſi virtutes cardinales vocare, vel alio nomine inſignire placuerit, non admodum refragabimur.

CAP. II.

De natura falſæ virtutis.

§. I.

DEſcripſimus hactenus veræ virtutis effigiem, & interiorem ejus indolem, quantum hæc tractatio requirebat, ab ipſis fundamentis deduximus. Supereſt, cujus conſideratio nobis maxime curæ eſt, falſa virtus, ſive vitium egregiam virtutis larvam mentiens. *Methodus & ordo.*

§. II. Ejus vero fallacia ita deprehendi poteſt facillime, ſi diligenter expendatur, in quo veram mentiatur virtutem, & in quo a recto ejus tramite diſcedat. Ita enim cum ea comparatum eſt, ut in ſubtiliſſima hypocriſi characteres falſitatis oſtendat, ſuoque ſe indicio prodat, ut ſorex. *Diviſio.*

§. III. Virtus ſcilicet duplici modo conſiderari poteſt, vel enim nudam externamque actionum cum lege conformitatem, quam producit, innuit, & fundamentum atque intentio animi illas edentis non attenditur, quæ inadæquata vel potius impropria virtutis idea eſt: vel etiam ipſa mentis conditio, ex qua illæ actiones legi externe convenientes fluunt, connotatur, quem demum verum virtutis conceptum eſſe ſupra evicimus. In eo itaque falſa virtus veræ lar- *Virtutis relatio duplex.*

(s) Confer. omnino quæ de hujus vocis ſignificatione in hac re dixit B. BUDDEUS *in inſtit. theol. moral. P. II. c. 2. §. 42. p. 417.*

vam ſumit, quando tales edit actiones, quæ cum lege externe conveniunt, licet interna animi qualitas non niſi foveat vitium (*a*).

Virtutis actio ratione objecti. §. IV. Actiones vero illæ cum lege externa quadam relatione convenientes, uti pro objectorum multitudine multæ ſunt, & innumeræ fere; ita tamen pro generali objectorum diviſione, circa quæ lex & ipſa virtus verſatur, dividi poſſunt (*b*) in actiones pietatis, ſanctitatis & juſtitiæ ſpeciem præ ſe ferentes (*c*).

§. V. Pieta-

(*a*) Vidit id ISOCRATES, cujus elegantiſſimum de virtute locum in *panathen.* excerpſit. STOBAEVS, *eclog. eth. ſerm I. p.* 5. ed. Wech. qui ubi externum virtutis habitum enarraverat, requirit, τοὺς μὴ μόνον πρὸς ἓν τούτων, ἀλλὰ πρὸς ἅπαντα ταῦτα τὴν ἕξιν τῆς ψυχῆς ἐναρμόσιον ἔχοντας, quibus verbis non *omnium* tantum *virtutum concatinationem in animo* poſtulat, ſed *internum quoque animi habitum congruum & cum tota natura morali animi conſpirantem adeſſe debere* ſapienter pronuntiat.

(*b*) Placuit hæc officiorum, quæ ſunt actiones virtutis, diſtributio, Stoicis, quibus ea erga Deum, ſe ipſum & proximum præſtanda eſſe viſum eſt, vid. ANTONIN. *de ſe ipſo l. I.* §. 12. *l. VIII.* §. 27. *l. IX.* §. 22.

(*c*) Notiſſima inde inter honeſtum atque juſtum apud veteres diſtinctio orta eſt, quorum illud ad internam virtutem, hoc ad externam referebant, diverſa, quam quæ hodie apud ſcriptores morales obtinet, vocis ſignificatione. Quo ſenſu Cyrenaici omnem honeſtatem, id eſt virtutem internam negantes, juſtum tamen, quod ex lege & conſuetudine eſt, concedebant, & tamen virtutem velut voluptatis magiſtram & auctorem commendabant. conf. LAERT. *l. II. ſ.* 93. *ſeq.* CICERO *off. l. III. c.* 33. Plato contra ſolum quod honeſtum, bonum eſſe aſſerens, ad aſſimilationem divinorum internam eam revocat, omnemque inde utilitatem & virtutis naturam atque effectum derivat, qua de re vide ſis prolixe diſputantem *in Alcibiade T. II. p.* 116. *ſeqq.* E contrario politicam virtutem in actione ſimul & contemplatione ponebat, teſte ALCINOO *intr. c.* 33. eo quod externam reipublicæ ſalutem reſpicere putabat. Aliter quidem Antiſthenes, cui teſte LAERTIO *l. VI. ſ.* 11. placuit virtutem operum eſſe, & in actione conſiſtere: aſt, dum ſapientiam ſupponit, & ſapientem vivere non ſecundum leges, ſed ſecundum virtutis præcepta, monet, palam eſt, internam illum virtutem ſive honeſtatem non rejicere, ſed tantum id velle: eſſe neceſſarium, ut interna virtus externa actione prodatur, quo pacto nugis Platonicis, ad enthuſiaſmum & contemplationem divinam omnem fere virtutis rationem referentibus

§. V. Pietatem mentiuntur illæ actiones, quæ gloriam Numinis ejusque cultum promovere & pro fine habere videntur. Hucque preces, laudes Dei, externique cultus curá hypocritica (*d*), verbo, ſimulata pietas debet referri. *Falſa virtus circa pietatem.*

§. VI. Sanctitatem dum mentitur falſa virtus, hominem ſimulat temperantem (*e*), caſtum, verecun- *circa ſanctitatem.*

ſe more Cynico oppoſuit. Et ſimili etiam ratione de oppoſitis inter ſe Epicuri atque Stoicorum de virtute opinionibus judicandum eſt, de quibus ne longiores ſimus, adeunda illa ſunt, quæ *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1303. *ſeq.* annotavimus, ubi etiam *p.* 963. *ſeqq.* diſtinctionem virtutis Stoicam, qua practicæ virtutes a theoreticis differunt, explicuimus.

(*d*) Exempla quæ hanc theſin illuſtrent, ex vetuſtis & recentioribus hiſtoriarum monumentis colligere eo minus opus eſt, quo magis ipſa experientia edocti falſam pietatem quotidie miſeros mortales decipere videmus. Verum hæc poſt humani generis corruptionem ſemper ejus fuit conditio, ut ſub pietate ſimulata malæ artes celarentur. Religione certe & pietate plebem frena mordere ſolitam continere in officio principibus ab antiquiſſimis temporibus curæ fuit. Ita effrenos Romanorum animos Numa Pompilius religionis ceremoniis compeſcuit, teſte L. ANN FLORO *l. I. c.* 2. Ejus vero poſteros, Romanæ reipublicæ proceres, per prodigia, Sibyllinorum foliorum oracula, & ſexcenta alia religionis prætextu plebem coërcuiſſe teſtes ſunt Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, imprimis LIVIVS. Nec hodie deſunt, qui hiſce artibus principi utendum eſſe docent. Egregie, ſi Diis placet, NIC. MACHIAVELL. *Princip. c. XVIII. p.* 99. in hanc rem, *Ita ſe*, inquit, *conſpiciendum & audiendum exhibeat princeps, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem ſancte colere videatur, certo perſuaſus, fere homines magis ſpecie & colore rerum, quam rebus ipſis promoveri & judicare.* Appoſite etiam CVRTIVS *IV.* 10. 7. *Nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio, alioquin impotens, ſæva, mutabilis, ubi vana religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus ſuis paret.* Multa ex antiquitate exempla in hanc rem collegit IO. FREINSHEMIVS *ad* CVRT. *l. c.* conf. quæ de falſa pietate dixit B. BVDDEVS *Diſſ. de pietate philoſ.* §. 71. *in Select. jur. nat. & gent. p.* 264. & quem laudat DE LA VOLPILIERE *in tr. le caractere de la veritable & de la fauſſe pieté*, cujus ſummam exhibent ACTA ERVDIT. *A.* 1685. *M. Sept. p.* 405. Ex veteribus add. PLATO *in Eutyphrone* & IO. SERRANVS *ad hunc Dialogum.*

(*e*) Vident enim multi mala, quæ ex intemperantia ſæpiſſime in hominem redundant, quæ ut evitent, voluptatibus abſtinent,

ſtinent, temperanteſque videntur, revera tamen voluptatibus voluptates vincunt. Egregie jam plane in hanc ſententiam dixit PLATO *Opp. T. I. p.* 68. *ſeq.* ubi inter alia ita: Οἱ κόσμιοι αὐτῶν, οὐ ταυτὸν τοῦτο πεπόνθασιν; ἀκολασίᾳ τινὶ σώφρονές εἰσι, καίτοι φαμὲν γέπου, ἀδύνατον εἶναι, ἀλλ' ὅμως συμβαίνει τούτῳ ὅμοιον εἶναι τὸ πάθος τὸ περὶ ταύτην τὴν εὐήθη σωφροσύνην. Φοβούμενοι γὰρ ἑτέρων ἡδονῶν στερηθῆναι, καὶ ἐπιθυμοῦντες ἐκείνων, ἄλλων ἀπέχονται, ὑπ' ἄλλων κρατούμενοι. Καὶ τοιγε καλοῦσίγε ἀκολασίαν τὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι, ἀλλ' ὅμως συμβαίνει αὐτοῖς κρατουμένοις ὑφ' ἡδονῶν, κρατεῖν ἄλλων ἡδονῶν. Τοῦτο δὲ ὅμοιόν ἐστι ὃ νῦν δὴ ἐλέγετο τρόπον τινὰ δι' ἀκολασίαν αὐτοῖς σεσωφρονῆσθαι. Id eſt, ex verſione IO. SERRANI. *Ii, qui inter homines illos vulgares habentur temperantes, nonne idem contingit, ut intemperantia quadam ſint temperantes? Quamvis id fieri non poſſe diximus, nihilominus tamen ſimilis in eos cadit affectio in ſtolida illa & vecordi temperantia. Dum enim metuunt aliis voluptatibus privari, & illas cupientes, ab illis abſtinent, tamen ab illis impotenter abripiuntur. Jam vero intemperantiam vocant, voluptatum imperio regi; ipſis tamen contingit, ut dum a quibusdam voluptatibus ſuperantur, ipſi alias ſuperent voluptates. Ita conficitur etiam, quod in ſimili re modo dicebamus, ipſos per intemperantiam quandam quodammodo eſſe temperantes.* Conf. PLVTARCH. *de virtute morali p.* 487. *ſeq.* ARISTOTELES vero dum fugam extremæ intemperantiæ pro vera temperantia habet, hoc ipſo ſubtilioris intemperantiæ fallacia decipitur. vid. *Ethic. L. II. c.* 2. *L. III. c.* 13. ponit enim eam in mediocritate voluptatis, inter exceſſum & ἀναισθησίαν, recte propterea notatus a CICERONE *Tuſcul. Q. Q. L. IV.* & SENECA *de Ira L. III. c.* 3. & *Epiſt.* 78. Stoici etſi omnem voluptatem proſcribebant, voluptatem tamen quandam ſubtiliſſimam in ἀπαθείᾳ quærebant, eo quod quæ extra nos ſunt, nihil facere ad beatitatem, cum ſola bona ſint, quæ honeſta ſtatuebant, quod verum ἀπαθείας fundamentum eſſe *in hiſt. crit. phil. T. I. p.* 955. notavimus. Eſt autem illud honeſtum, vivere cum tranquillitate & jucunditate ſecundum naturam: quæ cum ad totum hominem reſpexerit, facile inde concludi poteſt, qualis inde larva ſanctitatis, continentiæ, temperantiæ exorta ſit. Denique Epicurus temperantiam & ſobrietatem commendaturus, non eam propter ſe, ſed propter voluptatem, animique pacis & corporis indolentiam teſte CICERONE *de fin. l. I. c.* 19. appetendam diſerte aſſerit. Inter recentiores indignam virtutis nomine ideam de temperantia formavit MICH. MONTAGNE *in tentam. L. III. c. ult.* notatus hinc merito ab ESPRIT *de falſa virtute P. II. c.* 3. *p.* 26. *ſeq.* add. B. BVDDEVS *theol. moral. P. I. c. I. Sect. IV.* §. 62. *p.* 121. qui de hac virtutis larva luculenter dixit. Quæ de temperantia dicta ſunt, ad caſtitatem facili negotio applicari poſſunt, cum ſpeciem ſaltem temperantiæ conſtituat.

dum (*f*),

dum (*f*), continentem (*g*), providumque cum animi tum corporis bonorum curatorem (*h*).

§. VII. Tandem juſtitiam quoque tam expletricem, quam vocant, & quæ perfectæ obligationis eſt, quam attributricem, & quæ imperfecta nititur obligatione, quæque alio nomine charitas dici conſuevit (*i*); imitari conatur falſa virtus; dum externam legis obligationem recipiens officio quidem fungitur, at ſuo commodo, ſua gloria ducta, & huc omnem reliquarum virtutum ex conditione hominum abſoluta *circa juſtitiam.*

(*f*) Linguæ & factorum verecundiam multi propterea amant, quia vel lucri vel honoris ſui intereſt ita videri, ne ſcilicet muneris rationem lædant, vel ab aliis rideantur & culpentur. Hinc ARISTOTELI verecundia eſt *ignominia vel dedecoris timor, Ethic. l. IV. c. ult.* & *Rhetor. l. II. c.* 62. Aliis pudor ideo placet, quia pulchrum illis videtur erubeſcere; alii ob gaudii magnitudinem rubore ſuffunduntur. Sed hiſce prolixius inhærere hujus loci & inſtituti non eſt. Maxime ob captandam auctoritatis & venerationis auram apud plebem verecundiam a multis adhiberi, exemplis innumeris probat orbis vetus & recentior, & notabili exemplo illuſtrat Pythagoras, de cujus affectata verecundia nonnulla monuimus *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1018. Conferendus qui & de hac falſa virtute ex inſtituto egit laudatus ESPRIT *l. c. P. II. ch.* 8. *p.* 65. *ſeqq.* add. IOANN. PLACETTE *de l' orgueil. ch.* 25. *p.* 148. *ſeq.*

(*g*) Hæc continentia partim in neglectu divitiarum, partim in neglectu injuriarum & malorum eorumque patienti tolerantia ſe exerit, eoque gravius & ſpecioſius decipit, quo major veræ virtutis proprietas eſt, pecuniam & vindictam negligere. In Epaminonda hanc abſtinentiam laudat CORNELIVS NEPOS *l. XV. c.* 4. Secta imprimis Cynica hac virtute ſuperbiebat, quod pluribus exemplis probat DIOG. LAERTIVS. Quam tamen facile detegere licet, ſi veram Cyniſmi faciem, qualem pulcherrime EPICTETVS apud ARRIAN. *diſſ. epict. l. III. c.* 22. depinxit, cum Cynicorum abſtinentia comparaveris. Ambitionis eam œſtro percitos divitias & injurias neglexiſſe jam olim objectum eſt. Conf. ESPRIT *l. c. ch.* 20. *p.* 127. *ſeq.* & BVDDEVS *in Dial. de moribus philoſophorum.*

(*h*) Hinc labores & pericula ferre, rerum ſuarum tuendarum gratia urget hæc pſeudo-virtus, vel ambitione, vel avaritia ducta. conf. ERASM. IO. BROCHMAND. *in Specim. Ethic. Hiſtor. c. IIX. n.* 5.

(*i*) Vid. HVGO GROTIVS *de I. B. & P. c. XVII.* §. 4. & *Commentat. ad h. l.* it. *L. III. c.* 13. §. 4. *n.* 1. aliique.

luta (*k*) & hypothetica derivandarum larvam in ea deprehendendam referas.

Falſitatis detectio. §. VIII. Deſcripſimus hactenus larvam falſæ virtutis, & qua ratione veram virtutis faciem præ ſe ferat, pro inſtituti ratione expoſuimus. Supereſt jam, ut etiam ipſas ejus fallacias detegamus, & oſtendamus, qua ratione a vera virtute differat. Quibus expoſitis facile erit, potiores enarrare cauſſas, quæ homines in dijudicandis virtutibus agunt præcipites.

ex fundamento. §. IX. Fundamentum falſæ virtutis ex ipſo infinito deſiderio uniendi ſe cum bono ſummo derivandum eſt, ſed ratione ordinis & operationis perverſo, inordinato, & corrupto, ubi pro infinito bono, quod Deus eſt, ſubſtituitur finitum, homo ſcilicet ipſe. Adeoque φιλαυτία & inordinatus ſui amor recte pro principio & fundamento falſæ virtutis venditatur.

ex fontibus. §. X. Hic vero inordinatus ſui, velut ultimi finis, amor cum in tres propagines ſe dividat, & in tria vitia cardinalia, quæ quidem ſub boni apparentis ſpecie homini imponunt, abeat, avaritiam, ambitionem, & voluptatem, quod a philoſophis evictum & demonſtratum hic ſupponimus; (*l*) ratio patet cur ex

(*k*) Ad hanc pertinent juſtitia expletiva, fides, æſtumatio alterius, grati animi ſignificatio, miſericordia, humanitas, probitas &c. ad hypotheticam referri debent obſervantia erga parentes & ſuperiores, veritas in ſermone, clementia principum, fidelitas ſubditorum, fides conjugum, & quæ ſunt alia, quæ omnia falſa virtus ſpecioſe imitatur, & de quibus ſingulis dicere nimis noſtros eſſet excurrere limites. Quotidiana hæc diſcuntur experientia, quæ, ubi ſincera modo mente agamus, accurate nos de fallacia virtutis humanæ erudiet. Ex dictis quoque & dicendis adhuc omnis ejus larva detegi facile poteſt. Prolixiora qui cupit, adeat laudatum aliquoties ESPRIT *libro adducto*, qui hoc argumentum eundo per ſingulas pſeudo-virtutis ſpecies luculenter deduxit.

(*l*) Vid. Illuſtris CHRISTIAN. THOMASIVS *in Pr. Eth. c. VI. p.* 157. *ſeq.* & ſumme rev. D. IO. FR. BVDDEVS *in Inſtitut. Theol. mor. P. I. c. I. Sect.* 4. §. 43. *p.* 111. *ſeqq.* & quos laudat.

ex his fontibus (*m*) omnis (*n*) falſa virtus ſit deducenda.

§. XI. Hæ

(*m*) Poſſet hoc per omnes falſæ virtutis ſpecies eundo demonſtrari, niſi noſtro inſtituto eſſet prolixius. Pauca delibaſſe ſufficiat. Hominem avarum eſſe diligentiæ, laboris, ſubjectionis patientiſſimum, voluptatis eſſe contemtorem, ſcire parcere bonis, eaque tueri, ex ipſa quam de avaro habemus idea cognoſcitur, quippe quæ hominem in ſervanda bonorum copia requiem & felicitatem quærentem indicat, quique adeo omnia ea ſuſcipit, quæ ad imaginarium hoc ſummum bonum aliquid conferunt. Nec contradicit experientia. Graphice avaritiæ hanc laborum improborum tolerantiam deſcribit MARCELL. PALINGENIVS *in Zodiaco vitæ L. II. p. m.* 25. Voluptati qui litat, in eaque veram animi quietem ex poſſeſſione boni ortam quærit, manſuetudinis, amicitiæ, miſericordiæ, officioſi animi, aliarumque virtutum ſpeciem haud unam oſtendit, ideo ſaltem, quod ad finem ſuum talia conferre aliquid ſibi perſuadet. Ambitionis tandem œſtro percitus temperantiæ, laborum tolerantiæ, fortitudinis, conſtantis & magni animi & egregiarum virtutum quarumcunque fumum vendit, ex eo tantum fine hiſce deditus, quia ad ὑπεροχὴν & elatioris animi faſtigium, ſummum illi bonum facere videntur. Quo etiam virtus illa heroica tot laudibus decantata referenda eſt. Ejusmodi falſæ virtutis ſpecies ex ambitione derivandas in Catilina notavit SALLVSTIVS *de bello Catilin. c.* 5. Neque tamen ex uno ſolum fonte, ſed & ex duobus, quin tribus iis inter ſe junctis, ſplendida hæc vitia deducenda ſunt. Cum enim in quovis homine tres illæ propenſiones animi ſe exerant, & gradu tantum differant, ex eo etiam vitiorum quædam modificatio exurgit, cujus pravitatem, quia nimis latet, plerumque pro virtute veneramur. Ita ubi voluptas cum ambitione conjuncta eſt, illa hanc ita moderabitur, ut elatioris animi intolerabilis alias ſuperbia, ſuavi & humana quadam benignitate miſceatur, & ad gravitatem animi declinet, quæ virtus in heroibus majeſtatem cum clementia conjungentibus commendari ſolet. Et ex duabus quoque hiſce scaturiginibus gloria & voluptate animi omnem fere gentilium virtutem fuiſſe ortam recte obſervat cel. SAMVEL WERENFELS. *in medit de incitam. ad virtut. Sect. I. Opp. Theol. p.* 140. *ſeq.* Multa ſobrie hanc in rem monet EPICTETVS in *enchiridio*, & luculento commentario expoſuit SIMPLICIVS.

(*n*) Quibus tamen falſum intellectus judicium non plane excluditur, ſed ideo potius ſubintelligitur, quia tum ex errore intellectus circa boni naturam, & præſtantiam atque gradus voluntas in dirigenda ejus inclinatione in verum tramitem flecti non poteſt, quo pacto inter cauſſas pſeudo-virtutis antecedit intellectus corruptio: tum intellectus a voluntate hiſce vitiis cardinalibus inquinata determinatur, ad dijudicanda ita ob-

& corporis diſpoſitione. §. XI. Hæ pravæ animæ propenſiones, quæ fontes falſarum virtutum conſtituunt, pro corporis (*o*), ſanguinis & ſpirituum animalium conſtitutione & conditione, quam temperamentum corporis (*p*) vocamus,

jecta, uti pravæ propenſioni convenit. Hinc præjudicia & omnis generis paralogiſmi & falſa ratiocinia ex mala voluntatis indole ejusque in intellectum imperio & determinatione derivanda. Vidit id, & eleganti fabula expreſſit ſapientiſſimus Cebes, cujus tabula inter præſtantiſſima veteris philoſophiæ κειμήλια referri debet, & omnium luculentiſſime falſæ virtutis, ingenio, cupiditate, præjudiciis, temperamento, conſuetudine exemplis &c. corruptæ imaginem ſiſtit, digna quæ ad materiam de falſa virtute illuſtrandam advocetur, & cum dictis comparetur. Ex recentioribus eleganter de hac re laudatus ſæpius ESPRIT *l. c. l. II. ch.* 8. *p.* 66. *Il y a*, inquit, *fort peu des gens, en qui la raiſon raiſonne elle ſeule; & que la plus part raiſonnent avec leur temperament, leur éducation, leur imagination, leurs préoccupations, leur paſſions, & avec deferance qu'ils ont pour ceux, qu'ils eſtiment. Par le temperament les uns aiment des opinions extrêmes & les autres aiment les douces & moderées. Par l' education, chacun s' attache à celles, qu' on lui a enſeignées, qui ſont pour l'ordinaire auſſi differentes, qu'il y a de precepteurs differens. L'imagination trompe tous ceux, qui ſe ſervent d'elle, & leur fait prendre ſes viſions pour des penſées ſolides. Les préoccupations ferment l' ésprit, & le mettent dans une impoſſibilité morale d' avoir d' autres vuës. Les paſſions corrompent le jugement; & la deference la ſoûmet à celui des autres.* Conferenda quoque ſunt, quæ de hac re erudite dixit IOAN. LOCKIUS *de la conduite de l' Eſprit dans la recherche de la verité* §. 14. *dans les Oeuvres diverſes p.* 222. *ſeqq.*

(*o*) Supponitur itaque illa animæ corruptio ante incommoda ex corpore ad illam redundantia, eorumque merito rejicitur error, qui ex ſolius corporis inordinatis motibus & natura materiæ omnem animæ labem derivant, quod poſt veteres philoſophos Pythagoricos, Platonicosque recentiores, (nam ipſe Plato animæ lapſum ante ingreſſum in corpus poſuit, quamvis in eo ſibi contrarius, quod mali & ἀταξίας omnis originem a materiæ inordinata, quam ſupponebat, jactatione derivabat, eamque ipſam etiam mundi animam ex parte inquinaſſe ſtatuebat) Stoicos, recentiores fecere haud pauci, a philoſophis & theologis paſſim caſtigati.

(*p*) Prolixe & ex inſtituto hoc a veteribus & recentioribus philoſophis demonſtratum eſt, quorum ſententias ex inſtituto enarrat & explicat IACOB. CAROL. SPENER *in diſſertatione, qua hiſtoriam doctrinæ de temperamentis* exhibet Veterum traditis plerumque inſiſtit SCIPIO CLARAMONTIUS

camus, vel augentur, (*q*) vel minuuntur, & ita modificantur (*r*), ut inde novæ cauſæ virtutum apparentium prodeant.

§. XII. Accedunt cauſſæ morales, educatio, converſatio, imitatio, & conſuetudo. Per educationem (*s*) enim eminentior ſæpe vitiorum vis ſubigitur, animusque *tum cauſſis moralibus*

de conjecturandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus. Accuratius in hoc argumento verſatus eſt illuſtr. CHR. THOMASIVS cum *in introduct. in phil. mor. P. I. c. 2. ſect. 3. § 10. ſeqq.* tum in pec. tr. *von der Wiſſenſchafft das Verborgene der Menſchen Gemüther zu erkennen.* Conferendi ſunt, qui haud fruſtra in eodem campo deſudarunt BVDDEVS *in elem. philoſ. pract. P. I c. 2. ſect. 3. §. 10. ſeqq.* & NIC. HIERON. GVNDLING. *in via ad veritat. moralem c. 15. p. 93. ſeqq.* & recentiores moralis doctrinæ magiſtri fere omnes.

(*q*) Probabilius videtur, animam ante inclinationes motuum corporis jam diverſis gaudere propenſionibus, quam omnem propenſionis diverſitatem a corpore derivari. Ejusque ratio inter alia & inde conſtat, quia in primis humanæ voluntatis motibus, qui volitionis nomine veniunt, & qui ſine dubio a corporis commercio immunes ſunt, talis propenſionum diverſitas invenitur. Ipſa quoque propenſionum humanarum diverſitas ex diverſitate objectorum ab intellectu voluntati ſub boni ſpecie commendatorum potiſſimum oritur; itaque prout rationes intellectus bonum aliquod commendant, ita ſequi propenſionem certum eſt. Illud cum varia ratione vel honoris, vel utilitatis, vel jucunditatis reſpectu fieri poſſit, negandum minime eſſe videtur, eſſe in ipſa anima antecedenter ad corpus ejusmodi propenſiones. Tacemus eos, qui harmoniæ præſtabilitæ hypotheſin ſequuntur, qui neceſſario propenſionum iſtarum diverſitatem ab anima ſola ejusque determinationibus derivare neceſſe habent. Conf. SYRBIVS *in inſtit. philoſ. primæ P. I. c. 3. §. 19. ſeq. p. 67. ſeqq.*

(*r*) Cujus rei ratio inde potiſſimum deducenda eſt, non quia anima ad motus corporis fovendos & dirigendos ex fœdere, quod inter ipſam & corpus ſapientiſſimus conditor fecit, admodum prona eſt, ſed quia in corruptionis ſtatu plus juſto ad motus corporis augendos & inordinato modo fovendos inclinat. Adeoque omne malum, quod ex corpore in animam redundat, non naturali illi fœderi, ſed exceſſui propenſionis animæ in corpus adſcribendum eſt. Conf. cel. Dn. SYRBIVS *l. c. §. 20. p. 69. ſeqq.* & NIC. MALEBRANCHE *de la recherche de la verité l. V. ch. 2. ſeqq. T. II. p. m. 9. ſeqq.*

(*s*) Illuſtrari hæc poſſunt illis, quæ de hac re dixit NIC. MALEBRANCHE *l. c. l. II. P. c. I. c. 8. T. I. p. m. 168. ſeqq.*

(*t*) Conf.

muſque ad rectiora formatur, quo fit, ut vitium naturali animi & corporis conſtitutione formatum ſub eleganti virtutis ſpecie decipiat. Converſatio & imitatio (*t*) plerumque ad aliorum, quos præſtantiores, adeoque etiam virtuti deditos judicamus, exemplum nos componit, hinc eminentes vitiorum gradus fugere, & ſub dulci hypocriſi anguem in herba occultare diſcimus. Quibus ſi acceſſerit conſuetudo, ita ſubtilis hæc vitiorum ſeges effloreſcit, ut difficulter homines eo adigi poſſint, ut falſas has virtutes ſincere agnoſcant & detegant.

rebusque externis. §. XIII. Tandem etiam res externæ (*u*) occaſionem homini præbent, ſub honeſto virtutis pallio vitium occultandi. Plerumque enim vitæ rationes ita inimus, ut dignitati, exiſtimationi, tempori, loco, muneri, amicis, divitiis, vel paupertati, quæ nos premit, verbo, omnibus externarum rerum circumſtantiis reſpondeant. Quo facile fieri poteſt, ut externa ejuſmodi ratione coacti virtutis perſonam induamus, & in ipſo tamen animo latitans foveamus vitium.

§. XIV. Oſtendimus hactenus cauſſas, origines & occaſiones falſæ virtutis, & collegimus inde, eſſe illam inordinatum ſui amorem, vel potius inordinatam adeoque falſam in infinitum bonum propenſionem, externa ſpecie & actione veram virtutem mentientem. Iam characteres quoque delineandi ſunt, quibus a vera virtute dignoſcatur. Ii characteribus veræ virtutis e diametro ſunt oppoſiti, adeoque ex deſcriptione indolis ejus facile erui poſſunt. Eſt ſcilicet falſa virtus

(*t*) Conf. MALEBRANCHE *L. c. P. III. c. I. p. m. 236. ſeqq.*

(*u*) Ita v. c. homo nobilis magnanimitatem & benignitatem, pauper ſobrietatem fugamque ſuperbiæ, dives beneficentiam, ſacerdos pietatem &c. ſimulabit licet *φιλαυτίᾳ* ſola ducti. Sacris feſtisque temporibus devotum animum, adverſis fatis urgentibus precum ardorem, accepto beneficio gratum animum, & quæ ſunt reliqua, ſimulabunt plurimi, licet vel voluptatis vel amoris lucri ſoli ſint fructus.

virtus non perpetua (*x*), ſed mutata boni ad ſe relatione, & ſublato ita proprii amoris fundamento evaneſcit. Non eſt ordinata, quia bonum finitum infinito, & inter finita minus bonum majori præfert. Non renuit omnia, quæ ex omni parte fini adverſantur, ſed cum in uno cum eo conveniat, in aliis ab illo differt (*y*). Porro non eſt una, id eſt eadem conſtansque propenſio in unum finem, ſed mox in hunc mox in illum finem variando fertur (*z*). Tandem non ex poſſeſſione boni, & quia finem aſſecuta

 eſt,

(*x*) Dum enim mens infinito boni deſiderio acta requiem ex infiniti boni poſſeſſione oriundam quærit in bonis finitis, iis vero ita non exſatiatur, ut eam inveniat, alios quærat fines objectivos neceſſe eſt, unde in uno perpetua eſſe nequit. Et hinc illa veræ pacis & tranquillitatis inopia apud homines falſa virtute per bonorum putatitiorum campos miſere jactatos. Quamvis enim ea tranquillitas adeo omnem virtutis fructum & felicitatem exhibere philoſophis viſa ſit, ut ad hanc ἀταραξίαν & indolentiam ſive tranquillitatem & Pyrrho, & Ariſtippus, & Zeno, & Epicurus omnem ſuam philoſophiam reſpicere juſſerint, attamen cum oſtendere non potuerint, in quo mentis deſiderium perpetuo quieſcat, fruſtra fuerunt, ſuoque ſcopo exciderunt. Aliter quidem & paulo magis ſobrie Pythagoras & Plato, quid ad Dei aſſimilationem virtutis ſcopum referentes in conſtanti & durabili objecto ejus finem poſuerunt. Aſt dum enthuſiaſmo intellectum corruperint, falſumque medium commendaverint, hunc virtutis ſcopum, quomodo mens attingere poſſit, oſtendere non potuerunt.

(*y*) Nam ea ſolum in bono finito ſectatur, quæ ſpeciem boni ad ſe relati habent; reliqua vero, quæ relationem ad ſuam propenſionem ejusque ſpecies non habent, non ſolum ex natura ſua non curat, ſed & iis oppoſita anhelat, amat, exequitur. Probatur id per experientiam: homo enim ex una parte temperans, ſimul eſt ſuperbus, immoriger, contemtor Dei & hominum, iracundus, immiſericors, & ſic in aliis quoque. Quin audax, ſobrius, continens, interdum ceſſante ratione impellente erit timidus, ebrius, incontinens. Cujus rei ratio præter alia etiam ex diverſis φιλαυτίας ſpeciebus in una voluntate derivanda eſt.

(*z*) Ita etiam CARTESIVS *loco ſupra cit. virtutes*, inquit, *apparentes ab invicem diverſæ ſunt, ut etiam diverſis nominibus deſignantur.* Vidit id PLATO, qui ideo recte monuit, neminem poſſe prudentem eſſe, qui ſit aut intemperans aut timidus, *in Protag. T. I. p. 345.*

eſt, fluit, ſed a miſeris hominibus pro inſtrumento felicitatis adquirendæ habetur.

Cauſſa cur alii a pſeudo-virtutibus decipiantur.

§. XV. Cauſſæ jam, cur homines vitia aliorum pro virtutibus habeant, obſcuræ eſſe nequeunt. Primaria eſt externa earum cum virtutis veræ actionibus & cum lege convenientia, & internæ propenſionis ad legitimum finem in alterius voluntate ignorantia. Augetur ea, quia per falſam virtutem vitiorum exceſſus ita minuuntur, ut ſubtiliori ſpecie lateant, & ſublata videantur, & hinc virtutum nanciſcantur nomina (*aa*). Accedit utilitas interdum ad ſocietatem humanam ex iis redundans, licet Numinis honori & gloriæ non ſit ſubordinata. Quæ omnia judicandi imbecillitate, levitate, & præjudiciis, itemque quod ipſi falſæ virtuti operam damus, augentur. Nam ita plerumque alios judicamus, ut ipſi nobis videmur. Quod vero in nobis ipſis falſam virtutem difficulter cognoſcamus, præter ignorantiam doctrinæ de vera virtute, philavtiæ ſi non omnis, potior tamen cauſſa adſcribenda eſt.

(*aa*) Conf. CARTESIVS *in epiſtola ſupra laudata.* Apposite SOCRATES apud PLATONEM *in Alcibiad. II. Opp. T. II. p.* 140. Τοὺς πλεῖςον μέρος τῆς ἀφροσύνης ἔχοντας, μαινομένους καλῦμεν, τοὺς δ' ὀλίγον ἔλαττον, ἠλιθίους τε καὶ ἐμβροντήτους. Οἱ δὲ εὐφημοτάτοις ὀνόμασι βυλόμενοι κατονομάζειν, οἱ μὲν μεγαλοψύχους, οἱ δὲ εὐήθεις. Εὑρήσεις δὲ καὶ ἕτερα πολλὰ ἀναζητῶν ὀνόματα, πάντα δὲ ταῦτα ἀφροσύνη ἐςί. Quæ ita vertit SERRANVS. *Qui maximam inſipientiæ partem circumferunt, inſanos appellamus. Qui minus habent inſipientiæ, ſtolidos & attonitos. Qui vero ſpecioſiſſimis honeſtiſſimisque vocabulis eosdem volunt appellare, quosdam magnanimos, quosdam ſimplices & minime malos, & rerum imperitos, & infantes atque elingues. Multa autem ejusmodi vocabula invenies, quibus omnibus inſipientia illa deſignatur.*

CAP. III.

CAP. III.

De virtute Alexandri Magni.

§. I.

Ordinis ratio.

DIximus hactenus de vera falſaque virtute, ejusque ex ipſius naturæ humanæ conſideratione deduximus & contemplati ſumus indolem. Supereſt, ut etiam in exemplo quodam illuſtri ſpecioſas falſæ virtutis fallacias oſtendamus, & monſtremus, etiam ſplendidiſſimas ſæpe virtutes nihil eſſe niſi ſubtiliora quidem, gravia tamen, ſi rem recte æſtumaveris, vitia.

falſa virtus frequens.

§. II. Multa vero, quin innumera ejusmodi ſpecimina inter eos, qui clariori luce deſtituti, a veritatis via in ſtultitia mentis ſuæ aberrarunt, gentiles ſapientiores, vel honeſtiores potius deprehendimus. Quidquid enim virtutis Plato, Cicero, Cato, Cæſar, Atticus aliique (*a*) præ ſe tulerunt, ſi ſecundum veram virtutis regulam examinabitur, decipiens ſaltem erit larva, vitiumque ſplendidum.

maxime propter eam illuſtris Alexander M.

§. III. Neminem tamen ex omnibus antiquitatis exemplis, quæ hiſtoria nobis tradit, rem magis illuſtrare, & falſam virtutem ſpecioſius oſtendere quam Alexandrum (*b*), qui a rerum geſtarum amplitudine

(*a*) Vid. B. BUDDEUS *Dial. de moribus philoſophorum.*

(*b*) Conſentiunt omnes, qui vitam moresque Alexandri paulo curatius perſpexerunt. Illius enim vitam virtutibus an vitiis majorem dicant, dubitant ſcriptores. In hoc vero negotio aliquot viri eruditi jam verſati ſunt. Inter veteres hiſtoricos plurimi, haud uno loco mores illius laudandos pariter ac caſtigandos animadverterunt, ut in dicendis exponetur. Imprimis in eo totus eſt Q. CURTIUS RUFUS *X.* 5. IUSTINUS *IX.* 8. & qui primo loco nominandus erat PLUTARCHUS in libro *de Alexandri vita* & duabus orationibus, *de fortuna vel virtute Alexandri.* Ex recentioribus CHRISTIANUS FRIDERICUS FRANCKENSTEIN edidit *exercitationem de Alexandro virtutibus & vitiis claro Lipſiæ* 1674. nobis tamen hactenus non obviam. CHRISTOPHORUS item CELLARIUS, Germanorum inſigne decus, *diſſertationem de virtutibus & vitiis Alexandri Magni* Curtio a ſe Lipſiæ 1696. edito præmiſit. Alios qui

Magnus dictus eſt, ex præſenti tractatione erit manifeſtum. Eam vero ita ſuſcipiemus, ut primo quidem ex ſcriptoribus (*c*) vitæ rerumque geſtarum Alexandri Magni oſtendamus egregiam, quam mentitus erat, virtutis ſpeciem; deinde vero cauſſas & fundamentum harum actionum indagemus, & larvas pſeudo-virtutibus hiſce detrahamus.

vel ſecundum præcepta politica, vel monumenta hiſtorica vitam ejus conſiderarunt, hic prætermittimus. Illi tamen cum variam virtutis ideam in expendendis Alexandri moribus attulerint, tantum abeſt, ut hanc operam reddant otioſam, ut nobis potius ſpicilegii ſatis ſuperſit, genuinam virtutis faciem a fallaci larva in Alexandro diſcernendi.

(*c*) Sicut Alexandri Magni res geſtæ amplitudine omnes ſuperarunt, ita quoque haud exiguus eorum eſt numerus, qui ſcriptis eas proſecuti ſunt. Inter illos, qui ipſum regem ſecuti teſtes fuere *αὐτόπται*, eminent PTOLEMAEVS LAGI & ARISTOBVLVS, quorum narrationes tanti fecit ARRIANVS, ut in deſcribenda Alexandri hiſtoria ipſos præ aliis autores ſequi decreverit, *init. hiſtor. Alex exped.* Poſterioris quoque ſæpe meminit PLVTARCHVS *in Alex.* STRABO, LVCIANVS, & alii, vid. GER. IO. VOSSIVS *de hiſtoricis græcis L. I. c. X p.* 54. *ſeq.* Prioris vero idem PLVTARCHVS, PLINIVS, alii vid. VOSSIVS *l. c. p.* 60 *ſ.* qui etiam plures ibi hiſtoricos antiquiores huc pertinentes enarrat, quorum vero vix aliqua deprehenduntur veſtigia. Ex iis, quorum monumenta ſuperſunt, primus ſe offert DIODORVS SICVLVS, qui *in bibliotheca hiſtorica*, quam per multos annos non ſine magno labore confecit, *L. XVII.* res Alexandri enarrat. Ceterum de ejus auctoritate in diverſas abeunt ſententias eruditi. Quod ſi enim LVDOVICVM VIVEM *de cauſſis corrupt. art. L. II. p.* 155. audiamus, nihil hoc hiſtorico eſt nugacius. HENRICVS STEPHANVS vero eum inter omnes hiſtoricos tantum eminere, quantum ſolis lumen inter ſtellas aſſerit, & VIVI quoque reſpondet *in tr. de Diodoro.* Plura de eo dixit GER. IO. VOSSIVS *l. c. L. II. c.* 2. *p.* 166. *ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS *in bibliotheca graca L. III. c.* 31. *p.* 769. *ſeqq.* & qui eruditorum de eo judicia collegit THOMAS POPE-BLOVNT *in cenſura celebr. autor. p. m.* 62. *ſeqq.* DIODORO jungendus eſt FLAVIVS ARRIANVS, qui inter alia reliquit etiam *hiſtoriarum de expeditione Alexandri Libros VII.* quos Attica dialecto conſignavit. Huic hiſtorico veritatis laus ab accuratis criticis PHOTIO & COELIO RHODIGINO *Antiq. Lect. L. I. c.* 22. defertur, qui poſterior etiam obſervat, eum *φιλαλήθης* cognomine fuiſſe inſignitum. Ipſe ARRIANVS *L. I.* ob veritatis ſtudium ſibi primas inter hiſtoricos deferendas eſſe partes aſſerit.

rit. Conf. quos jam laudavimus VOSSIVS *l. c.* 11. *p.* 114. *ſeqq.* FABRICIVS *l. c. L. IV. c.* 8. *p.* 269. *ſeqq.* BLANCARDVS & GRONOVIVS ad hunc autorem, aliique. Nec minus de memoria Alexandri meruit, quem jam laudavimus PLVTARCHVS, qui præter ſupra dictas orationes, *vitam Alexandri ejusque dicta opportuna atque ſententias* recenſuit. Ex hiſtoricis Latinis his ſubjungimus IVSTINVM atque CVRTIVM, quorum ille res Philippi & Alexandri aliquot libris proſecutus eſt, breviter quidem atque ſtrictim, haud tamen indiligenter. Vid. IO. ALB. FABRICII *biblioth. Latin. L. III. c.* 3. *p.* 528. *ſeqq.* hic vero elegantiſſima oratione vitam & hiſtoriam Alexandri pertexuit. Dubia quidem a pluribus reddita eſt ejus auctoritas, cum eum quidam ad antiquiora tempora referre dubitarent, quin opus plane recens eſſe contenderent, vid. GER. IO. VOSSIVS *de hiſtoricis latin. L. I. c.* 28. *p.* 140. *ſeqq.* & quæ IO. FREINSHEMIVS & IO. ALBERT. FABRICIVS, ille in *prvleg. in Curtii comment.* hic *l. c. L. II. c.* 16. *p.* 140. *ſeqq.* prolixe de hac re commentati ſunt. Quin vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS *in arte crit. P. III. ſect.* 3. *tota p.* 395. *ſeqq.* in eo eſt totus, ut demonſtret, Curtium candidi hiſtorici partes minime occupaviſſe, ſed ideo ſelegiſſe tantum hiſtoriam Alexandri, ut in magnarum rerum narratione magnificam quoque orationem, tumidamque oſtentaret eloquentiam. De qua ſententia graves ei lites movit vir clariſſimus IACOBVS PERIZONIVS, cum *in notis ad Aelianum*, tum peculiari libro, cui titulum fecit: *Quintus Curtius Rufus reſtitutus in integrum & vindicatus Lugd. Bat.* 1703. ad quæ tamen CLERICVS reſpondit *in bibliotheca ſelecta T. III. p.* 171. *ſeqq.* Nos hanc litem noſtram non facimus, ſed hoc modo obſervamus, etſi non abſonum videtur, Curtium virum rhetorem ideo hiſtoriam Alexandri deſcribendam ſibi ſumſiſſe, ut eloquentiæ adipiſceretur laudem, nobis tamen non officere, quominus ad eum in hac tractatione provocemus. Nam ubi etiam concedimus, quod hunc ſibi prorſus propoſuerit finem, illud tamen negabit nemo, egregie illum hunc ſcopum fuiſſe aſſecutum, & veterum hiſtoricorum de Alexandro narrationes fido ſatis pede fuiſſe ſecutum, & ex hiſtoriæ quoque veritate ejus propenſiones, actionesque deſcripſiſſe. Maximum enim oratoris officium & virtus eſt, τὰ πάθη & indolem ejus, quem deſcribit, exprimere, cui etiam Curtium feciſſe ſatis aperte ejus opus oſtendit. Accedit itaque Curtio eo major auctoritas, ubi conſentientes habet reliquos hiſtoricos, qui majorem partem in hoc quidem momento cum eo conſpirant. Et hi potiores ſcriptores ſunt, ex iis, quos ſuperſtes ætas noſtra volvit, quibus addi poſſent plures, ſi numerum vel deperditis vel recentioribus augere placuiſſet. Catalogum eorum, qui res Alexandri vel ex inſtituto vel obiter nobis tradiderunt, cum ſuperſtites tum deperditos diligenter more ſuo recenſet IO. FREINSHEMIVS *in prolegom. ad Comment. Curtian.*

præ ſe ferens pietatem erga Deos §. IV. Inter virtutes, quarum ſpeciem præ ſe tulit Alexander, primum eminet pietas, deorumque ſedula cura ac veneratio, cui adeo deditus fuit, ut ſingulis diebus, & omni occaſione, quicquid etiam ſuſcipiebat, eos coleret, ſacrificia perageret, numina propitiaret, aras erigeret (*d*); accedit cultus eorum inter varias gentes ab eo promotus (*e*).

§. V. Iis

& poſt illum vir præſtantiſſimæ eruditionis IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui ex MATTH. RADERI *proluſionibus*, TH. REINESII *Ep.* 38. *ad Hofmannum*, FREINSHEMIO propriisque obſervationibus prolixum & accuratum horum ſcriptorum nobis dedit catalogum *in biblioth. græca L. III. c.* 8. *p.* 107. *ſeqq.*

(*d*) Teſtes ſunt hujus rei omnia monumenta, quæ de magno hoc orbis domitore loquuntur. Nam non ſolum Minervæ auguſtiſſimum templum extruere ſtatuit, teſte DIODORO *L. XVIII. c.* 4. verum etiam templum Dianæ, quod ab Heroſtrato incenſum Epheſii tum reſtaurabant, regia munificentia augere magnifice promiſit, modo nomen ſuum inſcriberent, quod tamen illi ab Epheſis negatum eſt, prout ex veterum hiſtoricorum ſuffragiis narrat IO. FREINSHEMIVS *in ſupplem. ad Curt. II.* 6. 32. *ſeqq.* Porro Helleſpontum trajiciens, felixque belli Perſici initium auſpicaturus, in mediis fluctibus Diis maris ſacra fecit, in continentem vero delatus, Jovi Ἀποβατηρίῳ, Minervæ & Herculi aras ſtruxit, teſte ARRIANO *L. I.* Paria fecit ad Ilium referente PLVTARCHO *in Alexandro p.* 547. Minervam vero ſingulari ſtudio & veneratione coluit, ei ludos celebravit, CVRTIVS *III.* 7. 4. aras conſecravit, apud EVNDEM *III.* 12. 27. *IIX.* 11. 24. cæcidit victimas *ibid. IIX.* 2. 32. conſentiente cum CVRTIO ARRIANO. Jovem pariter Victoriamque coluiſſe teſtatur IDEM *IV.* 13. 15. quin ſingulis diebus Alexandrum ſacrum Diis feciſſe autor eſt ARRIANVS *L. VII.* & PLVTARCH. *in Alexandro p.* 548. Ipſum vero ſacrificia peregiſſe prior refert *L. I* & *L. II.* Quantum honoris detulerit vatibus, teſtis eſt ARISTANDER, qui ſemper in caſtris & præliis regi adfuit, precibusque præivit *vid.* CVRTIVS *IV.* 15. 27. *IV.* 13. 15. Verum plura hic teſtimonia congerere in re manifeſta opus haud eſt. Veſtigiis vero majorum parentisque ſtrenue inſtitit in pietate, Perſis quoque in hac parte ſuperior eſſe contendens. conf. IO. BAPTIST. CROPHIVS *in Antiquitat. Macedon. P. I.* §. 18. *p.* 34. *ſeqq.*

(*e*) Cujus teſtis eſt PLVTARCHVS, *qui Orat. I. de fortitud. vel virt. Alexandri* maxime ipſum eo nomine extollit, quod *Hyrcanos docuerit conjugiis uti, Sogdianis perſuaſerit, ut alerent non interficerent parentes, Perſas ut venerarentur non uxorum loco haberent matres, ut Indi Græcorum Deos colerent.* Quæ omnia

§. V. Iis virtutibus, quæ ad ipſum Alexandri animum ſpectant, animique pariter ac corporis providam curam innuunt, ita deditus fuit, ut ſingularem laudem inde meruerit (*f*). Fuiſſe enim temperantem (*g*), caſtum (*h*), continentemque, *ſanctitatem animi*

C 5

ad infanda ſcelera, religioni & pietati naturali imprimis adverſantia removenda fuere comparata. IDEM *Orat. II. de fort. vel virt. Alex.* eum Pericli præfert, quia magnam pecuniæ vim in Græciam miſerit, ut templa Diis inde ſacrificarentur. Addantur quæ de templo Epheſiorum ſupra diximus; conferaturque STRABO *L. XIII.*

(*f*) Paucis multa enarrat PLVTARCHVS *de fortit. vel virtut. Alex. Or. I.* ubi ita ex verſione GVIL. XYLANDRI: *Agedum actiones Alexandri num fortuitum caſum & vim bellicam ac manuum robur præ ſe ferunt? an vero multum fortitudinis & juſtitiæ, multum temperantiæ ac manſuetudinis cum decoro & prudentia ſobria ac ſapienti ratione omnia agentis?* In ſequentibus vero prolixus eſt, ut demonſtret, eum non unam ſed multas virtutes ſimul poſſediſſe junctas. Conferantur IVSTINVS *IX.* 8. & CVRTIVS *X.* 5.

(*g*) Temperantiæ egregium protulit teſtimonium PLVTARCH. *in Alex. p.* 584. & *Apophth. p.* 147. Cum enim Ada Cariæ Regina ei quotidie multa bellaria & cibos curioſiſſimo apparatos a cupediariis & coquis artificio ſtudio quodam oſtentandi mitteret, reſpondit ei: *Nihil his ſibi eſſe opus, meliores ſe habere coquos a pædagogo Leonida donatos, ad prandium iter antelucanum, ad cœnam anguſtum prandium.* Hac regis temperantia illuſtri exemplo incitati milites Macedonici eadem frugalitate fuere uſi. Teſtis eſt inimicus Alexandro *Charidemus* apud CVRTIVM *III.* 2. 15. qui ita ad Darium de phalange: *Fatigatis humus cubile eſt, cibus, quem occupant, ſatiat, tempora ſomni arctiora ſunt, quam noctis.* Ipſum vero Alexandrum accepto pane in itinere cum amicis ambulantem veſci ſolitum refert FRONTIN. *Stratagem. IV.* 3. 9. & iisdem, quo milites, cibis vixiſſe ARRIANVS *L. VI.* ubi Alexander ipſe ad milites, *ſe vilioribus*, inquit, *uti cibis quam illos.* Pari temperantia utebatur in veſtitu, civili habitu ex diſciplina moribusque patriis Macedonum regum ſalubriter temperato, ut loquitur CVRTIVS *VI.* 6. 2. conf. *III.* 5. 2. Et licet Perſicam, quam poſtea ſumſit, veſtem exprobret CVRTIVS *l. c.* moderationis in ſuperbiam mutatæ exemplum daturus, in ea ipſa tamen temperantem & moderatum quærit animum PLVTARCH. *de virt. Alex. Or. I. p.* 463. quod non Medicum adſciverit veſtitum, ſed Perſicum, multo quam eſt Medicus viliorem.

(*h*) Multa caſtitatis & continentiæ documenta dedit Alexander. Cum aliquando nocte jam facta puellam adducerent,

temque, magnanimum (*i*), fortem (*k*), conſtantem,

& illa quærenti cur tam ſero veniret, reſponderet, ſe ſomnum mariti expectaviſſe, valde increpabat miniſtros, quod illorum culpa fere adulter factus eſſet, referente PLVTARCHO *in apophth. p.* 174. Illuſtre imprimis caſtitatis exemplum dedit in ſervatis ſanctiſſime fœminis captivis Perſicis, conjuge & filiabus Darii, formæ pulchritudine omnes ſuperantibus. *Eas enim ita ſancte babuit, ut non in boſtium caſtris, verum in ſacris Veſtæ templis ſervatæ viderentur*, ut loquitur PLVTARCH. *in Alex. p.* 547. &, quæ CVRTII *III.* 12. 21. vox eſt, *quaſi ex ipſo genitæ eſſent.* Adeo vero eas non violavit, ut ſummam potius adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet, teſte CVRTIO *l. c.* Quæ animi continentia ita omnium venerationem meruit, ut ipſe Darius cognita ea Deos remuneratores imploraret, quod refert PLVTARCH. *de virt. Alex. Or. II. p.* 420. & CVRTIVS *IV.* 10. 34.

(*i*) Magni animi plurima teſtimonia de Alexandro retulit PLVTARCH. qui *de virt. Alex. Or. I. p.* 462. ita: *Quis unquam majoribus & pulchrioribus inſtructus rei gerendæ occaſionibus ad bellum profectus eſt; magnanimitate inquam, prudentia, temperantia, fortitudine? quibus eum viaticis philoſophia ad expeditionem inſtruxit. Or. II. p.* 473. vero eum magnanimitate cum Cyro comparat. Illam autem regia indole dignam jam in juventute oſtendit. Victorias enim patris Philippi relatas ingemebundus & illachrymans audivit, omnia ſibi præripi glorioſæ virtutis facta queſtus vid. PLVT. *in Alex. p.* 141. Et profecto tota ipſius vita, quanta animi magnitudine vixerit, teſtis, & tantos exercitus aggredi, tam vaſtas regiones adire, ipſam naturam expugnare, non niſi ingentis animi, regiæque indolis indicium eſt. Referri huc etiam poteſt divitiarum & munerum neglectus, qui fecit, ut magnifica Darii promiſſa, & conſilium Parmenionis ſuadentis, ut pro magna auri copia captivas regias Dario redderet, indignabundus rejiceret, addens: *fortunam ſe non vendere, captivas vero ſi placet reddi, boneſtius dono ſe daturum, quam precio remiſſurum.* vid. CVRTIVS *IV.* 11. 14. PLVTARCHVS *apophth. p.* 174. ARRIAN. *L. II.* & DIODOR. SICVL. *L. XVII.* Plura non addo, cum, quæ inferius de Alexandro gloriæ cupido dicenda ſunt, hic quoque ſuo modo locum habeant. add. IVSTIN. *IX.* 8. 13.

(*k*) An fortiorem unquam viderit Græcia, tot fortiſſimorum heroum fœcunda genetrix Alexandro, dubium oriri poterit, ubi ingens vaſtiſſimi animi robur conſideratur. In prima adhuc juventute graviſſima bella ſuſcepit, urbes validiſſimas expugnavit, pericula quævis adiit, ut ex hiſtoricorum conſenſu refert FREINSHEMIVS *in ſupplement. ad Curt.* Bello vero Perſico ſuſcepto, quas non difficultates ſuperavit, exercitus ingentes fudit, loca inacceſſa expugnavit! Ingens numero erat &

tem (*l*), laboriſque patientiſſimum (*m*), ubique hiſtoria ejus teſtatur.

§. VI. Tandem & virtutibus in officiis erga alios videbatur deditiſſimus. Videas enim juſtitiam (*n*), pieta- *juſtitiam erga alios.*

fortitudine virorum exercitus Darii: diſpoſita ita acies, ut Alexandri exercitum circumire poſſet, falcati currus plurimi, milites fortiſſimi, qui dum cadebant in prælio, jacebant in ora proni, ſicut dimicantes procubuerant, adverſo corpore vulneribus acceptis, vid. CVRTIVS *III.* 11. 9. Hunc tamen exercitum, ipſo aſpectu horribilem, fortiſſimo animo aggreſſus eſt, ſuſtinuit, vicit. Omnia vero Alexandri enarrare fortitudinis ſpecimina, eſſet integram ejus hiſtoriam ſcribere. Totus in ea adſtruenda eſt PLVTARCH. *de fort. vel virt. Alex.* & CVRTIVS multis locis. Addatur IO. FREINSHEM. ad CVRTIVM *X.* 5. 27.

(*l*) Conſtantiæ luculentum dedit Alexander teſtimonium in expugnanda Tyro. Ibi non ſolum cum fortiſſimis Tyriis, verum etiam cum mari ventoque fruſtraneo labore erat pugnandum. Nec tamen regis animus frangi potuit, donec ipſam velut naturam vinceret. Prolixe rem narrat CVRTIVS *IV.* 2. *ſeqq.* & ARRIANVS *L. II.* qua animi conſtantia omnis generis labores & pericula pertulerit, mox dicetur.

(*m*) Laboris patientia in Alexandro erat maxima, quoniam ipſe nihil magis regium putabat, quam labores ſuſcipere, teſte PLVTARCHO *in Alex. p.* 555. Vitam huic ſententiæ egit parem. Cum enim interiorem & ad Septentrionem magis ſitam Perſidis partem peteret, & nivibus, ſqualore, & locorum ſolitudinibus exercitus tantum non ſupprimeretur, ipſe ex equo deſiliit, pedesque per nivem & concretam glaciem ingredi cepit, primusque dolabra glaciem perfringens, iter ſibi fecit, referente CVRTIO *V.* 6. 14. par exemplum eſt apud EVNDEM *VII* 3. 14. ubi non erubuit, pedes agmen circumire, jacentes quosdam erigere, & alios adminiculo corporis ſui excipere. *Add.* IDEM *IIX.* 4. hinc ille quoque ei laboris patientiam propemodum nimiam adſcribit, *X.* 5. 27. Plura ex Alexandrinæ hiſtoriæ monumentis hauriri poſſent, verum longior, ac noſtrum fert inſtitutum, fieret tractatio, & in re manifeſta pluribus exemplis opus non eſt.

(*n*) Juſtitiam probavit egregie Alexander, cum inſtante cum Perſis pugna ſalubre, ut videbatur, Parmenionis conſilium, ut noctu hoſtes opprimeret, rejiceret, indignabundus addens: *Latrunculorum & furum iſta ſolertia eſt, quam præcipitis mihi, quippe unicum illorum votum eſt, fallere.* vid. CVRTIVS *II.* 13. 8. Initio quoque regiminis in audiendis litibus & habendis judiciis capitalibus manum admovebat auri alteri, ut alteram reo audiendo ſervaret integram, ut notat PLVTARCH. *in Alex. p.* 555. Pari animi æquitate præfectos multarum gentium, nefandorum

pietatem erga parentes & præceptores (*o*), benignitatem, comitatem & humanitatem erga amicos (*p*), clemen-

ſcelerum reos puniri juſſit, ut autor eſt CVRTIVS *XI.* 1. *ſeqq.* ARRIAN. *L.VI.* IVSTIN. *XII.* 10. 3. DIODOR. SICVL. *L.XVII.* Magnam quidem injuſtitiæ & latrocinii ſpeciem Perſicum & Indicum præ ſe tulit bellum, de quo infra pluribus erit dicendum, multo tamen colore apud plures ſcriptores excuſatur, & defenditur. Ipſe Alexander totus in eo eſt, ut belli Perſici juſtitiam defendat, apud CVRTIVM *IV.* 1. 10. *ſeqq.* quin ſi DIODORO *L.XVII.* credendum, Darius Philippo ſuperſtite Macedonas impugnaturus erat, quem antevertere non adeo erat iniquum. Prolixe vero ex eo bella Alexandri excuſare contendit PLVTARCHVS *de virtute Alex. p.* 462. 463. *Quod feras barbarorum mentes ad honeſtam vivendi rationem ducere, &, quod verbis non poterat, armis perſuadere intenderit, ut in una republica feliciter eſt honeſtis moribus viverent.*

(*o*) Pietatem ejus erga parentes docet CVRTIVS *X.* 5. 30. eo potiſſimum argumento, quod Olympiam immortalitati conſecrare decreverit, Philippum ultus fuerit. conf. PLVTARCH. *in Alex. p.* 543. Quanto vero amore matrem ſororesque proſecutus fuerit, ex eo etiam patet, quod morbo correptum, & medicamenti vehementioris vi delinquentem matris ſororumque memoria revocare conaretur Philippus medicus, ut eſt apud CVRTIVM *III.* 6. 15. conf. FREINSHEM. *ad h. l.* Parem pietatem exhibuit matri Darii Syſigambi, cui & ipſi honores matri debitos defert apud CVRTIVM *V.* 2. 22. & Syſigambis, illo extincto, mortem ſibi ipſi conſcivit, quod pietatem filii in eo, quem ut hoſtem timuerat, experta eſſet, teſte IVSTINO *XIII.* 1. 5. 6. Præceptorum vero amorem oſtendit potiſſimum erga Ariſtotelem, nam ei non minus debere ſe profeſſus eſt, quam Philippo, cujus quippe munus fuerit, quod honeſte viveret. Præmium quoque inſtitutionis dedit præclarum & inſigne, Stagiram, patriam Ariſtotelis, quam exciderat, inſtauravit, civesque, qui in exilio aut ſervitute erant, reduxit domum, ludumque eis aſſignavit, teſte PLVTARCHO *in Alex. p.* 542. Studium vero Phyſices, in quod Ariſtoteles tum vehementer incumbebat, regia munificentia adjuvit, cujus teſtimonia vid. apud FREINSHEM. *Supplem. Curt. I.* 3. 5. *ſeqq.*

(*p*) Ita ſe erga amicos geſſit Alexander, ut commilito potius quam rex vel imperator videretur. Hinc patienter eorum audivit conſilia, de eorum ſalute proſpexit, literas ad eos dedit, ſeque humaniſſimum illis præbuit. Prolixe hoc deducit PLVTARCH. *in Alex. p.* 555. ubi inter alia ita: *Benefacta ejus minima in amicos ingentis fuere benevolentiæ & honoris, quem illis habebat ſignificationes, quorum pauca pertexam: Moleſtum ſibi eſſe mandavit per literas Peuceſtæ, morſum ab urſo ipſum, quod aliis*

clementiam erga victos (*q*), liberalitatem (*r*), & alias virtutes

ſcripſiſſet, ſibi non ſignificaſſet; at nunc certe, inquit, ſcribe, ut vales, & num qui te ſociorum in venatione deſeruerunt, ut pœnas dent. Cum Peuceſtas ex morbo quodam revaluiſſet, ad medicum Alexippum ſcripſit, agere ſe ei gratias. Cratero affecto, cum viſio eſſet per quietem oblata, & ipſe pro ſalute ejus ſacrificavit, & illum juſſit. Conferri poſſunt, quæ de auctoritate amicorum apud Alexandrum habet CVRTIVS *IX.* 6. 16. *ſeqq.* & *III.* 12. 16. & IVSTINVS *XIII.* 1. 10. *ſeqq.* Neque exigua fuit Alexandri in humandis occiſorum corporibus ſolertia, quæ non minimam humanitatis partem conſtituit. Teſtimonia multa invenies apud CVRTIVM, ARRIANVM, & DIODORVM, qui, quotiescunque vel leviſſimum prælium commiſſum narrat, milites ab Alexandro ſepultos addit, ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam inſigne & ſolenne eſſet munus, quam humandi ſuos, ſi fides CVRTIO *V.* 4. 3. Addantur, quos citat I. FREINSHEM. *ad h. l.* Quam comis & benignus erga milites fuerit, teſtis eſt ARRIANVS *l. l.* qui refert, *ſauciorum eum magnam habuiſſe curam, obeundo ſingulos, & vulnera inſpiciendo, & quomodo quisque ea accepiſſet interrogando.* Erga peregrinos eadem utebatur humanitate, imprimis erga gentium legatos, qui protinus admiſſi & conſidere juſſi ſunt, ut eſt apud CVRTIVM *VII.* 6. 6. & *VIII.* 8. 9. Et hanc quidem comitatem Græcorum literis & Macedonum inſtitutis didicerat, teſte IVSTINO *XI.* 11. 12. Macedonum enim regum maximum ſemper ſtudium fuit comitas & popularitas, Perſarum regum faſtui oppoſita, quod diverſis exemplis illuſtrat, quem ſupra laudavimus IO. BAPT. CROPHIVS *in Antiquit. Macedon. P. I. §.* 20. *p.* 39. *ſeqq.*

(*q*) Quanta clementia Alexander erga victos uſus ſit, hoc imprimis documento patet, quod eos, licet contumacius reſiſterent, tamen deditione facta in gratiam receperit, eisque omnia reſtituerit. Tanta vero ejus fuit miſericordia erga captas Perſarum fœminas, ut comperto mulierum errore, quæ Darium obiiſſe ratæ lugubri fletu illum deflebant, earum fortunæ & pietati illacrymaret narrante CVRTIO *III.* 12. 36. Mortem item uxoris Darii mœrore maximo, eo vero caſtiſſimo deploravit apud EVNDEM *IV.* 10. 20. *ſeq.* Clementiæ maximum etiam dedit ſpecimen in Poro, quem victum & vulneratum, curavit haud ſecus, ac ſi pro ipſo pugnaſſet, confirmatum in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliori regno quam tenuit, vid. CVRT. *IIX.* 14. 45. & IVSTIN. *XII.* 8. 7. Plura non addo, cum in hiſtoria Alexandrina ubivis exempla occurrant. Certe DIODORVS *L. XVII. in geſtis Alexandri nihil magis ſcripto & relatione dignum* affirmat, *quam maximam & abundantiſſimam gratiam.* add. CVRTIVS *V.* 13. 15.

(*r*) Liberalitati ita deditus fuit Rex, ut modum ſæpius excederet. Longum eſſet, omnia regiæ munificentiæ recitare

virtutes quasvis (*s*) paſſim in commentariis de ejus vita & geſtis commendare.

Origo virtutum Alex. M. §. VII. Et hæc apparentium Alexandri virtutum fuit facies, quam ex ſcriptoribus geſtorum ejus delineavimus. Vera jam indicanda venit earum origo, ut pateat, eas nihil minus quam veras fuiſſe virtutes. Non errabimus autem, ſi perverſum ſui amorem, qui in ambitionis & voluptatis deſiderio in Alexandro ſe exerebat, fundamenti loco ſubſternamus, & illi priores, huic poſteriores demus partes, inter ſe tamen pro variis occaſionum circumſtantiis varie junctas. *ex propenſione ambitionis* Ambitionis (*t*) enim & vo-

exempla, pauca delibaſſe ſufficiat. Lydio cuidam paſtori itineris duci triginta talenta dedit. CVRTIVS *V.* 7. 12. Secundo cum Dario prælio feliciter exantlato, Diis magnifice honorem habuit, amicis opes, domus, provincias largitus eſt, teſte PLVTARCHO *in Alex. p.* 553. Militum vero partem in patriam remiſſurus, æs illorum alienum diſſolvere pollicitus, decem millia talentum referente CVRTIO *X.* 2. 10. & PLVTARCHO *in Alexandro p.* 565. ut vero habet IVSTINVS *XII.* 11. 3. viginti millia dedit. Hephæſtionis vero monumento exornando decem millia talentum deſtinavit PLVTARCH. *in Alex. p.* 565. Hinc liberalitatem ejus miratur CVRTIVS *X.* 5. 28. *tradentis ſæpe majora quam a Diis petuntur.* vid. quos citat FREINSHEM. *ad b. l.* & PLVT. *in Alex. p.* 554.

(*s*) Videndus omnino CVRTIVS qui *X.* 5. 25. egregiam de virtutibus Alexandri facit digreſſionem. Paucis multa PLVTARCHVS *de fort. vel virt. Alexandri Orat. II. p* 469. ad fortunam ejus temporis. *Quæ tua magnitudo, quæ gloria, quæ potentia? ubi vis eſt illa inſuperabilis, ſi quis tibi Alexandrum detrahat? Id eſt, ſi quis tibi adimat armorum peritiam, divitiarum magnificum uſum, continentiam in tanta luxus materia, audaciam in certaminibus, manſuetudinem erga ſubditos. Alium fac, ſi potes, magnum, qui pecuniam non elargiatur, non ante exercitum periculis ſe offerat, non honoret amicos, non miſereatur captivorum, voluptates non ſobrie percipiat, non in tempore excubias agat, victor non placabilis & humanus ſit.* Verum plura de virtutibus Alexandri etſi dici poterant, addere tamen non libet, quia, quæ prolixe hactenus diximus, ſufficiunt, ut oſtendamus, maximarum virtutum ſpeciem Alexandrum, magnum illum orbis domitorem præ ſe tuliſſe, earumque apud hiſtoricos retuliſſe laudem.

(*t*) Nimiam, quam fovit Alexander, ambitionem tot loquuntur facta, tot teſtantur documenta, ut inter tot teſtimonia difficilis ſit electio. Potiora ſaltem delibabimus. Eam vero ſcriptores

ptores uno ore teſtantur. PLVTARCHVS *in Alex. p.* 541. de juventute ejus obſervat, *gloriæ cupiditatem ejus ſupra ætatem habuiſſe ſpiritus ſolidos atque celſos.* CVRTIVS gloriæ & laudis juſto majorem cupidinem notat *X.* 5. 29. apud PLVTARCHVM vero *in Alex. p.* 555. gloriam vitæ regnoque prætuliſſe aſſeritur, fatente hoc ipſo quoque Alexandro apud CVRTIVM prolixa oratione *IX.* 6. 17. Non immerito itaque IVSTINVS *XI.* 11. 12. *auctam inſolentiam, mirumque animo incretum tumorem* perſtringit. Eandem animi elatioris ſuperbiam plurimis ſpeciminibus ipſe dedit Alexander probatam. In prima ætate a patre Philippo monitus, ut in ludis Olympiis ſtadium curreret, facturum ſe, reſpondit, ſi cum regibus certandum eſſet; patriis vero victoriis ingemuit triſtis, quod nihil ſibi relinqueretur, quo avidum gloriæ animum ſatiare poſſet, referente PLVTARCH. *in Apophth. p.* 174. 175. Provectiori ætate gloriæ ſtudium admodum crevit, hinc varia conamina ſuſcepta, maximo periculo, ingenti tamen animo: totum enim orbem ſub jugum mittere infinito animo complexus meditabatur, vid. CVRTIVS *X.* 1. 17. Quin poſt victum Darium eo ſtultitiæ proceſſit, ut Jovis filium ſe ab oraculo dici cuperet, humanæ ſortis oblitus, ut narrat CVRTIVS *IV.* 7. 25. qui recte addit: *fortunam magna ex parte avidos gloriæ magis, quam capaces facere.* Tandem vero *quod olim prava mente conceperat, tunc eſſe maturum ratus, quonam modo cœleſtes honores uſurparet, cepit agere. Jovis filius dici non ſolum, verum etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare poſſet ac linguis*, quæ verba ſunt CVRTII *IX.* 5. 5. Calliſthenem vero liberius hanc ambitionem & ſtoliditatem reprehendentem, & adorationem denegantem in vincula miſere conjecit, ubi etiam expiravit. vid. PLVTARCH. *in Alex. p.* 560. Quin in extremo vitæ articulo & diſcrimine conſtituti ultima vox fuit, *velle ſe divinos honores, cum amici felices eſſent.* vid. CVRTIVS *X.* 5. 6. Ex hac vero, quam notavimus, animi ad ambitionem inclinatione affectus varii oriebantur. Fuit enim audax, cujus memorabile exemplum narrat PLVTARCH. *in Alex. p.* 548. alia CVRTIVS *IX.* 4. 11. *IX.* 5. 1. *X.* 2. 30. moræ impatientiſſimus, mentiſque celerrimæ & feſtinantis CVRTIVS *III.* 5. 13. & 6. 3. imprimis autem vehementiſſimæ & celeriter excitandæ iræ obnoxius, quod vitium ex ambitione in eo notant CVRTIVS *IV.* 2. 5. *X.* 5. 34. PLVT. *in Alex. p.* 541. & IVSTIN. *IX.* 8. 14. qui ei neque dilationem ultionis, neque uſum fuiſſe aſſerit, & exemplo Calliſthenis probat *XI.* 3. 3. Hunc ægri animi affectum per biduum tenuit, ubi recuſantes militiam milites audivit, ut eſt apud CVRTIVM *IX.* 3. 19. Tandem & ex ambitione, alterius cupiditatis gloriæ fuit admirator, cujus videatur teſtimonium apud CVRTIVM *IIX.* 14. 41. & *IV.* 14. 2. Quæ omnia, plura enim adducere in re luculenta opus non eſt, Alexandrum unice fere, ſaltem primo loco, ambitioni litaſſe evincunt.

& voluptatis, ex diſpoſitione corporis cholerico-ſanguinea.

luptatis (*u*) deſiderio illum flagraſſe, omnes hiſtoriæ ejus loquuntur paginæ.

§. VIII. Hæc animi diſpoſitio in Alexandro, qua ambitio primas, voluptas ſecundas occupabat partes, augebatur diſpoſitione corporis cholerico-ſanguinea (*x*), quæ motibus & propenſionibus animi admodum reſpondebat.

§. IX. Acce-

(*u*) Voluptatis deſiderium, uti inferius fuit ambitionis amori, ita tamen ſe ſubinde data occaſione exeruit, ut Alexandrum ab hac animi propenſione non fuiſſe immunem, clare pateat. Et in prima quidem ætate haud facile movebatur corporis affectibus, voluptati obnoxiis, ac ſumma cum animi moderatione voluptates deguſtabat, teſte PLVT. *in Alex. p.* 541. ætate vero major & hic animo habenas laxavit. Vinoſus enim erat, teſte EODEM *l. c.* & convivandi atque perpotandi dulcedine captus, inter pellices ac ſcorta vivebat, cujus memorabile exemplum inter plura recenſet CVRTIVS *V.* 6. 7. *VI.* 2. & PLVTARCH. *in Alex. p.* 554. Muſices quoque amor idem confirmat, de quo videri poſſunt teſtimonia ſcriptorum apud FREINSHEM. *in ſupplem. ad* CVRT. *I.* 3. 23. 24. Imprimis autem celerior animi mutatio, & pœnitentia atque inconſtantia quædam præceps aliquando, ubi voluptatis amor ambitionem ab objecto excitatus anteivit, ſe exerens, teſtimonio eſt. Eluxit ea potiſſimum, cum ebrius amicum optimum Clitum interficeret, in cujus pœnitentiæ ſignis exponendis multus eſt CVRTIVS *IIX.* 2. add. PLVT. *in Alex. p.* 559. Pariter, quem vix maximo odio perſecutus fuerat, miſerebatur Darii, ex ſummo faſtigio ad tantam calamitatem recidentem conſiderans, apud PLVT. *in Alex. p.* 556. quæ & alia, cum ambitione Alexandri comparata, oſtendunt, voluptatem quidem ceſſiſſe ambitioni, ubi vero hujus ceſſabant objecta, & augebantur ea, quæ voluptatem excitare poterant, quod poſt devictum Darium imprimis accidit, voluptati frena permiſiſſe Alexandrum. Tandem & ex hac animi propenſione metus ille, qui, inſtantis mortis vates, illum Babylone occupavit, derivari poteſt, de quo PLVTARCH. *in Alex. p.* 566. Sunt enim voluptati dediti timidi, imprimis ubi religionis ſpecies & conſcientia ſcelerum accedit. Licet etiam ex propenſione ejus infima, avaritia, quam melancholicum temperamentum nonnulli vocant, derivari poſſit. Illa enim propenſio, etſi in Alexandro erat longe debiliſſima, objecto tamen vehementer irritata, & omnis bonorum generis inſtante morte privanda, reliquas ipſo actu ceſſantes ſuperavit, quod ſæpius fieri & ipſa experientia, & qui de moribus hominum egerunt, teſtantur.

(*x*) **Fuiſſe hoc Alexandri temperamentum, patet ex de-**

§. IX. Accedunt cauſſæ morales, educatio a parentibus & præceptoribus facta (*y*), exempla imitationi *ex cauſſis moralibus.*

ſcriptione formæ & corporis illius, quæ eſt apud PLVTARCHVM, AELIANVM, ARRIANVM, SOLINVM aliosque, ex quorum conſenſu eam accurate dedit depictam IO. FREINSHEM. *in ſupplem. ad* CVRT. *L.* 2. 8. Eminebat vero in membris indomitus vigor, excellens nativa & genuina venuſtas corporis. Artus habebat robuſtos, probeque compactos, vi tamen quam ſpecie validiores: cutem candidam, niſi quod in malis & in pectore grato rubore perfundebatur. Inerat ei occulta quædam vis, ut ſine veneratione & horrore quodam intuentium non adſpiceretur. Pernicitate pedum admirabili fuit, verum etiam citatiori greſſu, qui in homine velociſſimæ mentis non eſt mirandus. Voce utebatur elatiore, ſomni natura erat pauciſſimus. Muſica delectebatur, verum maſculo cantu. Confer, quos nominavimus, & imprimis PLVTARCH. qui *in Alex. p.* 541. addit, eum ſuavem ex ore atque toto corpore reddidiſſe odorem, cujus cauſa fervidum atque igneum fuerit temperamentum. Ex qua deſcriptione patet, Alexandri ſanguinem igneis & ſalinis partibus abundaviſſe, quæ partim motus celeres partim titillantes excitarunt, ambitioni & voluptati gratiſſimos, prout hoc in doctrina de temperamentis a multis prolixe eſt oſtenſum.

(*y*) Mirum non eſt, Alexandrum, præter naturalem gloriæ ſtimulum, etiam educatione ad ambitionem imprimis fuiſſe ductum, cum pater ipſius Philippus ambitionis œſtro maxime percitus fuerit, prout ille deſcribitur a IVSTINO *IX.* 8. 1. *ſeqq.* Olympias vero ad voluptatem prona adulterio fidem marito debitam violare non dubitavit, ex quo etiam Alexandrum ortum nonnulli autumant, & miraculoſam ejus generationem more antiquitatis ideo fuiſſe prætenſam putant, de quo vid. FREINSHEM. *in ſupplem. ad* CVRT. *I.* 1. 44. *ſeqq.* & quos citat. His parentibus natus & educatus eſt, poſtquam multa prodigia de ejus nativitate fuerunt nuntiata, quæ unanimi ore, magnum hunc fore regem, orbisque domitorem præſagiebant, teſtibus omnibus iis, qui vitam Alexandri ſcripſerunt. Hæc homini natura ſua ambitioſo quotidie inculcata & verſantia coram oculis, non poterant non ingentem tumori animi addere magnitudinem. Ipſa mater Olympias, narrante PLVTARCHO *p.* 540. illi in Aſiam proficiſcenti natales divinos detexit, hortata, *ut digna tanto genitore capeſſeret.* Præceptore imprimis uſus eſt Ariſtotele, qui ejus formaturus animum, Mitylene, quo poſt ſupplicium Hermiæ ſeceſſerat Athenis, ubi cum Platone degebat, accerſitus eſt. Hoc duce non tantum in naturam rerum indagandam incubuit, verum etiam ethicam & politicam didicit, & egregias illas, quibus poſtea Aſiæ factus eſt dominus, artes cognovit, vid. PLVT. *in Alex. p.* 542. & DIOG. LAERT. *in Ariſtotele,*

tioni propoſita (*z*), converſatio cum hominibus ad ambitionem partim, partim ad voluptatem excitantibus (*aa*), item conſuetudo (*bb*). Occaſiones quoque

riſtotele. Cum vero philoſophi hujus philoſophia moralis eo unice tendat, ut moderatione exceſſuum vitiorum media via commixtio quædam evadat, ad politicam felicitatem magnamque nominis gloriam ducens, quo nomine etiam honores & gloriam inter bonorum genera retulit *Ethic. L. IV. c.* 7. hinc animus Alexandri auctoritate & doctrina tanti præceptoris magis inflammabatur, ut ſtupenda ambitionis conamina ſuſciperet. Adultior paulo factus, a patre per duces exercitatiſſimos ad magna quævis formatus eſt, & mature ſtipendium ſub parente meruit, ubi non poterat non elatioris animi ſequi ſtimulum.

(*z*) Huc pertinet prætenſa ex divina origine nativitas, qua ad divina facinora excitabatur, de qua diximus. Imprimis autem Achillem, quem generis ſui autorem aſſerebat, expeditionis contra Perſas ſocium atque commilitonem elegit, ut eſt apud PHILOSTRATVM *in Heroicis.* Huc pertinet quoque imitatio Bacchi, de qua CVRTIVS *IIX.* 10. 13. *ſeqq.* & Herculis apud EVNDEM *IX.* 2. 29. conf. STRABO *L. III.* SENECA *de Beneſ. VI.* 3. 1. add. FREINSHEM. *ad* CVRT. *IX.* 2. 29.

(*aa*) Inter eos, qui ambitionem Alexandri ſufflarunt, merito retuleris omnis generis adulatores, malum illud regum perpetuum, & aularum corruptores, qui Alexandrum magis, ac ipſe capiebat, laudibus evehebant. Fuerunt hi non tam Macedones, quam Græci alii, qui profeſſionem honeſtarum artium malis corruperunt moribus, ut refert CVRTIVS *IIX.* 5. 7. qui etiam turpiſſimas aſſentationes eorum, qui humanæ ſortis obliti, eum vivum inter Deos referebant, more ſuo graphice deſcribit; conſentientibus ARRIANO *L. IV.* & PLVTARCHO *de diſcr. adul. & amici p.* 86. Multos vero Alexandri adulatores notavit FREINSHEM. *ad* CVRT. *l. c.* Quin ipſi regis amici & miniſtri, dum *ex diſciplina Macedonica & virtutis præſtantia tantæ venerationis erant, ut ſingulos reges putares*, quæ IVSTINI verba ſunt *XIII.* 1. 10. ad majorem animi tumorem & ſuperbiam efferre potuerunt regem, cujus erant ſatellites, comites & miniſtri. vid. quem aliquoties laudavimus IO. BAPT. CROPHIVS *in Antiquitat. Macedon P. I.* §. 21. *p.* 43. Superbiam talium eleganter deſcribit LIVIVS *XLV.* 32. qui videndus. Ad voluptatem autem regem invitabant Perſæ, pellices, ſpadones, & ejus generis alii, quibus voluptate nihil erat carius. Mores eorum deſcribit CVRTIVS *V* 1. 36. Hæc vero quem effectum habuerint docet IVSTINVS *XI.* 10. 1. 2. & CVRTIVS *X.* 1. 26. *ſeqq.* ARRIANVS *L. VI.*

(*bb*) Ea enim fecit, ut labori aſſueſceret, frugalis initio

quoque rerum externarum (*cc*), dignitatis, temporis, loci, generis & nationis, fortunæ, aliæque.

§. X. Facile jam virtutum Alexandrinarum detegi poteſt falſitas. Nam ubi ad origines hactenus deſcriptas probe attendimus, ex ambitione & voluptate mixtis (*dd*) ſæpius inter ſe & temperatis eas prod- *Falſitas virtutum Alex. M.*

viveret, omnibusque clementem ſe præberet, quibus artibus & pater eum erudiverat, & majores in regno Macedonico uſi ſunt, calcanda veſtigia ſucceſſoribus relinquentes, vid. IO. BAPT. CROPHIVS *l. c.*

(*cc*) Multum & externæ rerum circumſtantiæ ad ſimulatas partim virtutes, partim ad ambitionem & voluptatem augendam fecerunt. Vivo parente dux jam præerat exercitui juvenis ſedecim annorum, teſte PLVTARCHO *in Alex. p.* 541. eo extincto natus viginti annos regnum accepit, magna invidia, gravi odio & periculis preſſum undique, gentibus vicinis, & ipſa Græcia ſervitutis jugum excutere tentantibus: ubi magno animo, ſtrenua virtute, laboris patientia & præſenti animo erat opus, vid. IDEM *p.* 543. Accedebat exercitus victor, & vulnerum pariter atque virtutis ſuetus; Perſarum molles mores & ad mortem usque devota regi Macedonum gens: quibus omnibus in magnam tantarum rerum, & ſumendi ex iis ſuperbi animi ſpem erigi rex potuit. Voluptati occaſionem præbebat Perſarum luxus, crebriorque cum fœminis inter pocula & convivia conſuetudo: auri ingens copia & alia, quæ animi illius moderationem plane corruperunt. Frugalitatem vero, comitatem, clementiamque habuiſſe ex gentis ſuæ moribus ſupra obſervavimus. Fortuna tandem, quæ adeo Alexandro favit, quicquid etiam PLVTARCH *Orat.* 2. *de fortuna vel virtute Alex. M.* occinat, ita occupavit animum hujus herois, ut in eo eſſet unus, quomodo ambitioni & voluptati pro rerum circumſtantiis inſerviret: quo factum eſt, ut interdum virtutis daret ſpeciem, interdum autem vitiorum largam meſſem oſtenderet.

(*dd*) Luculenter hoc pateſcet, ubi ſingulas, quarum fucum fecit Alexander, virtutes conſideraverimus. Primum occurrit pietas; ea vero vel ex conſuetudine fuit orta, vel ex aſtutia, ut armorum injuſtitiam tegere, & plebi atque militibus, turbæ facile decipiendæ, animum adderet. Inſigne hujus eſt exemplum, quod ex FRONTINO *Stratag. I.* 11. 14. refert I. FREINSHEM. *ſupplem. in* CVRT. *II.* 5. Cum enim Granicum amnem trajiceret, ut efficacius confirmarentur attonitæ mentes, Ariſtandrum pro tranſitu ſacrificantem ſecreto moneri jubet, ut excepturam exta manum inſcriberet medicamento litteris inverſis, quas impoſitum jecur recenti adhuc calore adtraheret, reclasque exprimeret: iis ſignificabatur, Alexandro victoriam Deos concedere. Eventus ſpei reſpondit. Tanta enim ſpe

 omnes

omnes hoc prodigium implevit, ut poſt hæc tam certa cœleſtis favoris pignora nihil dubitandum conclamarent. Similem aſtutiam de lunæ defectione, ejusque per vates Ægyptios interpretatione, refert CVRTIVS *IV.* 10. 2. *ſeqq. item IV.* 13. 15. & 26. Pietatis hujus politicæ inſignis & vaferrimus miniſter fuit Ariſtander vates; omnia ita interpretatus, ut multitudinem, quæ ſuperſtitione maxime regitur, ad regis voluntatem flecteret. Cur vero Epheſiorum templum reſtauraturum ſe promiſerit, ex addita conditione patet, ſi nomen inſcriberent ſuum; æternam nominis famæque gloriam inde ſperans. Et quid fuit unquam facilius, quam ſub pietatis prætextu, & ad eam & veram religionem ducendarum gentium larva, latrocinia publica tegere? quod quam injuſtum ſit, ipſa docet congenita lex atque ratio conſ. BVDDEVS *diſſ. de expedit. cruciatis* §. 7. *ſ. in ſelect. juris nat. & gent. p.* 104. *ſeqq.* Temperantiæ ſtudium ex conſuetudine & educatione adhæſit, ut ſupra oſtendimus, cui eo magis poterat eſſe deditus, quo majorem inde laudem reportabat apud milites. Accedit ita milites in frugali & ſobria vivendi ratione, quæ omnino tantis rebus ſuſcipiendis & exercitui victori neceſſaria eſt, optime exemplo ducis potuiſſe contineri. Caſtitatem ex gloriæ amore eſſe ortam innuit CVRTIVS *IV.* 10. 24. *eximiam* aſſerens, *pulchritudinem formæ uxoris Darii Alexandrum non libidinis habuiſſe incitamentum, ſed gloriæ*, ſcilicet ob magnam in tanta occaſione continentiam. Magnus vero animus unde quæſo niſi ex ingenti ambitione animi plus, quam capere poterat, cupientis oriebatur? Hinc videas hominem divina conantem, ipſam naturam oppugnantem, totius orbis imperio, ſi modo ætas ſuffeciſſet, inhiantem & meditantem. Hic generoſus eſt ille animus, quo omnibus præſtantiorem ſe non dici tantum, ſed etiam credi voluit Fortitudo Alexandri felix quædam temeritas eſt, omni ſæpius ratione deſtituta. Modo enim gloriam reportaret, vitam regnumque negligebat libenter, quod ipſum confitentem ſupra audivimus. Exemplum ſtultiſſimæ temeritatis eſt apud CVRTIVM *IX.* c. 1. & *X.* 2. 30. ubi felix eventus non rabiei animi, ſed caſui & fortunæ adſcribendus eſt. Recte Darius apud EVNDEM *IV.* 14. 13. *Temeritas eſt*, ait ad milites, *quam adhuc pro virtute timuiſtis*, ſed felix ea, præter meritum Alexandri. Conſentit SENECA *de Benef. L. I. c.* 13. *Quid*, inquit, *ſimile habebat veſanus adoleſcens, cui pro virtute erat felix temeritas.* add. *L. VII c.* 3. & CVRTIVS *III.* 6. 2. Vbi egregie obtectam hanc temeritati larvam indicat. Conſtantia & laboris patientia omni adverſitatum genere inexpugnabilem animi ardorem, & ambitionis magnitudinem confirmat, cui nunquam ſuffecit, quod ceperat. Egregie illam depictam dat SENECA, *Ep.* 119. *Nunquam*, ait, *parum eſt, quod ſatis eſt, nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo. Quærit, quod ſuum faciat, ſcrutatur maria ignota, in oceanum claſſes demittit*

diiſſe apparebit. Hinc characteres falſæ virtutis luculenter ſe oſtendunt. Nam neque perpetua erat, ſæpiſſime intermiſſa (*ee*); neque omnia, quæ debebant, æquo animo averſabatur, virtuti contraria (*ff*); quo non poterat eſſe una atque eadem.

 Ab

mittit novas, & , ut ita dicam, clauſtra orbis perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inventus eſt, qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cœcitas mentium, & tanta eſt initiorum ſuorum, unicuique, cum proceſſit, oblivio. conf. IDEM *de Benefic. L. VII. c.* 2. Tam inexplebili igitur cupiditati, quis alius niſi conſtantiſſimus & laboris patientiſſimus ſuffecerit? Juſtitiam pariter Alexander. ex turpitudinis pudore aliquo modo amavit, alias latro iniquiſſimus, ut mox dicemus. Vt vero noctu hoſtem adgrederetur, gloriæ ſuæ obſtare aſſerit ingenue apud CVRTIVM *IV.* 13. 9. Amicis & militibus humanum ſe præbere coëgit neceſſitas, niſi enim hiſce artibus animum eorum ſibi devinxiſſet, tot ſine mercede vulnera & cicatrices domum non reportaſſent. Clementiam ex ambitione & deſpectu contra inermes pugna, item ut laudes ejus reportaret, exhibuiſſe illum, ipſe fatetur apud CVRTIVM *IV.* 11. 26. *naturæ ſuæ*, id eſt ad ambitionem nato & inclinato animo *ſe tribuiſſe quæ clementer fecerit*, apud IVSTINVM vero *XI.* 12. 12. *animi magnitudine ſe feciſſe*, ait, *neque ſe adverſus calamitates & fœminas pugnare.* Voluptati vero & hic non defuere ſuæ partes. Liberalitatem veſanam, & excedentem modum recte taxat SENECA *de Benefic L.II. c.* 16. ubi egregie iterum: *Vrbem cuidam donabat Alexander veſanus, & qui nihil animo grande non conciperet: cum ille cui donabatur, ſe ipſum menſus, tanti muneris invidiam refugiſſet, dicens non convenire fortunæ ſuæ; non quæro, inquit, quid te accipere deceat, ſed quid me dare. Animoſa vox videtur & regia, cum ſit ſtultiſſima. Nihil per ſe quemquam decet: refert quid, cui, quando, quare, ubi & cætera, ſine quibus facti ratio non conſtabit. Tumidiſſimum animal, ſi illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur perſonarum ac dignitatum proportio, & cum ſit ubique virtutis modus, æque peccat, quod excedit, quam quod deficit.* Hinc quid de tanta liberalitate vel potius profuſione, quæ ambitionis partim, partim voluptatis erat opus, ſentiendum ſit, facile judicari poteſt.

(*ee*) In bonis iis, quibus ornatus erat Alexander, artibus ipſum non ſemper fuiſſe deprehenſum, & perpetua ejus docet hiſtoria, & CVRTIVS obſervat, *III.* 12. 18. Et ſi eas perpetuo foviſſet virtutes, non tot ſe iniquinaviſſet vitiis.

(*ff*) Poteſt & hoc eundo per ſingulas virtutum ſpecies oſtendi atque monſtrari, Alexandrum maximis vitiis, iis virtutibus, quibus deditus videbatur, e diametro contrariis fuiſſe

Ab Alexandro vero eſſe adhibitam ut felicitatem hujus vitæ adipiſceretur, clariſſime patet.

obnoxium. Pietatem erga Deos vehementer læſit, dum ſe Deum haberi voluit. Erga parentes vero, quam pius, qui non ſolum patri inſultavit, verum eum etiam interfici curavit? quod non ſine omni veritatis ſpecie ſuſpicatos fuiſſe multos PLVT. *in Alex. p.* 543. narrat, qui addit, eum occidiſſe parentis interfectores ex ea tantum ratione, ut criminis inſons haberetur. Fratrem vero ex noverca interfeciſſe, refert IVSTINVS *XI.* 2. 3. Quam temperanter ſæpe vixerit, & ſobrietatem amaverit, teſtatur intolerabilis vini cupiditas, & perpotandi pervigilandique inſana cupido, quam atro notant lapillo CVRTIVS *V.* 7. 1. *VII.* 2. 2. *X.* 5. 34. PLVTARCH. *in Alex. p.* 541. IVST. *IV.* 8. 15. aliique, quos allegat IO. FREINSHEM. *ad* CVRT. *X.* 5. 34. Et licet eam excuſet ARRIANVS *L. VII.* recte tamen eam taxari contra illum oſtendit COELIVS RHODIGIN. *antiquar. lect. L. XXII. c.* 20. Tunc impotenti animo frena laxavit, tunc erupere latitantia vitia, vid. SENECA *Ep. LXXXIII.* qui eum hoc nomine vehementer caſtigat. In veſtimentis ſuperbiam prodidit, ſumens veſtem Perſicam, inviſam ob ſplendorem Macedonibus, dum ſe in ea adorandum præbebat vid. PLVT. *in Alex. p.* 556. CVRTIVS *VI.* 6. 4. ARRIAN. *L. IV.* quæ vero PLVTARCHVS pro excuſando eo affert, quod non Medicam ſumſerit, ſplendidiorem Perſica, argutiæ ſunt, autori amori hujus regis nimium dedito, relinquendæ, ex recta ſententia I. FREINSHEM. ad CVRTII *l. c.* Caſtitati notam inurit turpiſſimam Thais nobile ſcortum, tantæ in regem poteſtatis, ut regiam Perſarum incendere perſuaderet Alexandro, cujus teſtes ſunt CVRTIVS *V.* 7. & PLVTARCH. *in Alex. p.* 554. Et, quod turpius eſt, ſpadonum greges, & ipſi muliebria pati aſſueti vid. CVRT. *VI.* 6. 8. qualis erat Bagoas apud EVNDEM *VI.* 5. 23. & PLVTARCHVS *in Alex. p.* 564. Juſtitiæ adeo non debetur ei laus, ut potius omnium latronum anteſignanus merito dicatur. Eæ enim cauſſæ ſpecioſæ, quas ab ipſo pro excuſando bello Perſico datas ſupra retulimus, ſi recte conſideraverimus, nullæ ſunt. Incertum enim erat, an unquam Darius Macedoniam adorturus fuiſſet, quem debuiſſet finibus ſuis depellere, non vero minime laceſſitus bellum inferre. Injurias vero Græcis a Perſis illatas, longo vero temporum intervallo ſepultas reſuſcitare admodum iniquum eſt. Et quo quæſo juſtitiæ titulo remotiſſimis bellum intulit gentibus? Profecto non Herculis exemplo. *Ille enim nihil vicit ſibi; orbem terrarum tranſivit non concupiſcendo, ſed vindicando: at hic a pueritia latro gentiumque vaſtator eſt,* verba ſunt SENECAE *de Benef. L. I. c.* 13. conf. IDEM *Ep.* 49. & IO. CLERIC. *Art. Crit. P. III. c.* 3. *c.* 9. *p.* 494. *ſq.* Humanitatem erga amicos immani crudelitate fœdavit, & iracundiæ magna vis vicit. Loquuntur Lyſimachus leoni obje-

ni objectus, Clitus haſta confoſſus, Calliſthenes cruciatibus necatus. Scelera hæc ſunt, quæ nulla virtutis mendacis laus excuſare poterit. Merito iterum SENECA *Quæſt. Natural. VI.* 23. *quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tum magnum imperium erat, opponetur & Calliſthenem; quoties quis dixerit, occidit Perſarum multa millia, opponetur: & Calliſthenem, quoties dictum erit omnia oceanotenus vicit, & imperium ex angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit, dicetur, ſed Calliſthenem occidit.* Cauſſa tantæ crudelitatis nulla, niſi quod ſuperbiam regis calculo ſuo non adprobarint. conf. IVSTIN. *XV.* 3. Miſericordiæ & clementiæ vero ſpeciem quam hæc crudelitatis ſpecimina præbeant, alii viderint. Et prolixum eſſet, omnia vitiis dedititiſſimi animi hujus regis documenta colligere, & ſuperbiæ intolerandæ, ſuſpicacis & iniqui animi, verbo, inauditæ audaciæ eum convincere. Sufficiant hæc, ut oſtendant, virtutes Alexandri nihil niſi ſplendida fuiſſe vitia, quia vitiis pariter ſe inquinavit, quod tantum veræ virtuti adverſatur, quantum hæc ubique rectam potius ſequitur lineam, & nullibi a voluntate Numinis velut fine ſuo infinito abit. Epiphonema addat LVCANVS *L. X. v.* 20. *ſeqq.* ubi in deſcribendo Alexandri tumulo inter alia ita occupatur:

Illic Pellæi proles veſana Philippi
Felix prædo jacet, terrarum vindice fato
Raptus. Sacratis totum ſpargenda per orbem
Membra viri poſuere adytis; Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
Nam ſibi libertas unquam ſi redderet orbem,
Ludibrio ſervatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot poſſe ſub uno
Eſſe viro. Macedûm fines, latebrasque ſuorum
Deſeruit, victasque patri deſpexit Athenas,
Perque Aſiæ populos, fatis urgentibus, actus
Humana cum ſtrage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes; ignotos miſcuit amnes
Perſarum Euphratem, Indorum ſanguine Gangem.
Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes,
Percuteret pariter populos, & ſidus iniquum,
Gentibus. Oceano claſſes inferre parabat,
Exteriore mari. Non illi flamma nec undæ,
Nec ſterilis Libye, nec Syrticus obſtitit Ammon.
Iſſet in occaſus, mundi devexa ſecutus,
Ambiiſſetque polos, Nilumque a fonte bibiſſet;
Occurrit ſuprema dies, naturaque ſolum
Hunc potuit finem veſano ponere regi.

Ex his tandem omnibus patet, Alexandrum egregias iſtas virtutum ſpecies haud alio fine adhibuiſſe, quam ut ambitioni ac voluptati, id eſt amori ſui ſtulto & perverſo ſatisfaceret, iisque ſummum bonum vano irritoque conatu quæreret.

 §. XI. Et

Pero-ratio. §. XI. Et hæc genuina pſeudo-virtutis Alexandrinæ ratio eſt, quæ pulchra omnis generis bonorum ſpecie impoſuit, ipſius tamen ambitionis voluptatisque fuit filia. Ex quibus hactenus deductis apparet, quanta fallacia decipiat mens humana, & quam diverſa ſit vera virtutis facies, a virtute apparenti. Alexandrum vero veræ virtuti operam non dediſſe, nemo mirabitur, qui probe ponderaverit, virtutem a ſolo Deo eſſe expectandam, & non niſi iis dari, qui divina colluſtrati luce, verum & æternum bonum efficaci ratione cognoſcunt. Quod ut omnibus contingat, preces noſtræ ſunt atque vota.

OBSERVATIO III.

De convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis,

Supplemento hiſtoriæ de ideis inſerviens (*a*).

PRAEFATIO.

PAucis te volumus, Lector benevole, in brevis ſcriptionis limine multis non detinendum. Damus tibi aliquam ad *hiſtoriam philoſophicam doctrinæ de ideis* acceſſionem, eamque ad philoſophiæ Græcanicæ naturam atque partes pernoſcendas neceſſariam, prolixiorem ſcilicet explicationem eorum, quæ, origines doctrinæ de ideis ſcrutati, de veſtigiis ejus in Pythagorea philoſophia occurrentibus in initio fere (*b*) diximus. Quanquam enim Plato primus fuit, qui de ideis diſceptationem inſtituit, quippe nondum audita in explicatione principiorum naturalium iſta voce, quanquam primus paulo certius & luculentius iſtam tradidit doctrinam & ex inſtituto de

(*a*) Inſerta *Amœnit. literar.* cel. SCHELHORNII *tom. VII.* p. 173. *ſeqq.*

(*b*) *Sect. I.* §. 2. *p.* 2. *ſeqq.*

de hac re fuit philoſophatus; recte tamen AVGVSTINVS (*c*) jam monuit, *non ſi hoc nomen, antequam Plato inſtitueret, non erat, ideo res ipſas non fuiſſe, quas ideas vocavit, vel a nullo fuiſſe intellectas, ſed alio fortaſſe atque alio nomine ab aliis nuncupatas fuiſſe.* Id quod in primis de Pythagoreis dictum eſſe, olim jam monuimus (*d*). Penitius itaque ea, quæ de hac ſecta nobis ſuperſunt, monumenta rimati, potiora ibi, quæ Plato de ideis tradidit, deprehendimus, in hoc quoque argumenti genere edocti, Platonem ex ſectæ Italicæ fluentis ſua prata irrigaſſe. Quamvis & hoc quoque negandum non ſit, iſta, quibus niti cogimur, monumenta a ſequioris ætatis hominibus (*e*) potiorem partem eſſe nobis relicta, nec poſſe ex ipſo Pythagora, ejusque genuinis diſcipulis, ut in Platonicæ philoſophiæ hiſtoria fecimus, hujus doctrinæ partes probari: in cujus cauſſas accurate quoque inquiſivimus, & obſcuritatem ac difficultates in hac hiſtoriæ philoſophicæ parte planas fecimus, noſtra intereſſe rati, ut, quantum fidei & certitudinis vel probabilitatis hiſtoria philoſophiæ Pythagoreæ habeat, innoteſcat. Nondum igitur nos pœnitet, a Platone certam doctrinæ de ideis hiſtoriæ originem duxiſſe; noſcenda tamen & Pythagorea ſunt, ut primas quoque origines & radices inveſtigemus, & quantum nobis licet, hujus philoſophiæ genium pernoſcamus; novo ſimul, quem ſuſcepti laboris noſtri fructum ſperamus nec malevolis contemnendum, ſpecimine docendi, quantum ſit

(*c*) *Octog. tr. Qq. q. 46. Tom. III. opp. p. 388. Ed. Baſ.*

(*d*) *l. c. p. 11.*

(*e*) Non negamus quidem, non ſolos Platonicos de numeris Pythagoræ, quæ ſcimus, tradidiſſe, ſed ſervaviſſe quoque nobis haud pauca PLVTARCHVM, SEXTVM EMPIRICVM, CLEMENTEM ALEXANDRINVM, LACTANTIVM aliosque, quos nec inter ſequioris ætatis homines tuto referas, nec militaſſe omnes in Platonis caſtris concedas. Aſt, ut ipſe Pythagoras nihil ſcriptum reliquit, & mature omnis ejus ſecta, quæ vix Ariſtotelis ætatem attigit, intercidit, ita pleraque, quæ de ejus opinionibus nobis conſtant, ſi pauca quædam, quæ Ari-

in humanis ingeniis, etiam maximis & ad divinitatem relatis, inane.

ARGVMENTVM.

§. I. Plato multa a veteribus hauſit, maxime ex ſecta Italica. Ariſtoteles, Porphyrius, Apulejus teſtes adducti. Adiit Plato Italiam; quos philoſophos audiverit? Ciceronis luculentus locus. §. II. Plato doctrinam de ideis hauſit a Pythagora; id monitum in hiſtoria de ideis; idem ſentientes Cudvvorthus, Wolfius, Morhofius, Claubergius, Burnetus, & ex veteribus Tertullianus. Calanna notatus. §. III. Doctrina Pythagoræ de numeris obſcuriſſima. Egregia de eo obſervatio Burneti. Nihil auxilii apud eos, a quibus didicit arithmeticam. Phœnices Pythagoræ magiſtri in arithmeticis; Porphyrii, Apuleji, Joſephi teſtimonia. Fuit tantum arithmetica vulgaris. Phœnicibus philoſophi pauciſſimi; Moſchus, perperam idem cum Moſe Huetio. Aegyptiorum philoſophia impoſtura, arithmetica philoſophica Pythagoræ inventum. Stobæus laudatus, Schefferus notatus. Ex Pythagora & diſcipulis potiora haurienda. §. IV. Circa Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoriam obſcuritas & difficultates maximæ & vix ſuperandæ. Prima, quia Pythagoræ & vetuſtiſſimorum Pythagoreorum ſcripta non dantur. Pythagoras an aliquid ſcripſerit? Affirmantes Laërtius, Plinius, Suidas, Proclus; Hieronymus incertus. Ex recentioribus Aldobrandinus, Schefferus. Negantes Plutarchus, Joſephus, Lucianus, Ariſtides, Auguſtinus, Porphyrius, Claudius Mamertus; ex recentioribus Beſſario, Lipſius, Tennulius, Menagius, Burnetus, Belius. In horum ſententiam deceditur. Conſenſus veterum & naturæ philoſophiæ Italicæ in hac re. Plures Pythagoræ inter ſe confuſi. Occaſio prima conſcribendæ Pythagoricæ philoſophiæ. Cauſſa cur Pythagoræ libri adſcripti. Diſcipuli magiſtri nomen libris præfigentes, Jamblichus illuſtratus & vindicatus. Plinius in caſſum diſſentiens. §. V. A Pythagoræ diſcipulis meliora non expectanda. Libros non ſcribebant, ſed ex memoria docebant. Plutarchus, Jamblichus, Porphyrius teſtes laudati. Interdum ſcripta ſuis tantum hominibus tradita. Porphyrii & Clementis Alexandrini de hac re obſervationes. Plato librum Pythagoricum nactus. Non initiati pervertentes philoſophiam Pythagoream, Porphyrio auctore. Cauſſa cur tam pauca Pythagoreorum ſcripta reliqua. Recentiores Pythagoram ſæpe non aſſecuti. §. VI. Philoſophia Italica

ſtoteli & aliis aliunde innotuere, excipias, ex Platonis ejusque ſcholæ narrationibus ad hos homines dimanarunt, unde in aſſerenda fide hiſtorica majus pondus non addunt. Proin ſola probabilitate fides hæc augeri, & ad quendam certitudinis hiſtoricæ gradum perduci poteſt, quod in hac diſſertatione conamur.

ſicæ habitus & natura nihil certi promittit. Methodus arcani, & ſacrum ſilentium Pythagoreorum. Symbolis pleraque propoſita, ea loco fabularum non feliciori ſucceſſu adhibita: eorum incertæ explicationes. Numeri mera ænigmata. Initiatis gradus quatuor. Acroamaticam explicationem pollicentibus non fidendum. Inventa media inter methodum exotericam & eſotericam. §. VII. Dialectus Dorica a Pythagoreis amata. De cauſſa ejus variæ ſententiæ. Dorica dialectus antiquiſſima & numeroſiſſima; eadem obſcurior quoque. Zenonis cujusdam ad Tiberium vox. Dialectus fuit Pythagoræ vernacula, quam deamarunt Pythagorei. Res ipſa verbis obſcurior. Numeri ad rerum principia exponenda inepti. Ariſtotelis ſententia & Burneti. Pythagoras & Plato phyſicas rationes in mathematicas convertentes. §. VIII. In explicandis numeris Pythagoricis plerique ad nugas delapſi. Oſii Kircheri & Bungi conatus. Concluſio infertur, nihil in philoſophiæ Pythagoreæ hiſtoria certi afferri poſſe, pleraque ad conjecturas redire. §. IX. Plato in Pythagoræ caſtris militaſſe dicendus. Vterque ad enthuſiaſmum philoſophicum pronior. Veteres philoſophi ad emanationem rerum ſpiritualium ex Deo quomodo delapſi. §. X. Convenientiæ numerorum Pythagoricorum & idearum Platonicarum argumenta. I. Idem utriusque doctrinæ ut totius philoſophiæ apud utrumque fundamentum, κοσμογονία in ψυχογονίαν converſa. Burneti obſervatio. Deus Pythagoræ quid? quid numeri? Plutarchi teſtimonium. Quid unum & diverſum apud Pythagoram? Porphyrius notatus. Binarius numerus materia eſſe non poteſt. Philoſophum. Origenis verba expoſita. Dyas cum numerus ſit, cur caligo dicatur? Aliena luce fulgurat; Oracula adducta. §. XI. Definit II. Pythagoras numerum, ut Plato ideam. Numeri definitio apud Nicomachum, & Jamblichum, Hippaſi ſectatores, Philolaum Alexandrum Aphrodiſæum, Porphyrium. Simplicius & Auctor Theologum, in partes vocati. III. Diſtinguit Pythagoras numeros, ut Plato ideas. Numeri diviſi in intellectuales & ſcientificos. Quid numerus intellectualis? quid ſcientificus vel mathematicus? Quomodo differant unitas & unum? Moderatus & Anonymus apud Photium in diverſa abeuntes. §. XII. Origo IV. numerorum & idearum eadem, mens divina. Vnitas fons numerorum. Oraculorum effatum. Galei emendatio hujus loci: Syneſius impie pythagorizans. Monas cur ὕλη dicatur? Vnitas Pythagoræ ſuo modo materialis, ignis ſcilicet ſubtiliſſimus; materiæ tamen craſſiori oppoſita, & ideo ſpiritualis dicta. Teſtimonia veterum Hermiæ, Macrobii. Vnitatis nomina. Cur unitas dicta ἀῤῥενοθύλη? Connubium unitatis & dualitatis. Deus cur gentilibus mas & fœmina? Emanatio ſubſtantiarum ſpiritualium ex Deo. Duplex coæternum principium hic fruſtra allegatum. V. Numerorum dignitas eadem, quæ idearum. Sunt principia rerum ſenſibilium. Sextus Empiricus, Photius, Simplicius & philoſophumena Origenis de hac re. Divinæ naturæ ſunt. Jamblichi verba. §. XIII. Numeri ratione hominis cum ideis conveniunt. Nam VI.

Animæ

Anima vel mens potius Pythagoræ & Platone ex eodem fonte derivata: Is Dei eſſentia. Quid anima Pythagoræ? Plutarchi, Laërtii, Ciceronis relationes. Mens & anima ſideralis non confundendæ. Mentes quaternione conſtant. Variant Pythagorei, placita ſua ipſi non ſatis intelligentes. VII. Corpus carcer mentis utrique philoſopho. Animæ e cœlo delapſæ & corpori incluſæ. Laërtius illuſtratus. Hinc VIII. philoſophiæ finis idem utrique liberatio a vinculis corporis. Mors philoſophica quid? Jamblichi & Hieroclis explicatio. Finis liberationis cognitio intellectualium, id eſt, numerorum. Porphyrii teſtimonium. §. XIV. Objectum philoſophiæ IX. a Pythagora conſtitutum numeri, ut a Platone ideæ. Porphyrius iterum adductus & expoſitus. Numeri pabulum mentium philoſophicarum, ut ideæ. Numeri ſcientifici ad hunc finem conſequendum adbibiti: Moderatus Gaditanus de ea re. Theologia in numeris. Matheſis Pythagoræ reminiſcentia, ut Platoni dialectica. Mens numeros in ſe habet. Mens omnia videt & audit. §. XV. Finis philoſophiæ ultimus X. de numeris & ideis par utrique philoſopho: Deo fieri ſimilem, immo ipſum Deum. Carmen aureum in hanc rem & Hierocles. Empedoclis vox. Sextus Empiricus illuſtratus. XI. Media eluctandi Pythagoræ & Platoni eadem. Exacta numerorum cognitio Pythagoræ ſumma ſapientia. Laërtii, Aeliani, Stobæi, Theodoreti loca. §. XVI. Epilogus. Plato ideas a numeris Pythagoræ didicit. Multa in doctrina de numeris obſcura nec ſatis intellecta, clariora expectanda ab aliis.

De convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis (*a*).

§. I.

QUod in veterum doctrinarum hiſtoria attendentibus ſæpius obſervatur, multa dogmata, quæ novitatis ſpeciem præ ſe ferunt, antiquioribus deberi magiſtris, radicesque ante iſta, quibus tanquam

(*a*) Non nova hæc eſt, quam multis demonſtramus, de Pythagoræ numeris opinio, ſed dudum viris doctis, rerumque philoſophicarum veterum gnaris ea ſuboluit. THOM. BVRNETIVS enim, quo vix alius majori judicandi acie in expendendis veterum doctrinis metaphyſicis uſus eſt, in *Archæol. philoſ. l. I. c.* 11. *p.* 428. vidit, monuitque: *quemadmodum numeri progrediuntur ab unitate ſive monade, omnium ſimpliciſſima radice, in magis magisque compoſitos, novasque induunt proprietates in illo progreſſus, ita a Deo ſimpliciſſimo recedere gradatim rerum productarum claſſes, retinereque characteres aliquo modo ſuis numeris analogos; ſicque rerum ortum & emanationem a primo ente progreſſumque*

greſſumque per varios ordines a ſummis ad ima, ſi non ratione explicita, ſaltem per ſymbola & ſimilitudines explicuiſſe. Quæ viri doctiſſimi pronuntiata, ut rem acu tangunt, ita eorum, quæ dicentur, clavis eſſe poſſunt, demonſtrantque eundem, quem Platonis ideæ volunt, conſtituendarum eſſentiarum intelligibilium ordinem Pythagoram reſpexiſſe. Similia dabunt viri docti paſſim, quorum aliquos §. II. laudavimus, inter quos imprimis ſagaciſſimum veteris philoſophiæ indagatorem RVD. CVDWORTHVM in *ſyſtem. intell. c. IV. §. 21. p.* 466. harum rerum curioſo legendum commendamus. Quamvis enim notiones, quæ re nulla interjecta animis noſtris obverſantur, cum æternis illis eſſentiarum exemplaribus confundere videatur, recte tamen obſervavit, *ſcientiæ condendæ ergo atque aſſerendæ, cum ſingularium ſtatum, fluxum illum atque mutabilem, ſufficere non crederent Parmenidis diſcipuli, ideas introduxiſſe, & non tantum in divina mente exiſtere, ſed cauſſas quoque & principia rerum omnium eſſe, dixiſſe. Has vero ideas Pythagoram ſecutos dixiſſe numeros, hincque intelligi notiſſimum ſcholæ iſtius ſcitum, quod multis portentoſum & perobſcurum viſum, numeros eſſe cauſſas & principia rerum omnium, aut, ex numeris facta eſſe omnia & compoſita. Hoc unum ſignificatum eſſe hoc dicto, res omnes ad exemplum idearum, in divina mente repoſitarum, factas & effictas eſſe, & numeros dixiſſe, quod non ſecus atque numeri, a monade, ſeu eo, quod unum eſt, omnes deducerentur.* Provocat etiam ad ARISTOTELIS auctoritatem, qui ideo numeros rerum principia eſſe dixerit, ὅτι εἴδη ἀριθμοὶ, *quod numeri eſſent ideæ:* monet tamen, aliter quoque numerorum rationes Pythagoræ familiam adhibuiſſe, nempe velut rerum ipſarum imagines & ſigna. Quæ omnia recte dici, & magnam lucem fœnerari theologiæ & phyſiologiæ Pythagoricæ, ex hac noſtra diſſertatione manifeſtum fieri putamus. Qua in re calculum nobis adjecit magnus veteris philoſophiæ interpres, eruditiſſimus atque deſideratiſſimus BEAVSOBRIVS, *Hiſt. Manich. T. I. p.* 313. Aliter tamen viſum incomparabili Cudworthiani operis interpreti, qui *ad l. c. n.* 7. benevole commendata ſcriptiuncula noſtra, addit: *ſe quidem nihil repugnare, quin hanc ſententiam probent, ſi qui velint: ſibi vero multum intereſſe videri, inter rerum notiones ſeu ideas, & inter numeros, neque ſatis ſe perſpicue intelligere convenientiam utrorumque.* Quæ provide quidem dicta ſunt, at fluctus niſi fallor in ſimpulo movent; vidiſſet enim vir ſummus, qua animi eſt perſpicacia, numerorum terminum tantum ſymbolicum eſſe, & ad rerum principia ex ſyſtemate emanativo explicanda adhibitum, adeoque re ipſa ab ideis non differre, niſi Cudworthum ideas ſive notiones mentis, cum eſſentialibus rerum exemplaribus Platonis aliquomodo confundentem, ſibi obſtare paſſus fuiſſet. Quare pollicem premere nequimus eruditiſſimo viro, alio loco *p* 443. *n.* 16. aſſerenti: *hanc numerorum Pythagoræ explicationem totam remotam videri a ſententia philoſophi. Etenim naturam rerum ad numerum*

tanquam recens nata venduntur, tempora egiſſe; id de Platone quoque ejusque hypotheſibus dicendum eſt. Etſi enim multa, immo plurima ſua eſſe perſuaſit diſcipulis, ex vetuſtiorum tamen philoſophorum ſcholis hauſit pleraque. Imprimis vero ſectæ Italicæ ſcrinia expilavit ſedulus, potioremque diſciplinæ ſuæ partem Pythagoricis ornavit ſpoliis. Quod ut ex ipſa utriusque ſectæ doctrinarum collatione & comparatione ſatis conſtat, ita nec diſcipulos Platonis atque aſſeclas latuit, potuitve negari. Ipſe enim ARISTOTELES *Metaphyſ. l. I. c. 6.* monet Platonem coluiſſe φιλοσοφίαν τὰ πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις

merum hunc revocaviſſe, aut in rationibus rerum phyſicis reddendis ad numeros confugiſſe, doctrinam vero moralem aut notiones metaphyſicas, numeros ab eo definitas eſſe, apud veteres ſcriptum haud reperiri. Porphyrium e contrario univerſam numerorum diſciplinam, ut a Pythagora eſt tradita, cum argutiis illis metaphyſicis conjunxiſſe, quarum ingens in magiſtri ejus, Plotini libris proventus ſit. Nam quamvis certum ſit, ad explananda rerum naturalium principia numeros adhibuiſſe ſcholam Italicam, neminem tamen rerum veterum latet, eum phyſicarum rerum explicationem ex metaphyſica petiiſſe; & ſi Ariſtotelis aliorumque auctoritas non obſtaret, aſſerentium, Pythagoræ numeros eſſe τὰ εἴδη, ideas illas & metaphyſica rerum principia, ſola Platonis phyſiologia, quam magnam partem ex ſchola Pythagorica hauſit, rem conficeret, & ſatis auctoritatis haberet, ad hanc explicationem fulciendam. Nec veritus eſt IAMBLICHVS *introd. in Nicom. arithm. p.* 13. Hippaſi auditores, quia cuſmatici dicti ſunt, teſtes advocare, qui numerum exemplar mundi creandi dixerunt. Tacemus, ad quem itidem provocat, Philolaum. Sed ut plena dictis fides conſtet, appareatque non Porphyrii demum ætate numeros Pythagoricos ad metaphyſica illa principia rerum naturalium ſignificanda adhibitos fuiſſe, ARISTOTELEM vadem damus, *Metaph. l. I. c.* 6. monentem: Τοὺς ἀριθμοὺς αἰτίους εἶναι τοῖς ἄλλοις τῆς οὐσίας, *numeros cauſſas eſſe rebus reliquis eſſentiæ.* Non diffitemur, incommode & obſcure numeros ad exprimenda illa principia adhiberi; aſt eam culpam obſcuritatis veteres dudum in Pythagora reprehenderunt, quæ tamen, niſi fallimur, haud parum ceſſabit, ſi inter numerum intellectualem, ſcientificum & mathematicum cum IAMBLICHO diſtinguentes, BVRNETII explicationem ſupra datam, velut clavem interpretationis, adhibeamus. Et hæc quidem in limine monenda fuere, ne lectorem talia in lectionis curſu impediant.

γορείοις ἀνακολουθοῦσαν; *philoſophiam in multis Pythagoreos ſequentem.* Nec minus luculenter PORPHYR. *de vita Pyth. p. m. 36.* edit. Rom. *num. 59. pag. 49.* edit. Bat. πρὸς δὲ τούτοις τὸν Πλάτωνα, καὶ Ἀριστοτέλη, Σπεύσιππόν τε καὶ Ἀριστόξενον καὶ Ξενοκράτην ὥς φασιν οἱ Πυθαγόρειοι, τὰ μὲν κάρπιμα σφετερίσασθαι διὰ βραχείας ἐπισκευῆς, τὰ δὲ ἐπιπόλαια καὶ ἐλαφρὰ, καὶ ὅσα πρὸς διασκευὴν καὶ χλευασμὸν τοῦ διδασκαλείου ὑπὸ τῶν βασκάνως ὕστερον συκοφαντούντων προβάλλεται, συναγαγεῖν, καὶ ὡς ἴδια τῆς αἱρέσεως καταχρῖσαι. *Accedit etiam, quod Plato, Ariſtoteles & Speuſippus item Ariſtoxenus & Xenocrates, ut Pythagorei affirmant, utiliſſima quidem pro ſuis venditarint, pauculis quibusdam immutatis: vulgaria autem ac leviora, & quæcunque ad ſubvertendam atque irridendam Pythagoreorum ſcholam ab invidis & calumniatoribus poſtea excogitata ſunt, coacervaverint, & ut ſectæ ejus propria reliquerint.* Quorum prius omnino de Platone & coævis philoſophis verum eſt, poſterius tamen ſequioribus demum temporibus accidit, ut nec ipſe diffitetur Porphyrius. Nemo vero candidius APVLEIO Platonico, *Florid. c. 15. p. m. 359.* edit. Scriv. vel ut in vulgaribus eſt, *l. II. in fin. Noſter Plato nihil ab hac ſecta,* (Pythagorica) *vel paulum devius pythagoriſſat.* Id quod mirum videri non debet, quemadmodum enim Plato præſtantiores philoſophos literariis itineribus adiit, eorumque latices in ſua prata derivavit; ita quoque in Italiam profectus, Philolaum, Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Archytam Timæum quoque audivit, & ex eorum inſtitutione profecit ampliſſime. Cujus teſtis eſt CICERO *Tuſc. Q q. l. I.* qui, *Platonem ferunt,* ait, *ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timæumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia; primumque de animarum æternitate non ſolum*

ſenſiſſe

ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe. Philolaum & Eurytum audiviſſe refert DIOG. LAERT. *l. III. ſ. 6.* quem vide, add. CICERO *de finib. l. V.* ubi luculenter: *Niſi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a barbaris ſacerdotibus numeros & cæleſtia acciperet? cur poſt Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem, Locros? ut, cum Socratem expreſſiſſet, adjungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat, addiſceret.* Paria habet HIERONYMVS *Epiſtol. ad Paul. libr. II. epiſt. I.* quem, ne longiores ſimus, non exſcribimus (*b*).

§. II. Non injuriam itaque facimus Platoni, ſi, ex parte ſaltem eum Pythagoræ caſtra ſecutum fuiſſe, aſſeramus: nec male nos agere putandum, ſi Platonis dogmata in Italicis ſcholis quæramus, Samiumque ſenem comparemus cum iſto philoſopho. Id in præſentia in doctrina de ideis, qua nihil celebrius habuit Platonis Academia, cum dogmate de numeris comparanda, in quibus ſapientiæ apicem & myſteriorum ſuorum ſummam poſuit ſecta Italica, agemus, eaque fuſius probabimus, quæ paucis tantum, & ὡς ἐν παρόδῳ *in hiſtor. philoſoph. doctr. de ideis Sect. I. §. 2. p. 8. ſeq.* diximus, ſcholæ Italicæ numeros cum Platonis ideis quam maxime convenire. Licet enim ibi ſatis probatum dederimus, Platonem primum fuiſſe, qui ideæ vocem ad ejusmodi ſubſtantias intellectuales applicuerit, & de iis ex inſtituto fuerit philoſophatus: certum tamen eſt, multa in iſtam doctrinam ex Pythagoricis numeris eum transtuliſſe,

(*b*) Conferri hic, ſi tanti videntur, ea poſſunt, quæ de Platonis itineribus literariis *in hiſt. crit. philoſ. T. I. p. 633.* diximus. Quo loco etiam *p. 639. ſeqq.* fuſe expoſuimus, qua ratione ſe diſciplinæ Pythagoricæ Plato immerſerit, libroſque Pythagoricos adeptus ſcholæ Italicæ ſcrinia expilaverit, plagii ideo dudum accuſatus, quæ repetere nihil vacat, cum his autem, quæ hoc loco olim diximus, omnino comparanda ſunt, cum haud leve ſententiæ noſtræ pondus addant.

tuliſſe, multa debere ſectæ Italicæ. Id quod & facta comparatione patebit manifeſte, & a viris veterum doctrinarum peritiſſimis jam obſervatum eſt. Ex quibus præter CVDWORTHVM in *Syſtem. intellect. p. 388.* & vener. IO. CHR. WOLFIVM *in not. ad Origen. philoſophum. p. 31.* DAN. GEOR. MORHOFIVS *Polyh. liter. T. II. l. I. cap. 2. §. 4. p. 13.* quem locum tamen Wolfius ex mſc. laudat, non inconcinne: *Ego, quod ad numeros attinet, exiſtimo, Pythagoram illis uſum fuiſſe, ut ideis ſuis Platonem, formis Ariſtotelem, lineolis ſuis Chinenſes. Res enim eodem recidit, an verbo quodam rationali, an ſignis exprimantur rerum differentiæ, ad conceptum enim mentis omnia referuntur.* Eadem non affirmat ſolum, ſed confirmat etiam accurate, ut ſolet, acutiſſimus philoſophus IOAN. CLAVBERGIVS peculiari epiſtola ad SAM. TENNVLIVM, data, quam hic *notis ad Iambl. introd. in arith. Nicomachi p. 177. ſeq.* inſeruit, quæ cum longior ſit, quam ut hic locum capiat, lectorem ad eum remittimus. THOMAS BVRNETVS vero, vir in perſpiciendis veterum hypotheſibus feliciſſimus, in *archæolog. philoſ. l. I. cap. 11. p. 428. ſeq.* totus in eo eſt, ut demonſtret, *aut per numeros intelligendas eſſe cauſſas exemplares, imagines quasdam rerum e ſuis cauſſis orientium, aut nullam numerorum eos vel diverſam plane a nobis habuiſſe ideam.* Immo nec recentiores tantum in eam ſententiam deſcenderunt, verum etiam ex veteribus TERTVLLIANVS Pythagoræ numeros cum Platonis ideis conjunxit, ita enim *de anima c. 32. Ceterum ſi atomos Epicuri tenerem, & numeros Pythagoræ viderem, & ideas Platonis offenderem, & entelechias Ariſtotelis occuparem, invenirem forte his quoque ſpeciebus animalia, quæ nomine contrarietatis opponerem.* Ex his ea dijudicari poſſunt, quæ PETR. CALANNA in *philoſophia ſeniorum p. 68.* excerpente V. C. IO. HENR. A SEELEN *ſelect. liter. p. 707.* hac de re

 affert.

affert. *Quid aliud*, ait, *idea eſt, niſi exemplar, meta & menſura rei faciendæ? Pythagoras, ut ab eo exordiamur, & Pythagorei omnes numeros abſtractos, non tamen arithmeticos, poſuerunt in Deo, quos ideas rerum faciendarum vocitabant, & in res phyſicas immutari arbitrati ſunt. Plato, Pythagoram ſecutus, ita corrigit: non permutari quia perpetuæ ſint, ſed immutari.* Quæ an omnia ad Platonis mentem dicta ſint, facile diſpicere eſt, ſi ea conferamus, quæ in *hiſt. de ideis ſect. I. §. 3. ſqq.* prolixe adducta ſunt. (*c*)

§. III. Tranſtulit itaque numeros in ſcholam ſuam ex Pythagoræ ſecta Plato, nec contemnendam faciemus ad hiſtoriam doctrinæ de ideis acceſſionem, ſi, quæ Pythagoras hac de re docuit, imitatus eſt Plato, expendamus. Verum enim vero hic labor hoc opus eſt, tantaque hoc negotium circumſeptum difficultate, & rerum pariter atque verborum obſcuritate, ut vix invenias, ubi pedem figas. Recte enim & ex vero TH. BVRNET. *l. c. p. 426.* monet: *Pythagoram in phyſiologia univerſi explicanda rejectis fabulis numeros ſubſtituiſſe, non feliciori exitu. Evanuiſſe enim paulatim iſtas rerum umbras, & fugiſſe ſenſus noſtros. Quis*, pergit, *unquam ſapientior evaſit ex numeris Pythagoricis? aut veritatem ſibi antea ignotam exinde didicit? Certe quas mihi contigit hactenus, aut apud veteres aut recentiores, numerorum Pythagoricorum interpretationes inſpicere, notitias vulgares exhibent, quales aliunde facile eſſet addiſcere, aut tenues argutias de rerum principiis abſque*

(*c*) Nempe probe ad id attendendum eſt, quod ſatis accurate obſervat IO. BAPT. CRISPVS in rariſſimo libro *de Platone caute legendo, diſt. I. l. I. p. 15. ſeq. dici his hominibus numerum primo divinum, deinde ſubſtantialem, tertio animalem, cui proximus eſt naturalis, tandem omnium infimum mathematicum.* Aliter enim ſe habere putabant numerum ad Deum, aliter ad principia naturalia, aliter ad hominis animam. Falſum autem quod Calanna Pythagoricis & Platoni tribuit, ideas rerum faciendarum in res phyſicas vel permutari vel immutari; neutrum enim definitio numeri patitur.

abſque fundamento, & ſine fructu (*d*). Nec aliunde illis lucem accendere, vel auxilii quicquam ab eis petere licet, a quibus arithmeticam hauſiſſe dicitur Pythagoras. Didicit quidem eam philoſophus a Phœnicibus, quos diſciplinæ cauſſa adierat, quosque *περὶ ἀριθμούςτε καὶ λογισμοὺς ἐπιμεληθῆναι*, *numerorum & proportionum ſtudioſiſſimos*, eamque ob cauſſam a Pythagora ſalutatos fuiſſe ait PORPHYR. *de vita Pyth. p. m. 4. n. 6.* edit. Batav. teſte, quem laudat, LYCO *l. IV. Hiſtor.* immo, ſi Joſepho apud VOSSIVM *de ſcient. mathem. c. 8.* fides eſt, ab Ægyptiis quoque arithmeticam didicit, in quo adſtipulantem ſibi habet APVLEIVM *florid. c. 15. p. m. 358. in Ægypto a ſacerdotibus ceremoniarum in credendas potentias, numerorum admirandas vices, geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe Pythagoram*, aſſerentem; conf. IO. SCHEFFERVS *de nat. & conſtit. phl. Ital. c. V. p. 21. ſeqq.* & quos porro laudat; impetrare tamen a nobis non poſſumus, ut credamus, ipſam philoſophiam de principiis univerſalibus, quam ſub ſymbolis numerorum propoſuit Samius philoſophus, eum didiciſſe a Phœnicibus & Ægyptiis ſub ſchemate numerorum. Phœnices enim, qui mercaturæ cauſſa totum fere terrarum orbem circumivere, ut erudite & prolixe probavit SAM. BOCHART. *geograph. S. l. II. c. 2. ſeqq. p. m. 367. ſeqq.* arithmeticam tantum vulgarem excoluerunt, & præter aſtronomiam ad dirigenda navium itinera neceſſariam de philoſophicis doctrinis pauca delibarunt, ſi unum alterumve, licet & hos dubiæ fidei, exceperis, inter quos Moſchus fuiſſe dicitur, quem non ſolum eundem cum

(*d*) Ex vero illuſtris MOSHEMIVS *ad CVDWORTHVM c. IV. ſ. 20. p. 445. not. 16. Quæ de numeris Pythagoricorum tradunt veteres, tantam habent tum obſcuritatem tum inconſtantiam, ut ſi vellent, muſicos, lanios, coquos topiarios, & quos non? artium ſuarum in illis initia & elementa invenire poſſe putem.* Verum hæc communia doctrinarum ſymbolicarum fata ſunt.

Moſe facit, ſed & ejus ſucceſſores Pythagoræ præceptores fuiſſe contendit PETR. DAN. HVETIVS *Demonſtrat. evang. prop. IV. §. 8. p. 53.* invitis veterum teſtimoniis, id quod ante eum in Arcerio reprehendit SCHEFFERVS, *l. c. p. 20.* (*e*) Aegyptiorum vero philoſophia, quantacunque etiam fuerit ejus celebritas, impoſtura magis fuit, quam ſapientia, exceptis iis diſciplinis, quas ad humanam utilitatem & commoditatem referebant, qualis fuit geometria; ſymbolorumque atque imaginum hieroglyphicarum umbris inanem tegebat loquacitatem, vanaque hominum otioſorum & ad decipiendum vulgus natorum factorumque ſomnia: unde nihil minus quam profunda veterum, ſi quæ modo fuit, phyſiologia ab iis diſci potuit. Rem alibi ſatis jam ab aliis probatam & facile probandam, quia limites noſtros excedit, multis non confirmamus, conferendus tamen accuratiſſimus HEVMANNVS *act. philoſ. T. I. p. 229. 634. ſeqq.* & imprimis magnus CONRINGIVS *de hermet. Aegypt. medicina c. XII. p. m. 119. ſeqq.* qui per omnes ſapientiæ partes eundo, quam tenuis earum fuerit eruditio, præſertim in rebus ad philoſophiam ſpectantibus, luculenter ſatis demonſtrat, ipſe omnino conſulendus (*f*). Quicquid igitur de numeris didicit Pythagoras, id ad numerorum rationes mathematicas, non ad phyſiolo-

(*e*) Conferenda hic ſunt, quæ ex inſtituto diximus *hiſt. critic. philoſ. T.I. p.230 ſeqq.* Addi his debet, quæ de Pythagora, numeros philoſophicos a Phœnicibus non edocto diximus: incertiſſimum eſſe, num Pythagoras unquam Phœnices adierit, & pleraque, quæ de eo itinere veteres narrant, nugas Eclecticorum eſſe. Vel ſi concedamus, quod non plane vero eſſe diſſimile putamus, adiiſſe iuvenem Pythagoram Phœnices, ex quibus parentes ejus oriundi erant, probari tamen non poſſe, eum, quod magnis mendaciis jactat IAMBLICHVS *vit. Pyth. l. III n.* 13. 14. collegia philoſophorum adiiſſe, eorumque myſteria philoſophica didiciſſe, & ſacris myſteriis initiatum fuiſſe, qualia eo tempore inter Phænicios floruiſſe probari nequit. Conf. *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1001.

(*f*) Add. *hiſt. crit. philoſ. T. I. p. 272. ſeq.* Quamvis autem cum reliquarum diſciplinarum mathematicarum rudimen-

ſiologiæ principia & demonſtrationes, ſive, ut Pythagorico loquendi more utamur, numeros intellectuales referendum eſt, quas numerorum rationes ſymbolicas ipſe denique Pythagoras, ex more orientis ad principia philoſophica primus adhibuit. Quod non obſcure confirmat STOBAEVS *Ecl. phyſic.* c. 2. quando ita: τὴν περὶ τοὺς ἀριθμοὺς πραγματείαν μάλιστα πάντων τιμῆσαι δοκεῖ Πυθαγόρας, καὶ προάγειν εἰς τὸ πρόσθεν ἀπαγαγὼν ἀπὸ τῆς τῶν ἐμπόρων χρείας, παντα τὰ πράγματα ἀπεικάζων τοῖς ἀριθμοῖς. Αἰγύπτιοι δὲ Ἑρμοῦ φησὶν εὕρημα, ὃν καλοῦσι θώθ. *Numerorum diſciplinam maximi videtur feciſſe Pythagoras, & in medium a mercatorum uſu abductam protuliſſe, rebus omnibus cum numeris comparatis. Aegyptii vero Mercurii, quem Thoth vocant, hoc inventum ſtatuunt.* Ubi merito miramur, virum cetera accuratiſſimum IO. SCHEFFERVM *l. c. p. 22.* hæc poſteriora de arithmetica philoſophica intelligere, cum, niſi me omnia fallant, ſatis clare dicant, mercatorum, id eſt, vulgaris arithmeticæ inventorem fuiſſe Mercurium, Pythagoram vero eam demum ad rerum naturam explicandam tranſtuliſſe. Hinc nulla fuit neceſſitas viro laudato, in citato Apuleii loco pro *vices* numerorum, *vires*, invitis mſc. & re ipſa, legendi; nam quemadmodum numeris vires nullæ ſunt, ita alia mens non erat Apuleio, niſi hæc, varias computandi rationes & proportiones, id eſt viciſſitudines, ut ita dicam, didiciſſe ab Aegyptiis

tis, arithmeticam quoque apud Aegyptios floruiſſe minime negandum videatur, cave tamen putes, numeros Pythagoræ vel intellectuales vel ſcientificos, quatenus mathematicis in ſchola Pythagoræ opponuntur, ab Aegyptiis philoſophis fuiſſe excultos. Aliud enim ipſa phyſiologiæ Aegyptiacæ ratio ſuadet, aliud methodus ſymbolica poſtulat, quæ numeros pro ſymbolis nunquam adhibuit, ſed tantum ad eas vitæ commoditates, quibus inſervire cupiebat diſciplinarum apud Aegyptios auctor Hermes.

gyptiis Pythagoram. De numeris philoſophicis certe nihil apud Madaurenſem, ſed de mathematicis, quibus geometriæ præcepta junguntur; quemadmodum nec tota iſta diſtinctio inter arithmeticam vulgarem & philoſophicam ad Phœnices & Aegyptios quadrat. Quæ cum ita ſint, ex Phœnicum & Aegyptiorum philoſophia, ejusque hiſtoria, quæ quidem in ſe quoque obſcuriſſima eſt, nihil nobis enaſcitur auxilii, unde rem obſcuram intelligamus felicius, quin potius, cum Pythagoras auctor numerorum, non vulgarium, ſed philoſophicorum, recte habeatur, quæ ſententia veteribus quoque quibusdam placuit, apud MEVRSIVM *de denar. Pythag. c. I. p. 6.* ex ipſo Pythagora ejusque ſectatoribus harum rerum haurienda eſt cognitio.

§. IV. Sed progreſſum ad Pythagoram ipſum, quique eum ſectati ſunt, facturis, non minus impeditum iter ſe offert, nec minores difficultates, incertitudo & obſcuritas haud facile diſpellenda; adeo ut ad omnia accurate attendenti rerumque momenta penſitanti idem pronunciandum ſit, quod de Platonis incertitudine & obſcuritate in *hiſtor. de ideis ſect. I. ſſ. 3. p. 19.* aſſeruimus & probavimus, *vix certi perſpicuique quid afferri poſſe, cunctaque ad conjecturas redire.* Cujus cauſſæ variæ ſunt, illis, quas de Platone attulimus, fere ſimiles, immo, ſi rem recte æſtimes, plures majorisque momenti. Inter potiores vero ea referenda eſt, quod non tantum ipſe Pythagoras nihil nobis ſcriptum reliquit, ſed & potiorum Pythagoreorum ſcripta temporis injuria, immo aliarum quoque ſectarum invidia interciderunt. Quod ad illud attinet, videmus quidem, multum ſuper hac quæſtione ambigere viros doctiſſimos, tum veteres tum recentiores, an Pythagoras ipſe aliquid ſcripſerit, ſcriptumve reliquerit? Inter veteres in affirmantem ſententiam propendent imprimis LAERTIVS *l. VIII. ſ. 6.* qui ſatis confidenter:

ἔνιοι

ἔνιοι Πυθαγόραν μηδὲ ἓν καταλιπεῖν σύγγραμμα φασὶ, διαπαίζουσι, *quidem Pythagoram nihil ſcripſiſſe tradunt, ſed nugantur*, mox vero ad Heracliti phyſici verba provocat, eumque tria volumina ſcripſiſſe ait, *de inſtitutione, de civilitate, de natura.* PLINIVS quoque *in hiſtoria naturali* paſſim ad Pythagoræ libros provocat, vid. *l. IX. c. 9. l. XXV. c. 3.* ubi expreſſe dicit, *Pythagoram primum volumen de herbarum effectu compoſuiſſe*, hinc videas apud Laërtium, Suidam & alios Pythagoræ ſcripta enarrari, vid. omn. STANLEIVS *hiſt. philoſ. P. VIII. c. 22. p. 698. ſeq.* adde PROCLVM *l. III. in Tim. Plat.* HIERONYMVS vero in *apolog. adv. Rufinum* ſatis dubitanter loquitur. Inter recentiores præter ALDOBRANDIN. *ad l. c. Laert.* IO. SCHEFFERVS quoque *de nat. & conſtit. philoſ. Ital. c. XIII. pag. 131.* huic ſententiæ adhæret, verbis IAMBLICHI *de vit. Pyth. c. 19. n. 90. pag. 75.* ductus, ubi de Abaride: Τὸ περὶ φύσεως σύγγραμμα καὶ ἄλλο τὸ περὶ θεῶν αὐτὸν ἀνεδίδαξεν, *edocuit eum ſcriptum ſuum, de natura, itemque aliud de Diis*, præeunte clar. ICto CONR. RITTERSH. *ad h. l. p. 85.* qui potiora hujus ſententiæ argumenta erudite explicat. Sed contraria quoque ſententia non minores nacta patronos eſt. Inter quos PLVTARCHVS *de fortit. Alex. p. 329.* luculenter: Καίτοιγε Πυθαγόρας ἔγραψεν οὐδὲν, οὐδὲ Σωκράτης, οὐδὲ Ἀρκεσίλαος, οὐδὲ Καρνεάδης, οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων. *Pythagoras nihil quicquam ſcripſit, neque Socrates, neque Arceſilaus, neque Carneades, philoſophorum ſpectatiſſimi.* Sic IOSEPHVS quoque *l. II. contra Appion.* ſuo jam tempore *nullum ejus ſcriptum firmiter receptum eſſe* notat, αὐτοῦ μὲν οὐδὲν ὁμολογεῖται σύγγραμμα. His addimus LVCIANVM, qui *de lapſu in ſalutatione T. I. p. 497.* ὁ μέντοι θεσπέσιος Πυθαγόρας εἰ καὶ μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον

καταλιπεῖν τῶν αὐτοῦ ἠξίωσεν, quanquam divinus ille Pythagoras ipſe nihil proprium ſuorum nobis relinquere voluerit. Pariter PORPHYR. *de vita Pyth. n. 57. p. 52.* οὐδὲ γὰρ τοῦ Πυθαγόρου σύγγραμμα ἦν, *nullum enim Pythagoræ ſcriptum extabat.* His add. ARISTID. *Orat. II. pro Rhet. T. III. p. 495.* AVGVSTIN. *con. ev. l. 1. cap. 7.* CLAVD. MAMERT. *l. II. de ſtatu animæ c. 3.* aliosque paſſim nominatos, quorum verba, ne plus juſto longiores ſimus, conſulto prætermittimus. Ex recentioribus vid. BESSARIO *Cardin. contra calumn. Plat. l. I. c. 2.* IVST. LIPSIVS *introd. in philoſoph. Stoic. l. I. diſſ. 6. pag. m. 36. ſeq.* SAM. TENNVL. *ad Iamblichi introd. in Nicomach. arithm. p. 72. ſeqq.* AEGID. MENAG. *ad Laert. l. VIII. ſ. 6. T. II. p. 350. ed.* Wetſten. TH. BVRNET. *archæol. philoſ. l. I. c. 13. p. 423.* & qui imprimis nominandus erat, accuratiſſimus harum rerum judex *P. BAELIVS dict. crit. T. III. art. Menage* pluresque alii; conf. omnino Cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. II. cap. 12.* Et profecto ſi in tanta rerum incertitudine ponderatis utriusque partis argumentis aliquid certi ſtatuendum eſt, Pythagoram nihil, præſertim quod ad philoſophiam pertinet, ſcripſiſſe, vero videtur longe ſimilius. Vt enim taceamus, conſenſum veterum longe altera parte majorem, ut taceamus, nomen Pythagoræ pluribus commune, ut videre eſt apud LAERT. *l. VIII. ſ. 46.* & IONSIVM *de Script. hiſtor. philoſ. l. IV. p. 341. ſeqq.* errori anſam dare potuiſſe, quemadmodum philoſophum noſtrum cum alio Pythagora corporum exercitatore noſtro coævo, ejusque ſcriptis confundit Porphyrius; ipſa docendi methodus, de qua mox plura, non permiſit Pythagoræ doctrinam ſuam ſcriptis conſignare, ſicque in vulgus eam diſpergendi dare occaſionem. In id enim omnem contulit operam, ut quam maxime occultarentur ſua, unde

de quicquid etiam extra philoſophiæ cancellos ſcriptum vel notatum habuiſſe quibusdam dicitur, Damoni filiæ moriens commendaſſe fertur, monuiſſeque, ut ſecretum cuſtodiret, quæ etiam parentis juſſis mordicus inhæſerit; conſ. IAMBL. *c. 28. n. 146. p. 122.* Magis itaque arridet, & veritati longe conformior eſt PORPHYRII relatio, *l. c.* Dicæarcho & accuratioribus, ut ipſe monet, auctoribus nixa, *Pythagora præ mœrore propria manu e vivis ſublato, exuſtisque igne diſcipulis unum alterumve, & in his Lyſidem & Archippum, evaſiſſe, qui deficientem cum combuſtis, quam hucusque in pectoribus arcanam reconditamque cuſtodierint, præter quædam intellectu difficilia, quæ exterioris admiſſionis auditores memoria repetebant, ſcientiam, exiguos ſcilicet philoſophiæ igniculos, obſcuros eos admodum & perveſtigatu difficiles conſervarint, verentesque ne philoſophiæ nomen inter homines interiret penitus, commentaria quædam ſummatim compoſuerint, antiquorum ſcriptis & eorum, quorum ipſi meminerant, in unum redactis.* Quæ certe cum tota Italicæ philoſophiæ indole egregie conſpirant, & facilem ad argumenta contraria ſuppeditant reſponſionem. Nam non ex hoc ſolum Porphyrii loco paulo obſcurius, ſed & ex IAMBLICHO *de vit. Pyth. l. I. c. 29. num. 158. pag. 133.* aperte patet, Pythagoræ diſcipulos, ſua ex magiſtri mente conſcripta, vel quæ ex ejus ore auditu exceperant, more toti orienti & plerisque philoſophorum vetuſtiſſimorum diſcipulis recepto, Pythagoræ inſcripſiſſe, ob eamque cauſſam non ſuum, ſed magiſtri nomen commentariis ſuis præfixiſſe; τὰ δὲ ἀπὸ τῆς ἀκροάσεως αὐτοῦ συγγεγραφέσθαι, καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἑαυτὸν ἐπεφήμιζον αὐτὰ, ἀλλὰ εἰς Πυθαγόραν ἀνέφερον αὐτὰ, ὡς ἐκείνου ὄντα. *Quæ ex ore ipſius audita exceperunt, & in literas retulerunt, ea ne pro ſuis quidem venditarunt, ſed retulerunt ad Pythagoram,*

 tanquam

tanquam quæ ipſius eſſent. Manifeſta itaque cauſſa & occaſio, qua decepti veterum quidam & poſt eos recentiores Pythagoræ libros aſſignaverunt, conf. SCHEFFER. *l. c. p. 132. ſeqq.* qui plura commodabit. Loco vero Iamblichi a Scheffero in contrariam partem adducto, & ſupra nobis obſervato alium opponimus ipſius IAMBLICHI *l. I. cap. 31. n. 200. p. 165.* ab ipſo quoque viro eruditiſſimo *l. c. p. 133.* citatum: ἐν τοσαύταις γενεαῖς ἐτῶν οὐδεὶς οὐδενὶ φαίνεται τῶν Πυθαγορείων ὑπομνημάτων περιτετευχέος πρὸς τοῦ φιλολάου ἡλικίας. *Inter tam multa annorum curricula & ætates nihil unquam Pythagoricorum hypomnematum confectum elaboratumque apparet, ante Philolai tempora.* Ille enim Philolaus primus fuit, qui tres libros Pythagoræ nomine inſignitos vendidit Dioni centum minis, a quo poſtea venerunt ad Platonem, ut ipſe quoque Iamblichus refert. Nec difficulter quoque uterque Chalcidienſis philoſophi locus conciliari poteſt. Ille enim, ad quem Schefferus provocavit, locus non hunc ſenſum habet, Pythagoram libros de diis & de natura prius conſcripſiſſe, deinde vero docuiſſe Abarim, ut a Laertio ſeductus putat vir doctiſſimus: ſed Abarim ea de natura atque diis a Pythagora doctum fuiſſe & ex ejus ore percepiſſe, quæ poſtea, more Pythagoreo, in libros retulit, ſcriptaque reliquit. Qui quidem ὡς ἐν βραχυτάτοις, *compendiaria via*, vel ut *infra n. 93.* ait, φυσιολογίαν καὶ θεολογίαν ἐπιτετμημένην, *phyſicam & theologiam in compendium redactam* a Pythagora didicit, quod vero non de libri quodam, ſed methodi compendio intelligendum, innuit enim, omnes diſciplinæ ſuæ ambages ritus & initiationes omiſiſſe Pythagoram, cum Abarim, diu jam ſacrorum arcanis innutritum, erudiret. Ceterum non negamus, Iamblicho certum fuiſſe viſum, Pythagoræ quosdam fuiſſe libros:

ait

ait enim *cap. 29. n. 158. p. 133.* ὁμολογεῖται τὰ μὲν Πυθαγόρου εἶναι τῶν συγγραμμάτων τῶν νῦν φερομένων, *in confeſſo eſſe, quædam inter ea ſcripta, quæ circumferuntur, Pythagoræ eſſe,* miramur tamen, Iamblichum, quem cauſſa erroris non latuit, ut modo diximus, traditioni tot modis ſibi contradicenti dare potuiſſe fidem. Nulli igitur dubitamus cum LIPSIO *l. c.* aſſerere: *germanum Pythagoræ ſcriptum nullum fuiſſe, ſed a diſcipulis ſub magno illo nomine quædam divulgata,* quidquid *etiam librorum illi pertinax fama antiquitasve vindicant,* ut PLINIVS vult, *Hiſt. nat. l. XXIV. c. 17.* nam non ſolum Pythagoram medicum, de quo LAERT. *l. VIII. ſ. 46.* cum philoſopho confudiſſe videtur, ſed & mox ipſe ſubjicit egregie: *id ipſum auctoritatem voluminibus affert, ſi quis alius curæ ſuæ opus illo viro dignum judicavit* (g).

§. V. Quemadmodum vero ab ipſo Pythagora in cognoſcenda ejus de naturæ myſteriis ſententia nulla peti poſſunt auxilia, ita diſcipulorum quoque & ſectatorum par fere ratio eſt, paucaque inde ſubſidia nobis enaſcentur. Nam magiſtri more educati ſapientiæ ſuæ myſteria quam maxime occultabant, adeoque a libris conſcribendis, quantum licebat, abſtinebant, & in diſcipulorum numerum receptos ex memoria erudiebant. Id quod PLVTARCHI conſtat teſtimonio, in *Numa* dicentis: ὡς λογισμῷ φασὶ μηδὲ τοὺς Πυθαγορικοὺς εἰς γραφὴν διατίθεσθαι τὰ συντάγματα, μνήμην δὲ καὶ παίδευσιν αὐτῶν ἄγραφον ἐμποιεῖν τοῖς ἀξίοις, *eadem ductos ratione nec Pythagoreos memorant præcepta ſua ſcripto mandare, ſed memoriam & diſciplinam eorum inſtillare vivam.* conf. IAMBLICH. *l. I. c. 29.* unde PORPHYRIO quoque *l. c. p. m. 40.* eorum ſapientia audit

(g) Add. quæ accurate, niſi fallimur, ea de re diſputata ſunt in *hiſt. crit. philoſ. T. I. p. 1013.* unde, quæ hic de iſto argumento dicta ſunt, ſuppleri poſſunt.

dit ἄῤῥητος ἐν τοῖς στήθεσιν φυλαχθεῖσα, *in pectoribus arcane & recondite cuſtodita.* conf. SCHEFFERVS *l. c. c. 13. p. 130.* Quod ſi vero accideret, quod aliquando accidiſſe negari non poteſt, ut literis conſignarent magiſtri præcepta, dici non poteſt, quanta diligentia occultaverint præcepta ſua, & cum ſuis tantum ſub ſacramenti religione communicari permiſerint. Quod expreſſe PORPHYRIVS *l. c.* narrat, Lyſidem & Archippum ejusmodi libellos a ſe conſcriptos ἐπισκήψαι υἱοῖς ἢ θυγατράσιν ἢ γυναιξὶ μηδενὶ δοῦναι τῶν ἐκτὸς τῆς οἰκίας, οἱ δὲ μέχρι πολλοῦ χρόνου τοῦτο διετήρησαν, ἐκ διαδοχῆς τὴν αὐτὴν ἐντολὴν διαγγέλλουσαι, *præcepiſſe filiis ac filiabus aut uxoribus, ne cuiquam extra familiam eorum copiam facerent, idque continua quadam ſucceſſione privatim poſteris denunciantes permulto tempore obſervarunt.* Confer locum quem ex CLEM. ALEXANDR. *l. V. Strom.* hic omnino notandum attulimus in *hiſt. de ideis Sect. I. §. 3. p. 23. ſq.* & quæ IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 31. n. 193. ſeqq. p. 160. ſeqq.* de ſilentio eorum, ne mortis quidem & tormentorum metu fracto refert. Pauci itaque immo pauciſſimi libri Pythagoreorum in peregrinas manus venerunt, donec ad Platonem libri Dioni a Philolao venditi pervenirent, vid. A. GELLIVS *Noct. Attic. l. III. c. 17.* LAERT. *l. VIII. §. 85.* IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 31.* ex quibus TZETZES verſiculos idem teſtantes contexuit, *Chiliad. X. Hiſtor. 355.* quos repetit MENAGIVS *ad Laert. l. c. p. m. 389.* edit. Wetſt. quique appoſite ad hunc Pythagoreorum morem:

Ὅρκια γὰρ ἦ δίδυσθαι ταῦτα Πυθαγορείοις,
Ἑτέροις μὴ πωλεῖσθαι δὲ Πυθαγορείων βίβλους.

Jusjurandum enim interceſſerat, datum iri libros illos Pythagoreis,
Ceteris autem nunquam vendendos.

Et

Et ex his libris non Timæum tantum his auctoribus exſcripſiſſe Plato dicitur, ſed ſine dubio ea quoque cum illis iunxit, quæ ipſe, cum Italiam inviſeret, ex ore Pythagoreorum didicerat. Inde vero nova exſurgit incertitudinis ratio. In manus enim non initiatorum devoluti libelli cum non intelligerentur, partim corrupti ſunt, partim depravati in odium ſcholæ Italicæ, melioribus obſervationibus inde ſurreptis: cujus non Platonem ſolum ſed & Ariſtotelem, Speuſippum, Ariſtoxenum & Xenocratem accuſant Pythagorei, quorum hac de re querelas ex Porphyrio ſupra §. I. retulimus. Quanta vero hæc ſecta invidia flagraverit, ut multa ſpecimina docent, ita infelicia Crotoni, Tarenti & Metaponti perpeſſa fata, Porphyrio, Iamblicho aliisque narrata ſatis loquuntur; conf. SCHEFFERVS *l. c. c. XV. p. 75.* Et hanc quoque cauſſam eſſe putamus, cur tam pauca Pythagoreorum ſcripta habeamus reliqua, ceteris ab ipſis ſcilicet & ab adverſariis ſuppreſſis. Philolaum enim, Archytam Tarentinum, Eudoxum & Empedoclem philoſophiam Pythagoræ deſcriptam reliquiſſe refert Laërtius & poſt eum alii, vid. cel. FABRICIVS *l. c.* TH. BVRNET. *Archæol. philoſ. c. XI. p. 430. ſeqq.* ut Ariſtoxenum, Heraclidem, Neanthem, Hermippum aliosque plurimos taceamus. Hi vero omnes deſiderantur. Quæ vero poſterioris temporis homines Iamblichus, Porphyrius, Proclus & his ſimiles nobis reliquere, ab iſta ætate nimis ſunt remota, *& in non paucis minime aſſequuntur veterum Pythagoricorum gravitatem ſapientiamque*, judice SCHEFFERO *l. c. p. 101.* (*h*) quemadmodum juſtiſſime in Porphyrio propenſionem

(*h*) **Amplus hic nobis campus eſſet, de fide Platonicorum ſequiorum ſublеſta in hiſtoria Pythagoræ commentandi. Cum vero rei omnis ſummam fuſe *T. II. hiſt. crit. l. I. c. 2. ſect.* 2. quo loc. omnem hujus ſectæ hiſtoriam critice expoſuimus, enarraverimus, actum non agemus, conſulenda imprimis ſunt, quæ §. 16. *p.* 378. de nugatorum iſtorum fraudibus,**

ſionem ad ineptas allegorias, & ἑυρεσιολογίας moroſas taxat MERIC. CASAVBON. *ad Laërt. VIII. 34. p. m. 515.* quod vel ſolum, quem *de antro Nympharum apud Homerum*, ſcripſit, libellum perlegenti ſatis erit perſpectum; quicquid alias ab EVNAPIO *in vit. philoſ. p. m. 14. ſeqq.* & poſt eum ab aliis elogiorum ab HOLSTENIO *diſſ. de vita & ſcript. Porphyrii c. I. pag. 10. ſqq.* collectorum in eum congeſtum eſt (*i*). Et hæc tamen præcipua ſunt, ſi pauca veterum fragmenta hinc inde occurrentia excipias, quibus innitendum eſt. Unde quam tenuis & incerta ſit Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoria, cæcus ſit oportet, qui non videat.

§. VI. Sed fingamus, genuinos primorum Pythagoreorum libros nobis ſupereſſe, cum toto tamen Italicæ philoſophiæ habitu ita comparatum eſt, ut nihil certi inde nobis polliceri queamus. Nam Pythagoram ejusque ſcholam ex more philoſophorum orientalium, imprimis Aegyptiorum, ſua admodum celaſſe & ſacro ſilentii ſipario involviſſe, adeoque quæ proponebantur, obſcuriſſime tradidiſſe, quis antiquitatis tam ignarus eſt, ut id neſciat? Quare prolixa probatione merito ſuperſedemus, præſertim cum diligentiſſimus SCHEFFERVS, libro ſæpius laudato variis locis, v. g. *c. X. p. 52. ſeqq. c. XIII. p. 125. ſeqq.* nobis otium fecerit, ubi ea cumulata habes, quæ ad hujus rei probationem dici poterant (*). Videas itaque obſcuriſſimis ſymbolis & ænigmatibus omnia involuta, & tam tecte tradi-

ſuppoſitionibus, mentiendi audacia & libidine, ex certiſſimis veterum teſtimoniis adduximus.

(*i*) Multus in eo eſt Holſtenius, ut fidem Porphyrii vindicet, aſt comparanti eius vitam Pythagoræ cum illis, quæ ſuo loco ex collatis veterum narrationibus demonſtravimus, patebit, nulla in re Porphyrium fuiſſe reliquis ſuæ familiæ hominibus vel meliorem, vel fide commendabiliorem, niſi quod pulchrius doctiusque haud raro mentitus ſit. conf. *hiſt. crit. phil. T. II. p. 259.*

(*) Add. *hiſt. crit. phil. T. I. p. 1038.*

tradita, ut Oedipo ad ea intelligenda & interpretanda ſit opus: quæ cum loco fabularum a Poëtis adhibitarum uſurpaverit Pythagoras & aſſeclæ, qui τὰ ἀπόῤῥητα καλύπτοντες ἀσαφείᾳ καθάπερ οἱ Ποιηταὶ τοῖς μύθοις, *arcana ſua quæque effari nefas eſt, obſcuritatis latebris, ſic, ut, poëtæ fabulis, involverunt*, ut ait EVNAPIVS in *vita Porphyrii, vit. Sophiſt. p. m. 14.* expeditiora & faciliora certe intricatiſſimis fabularum labyrinthis non ſunt, quod vel eo argumento manifeſte conſtat, quod tot tamque diverſas tota Pythagorica philoſophia, imprimis vero ſymbola, paſſa ſint interpretationes, paſſim videndas, junctim vero apud STANLEIVM. *Hr. Phl. P. VIII. c. 2. ſqq. p. 282. ſeqq.* & IO. GEORG. PASCHIVM *de variis modis tradendi moralia c. IV. ſ. 18. p. 408. ſeqq.* quosque fuſe affert cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. II. p. 457. ſeqq.* quas merito cum diverſiſſimis inter ſe Poeticarum fabularum expoſitionibus obſcuritate cum Pythagoræ numeris ſymbolisque certantium compares, *conf.* B. BVDDEVS, *philoſophus fabularum amator anal. hiſtor. philoſ. diſſ. II. p. 45. ſeqq.* TOVRNEMINE *Memoires pour l'hiſtoire de ſciences T. VI. p. 83. ſeqq.* Et profecto ut ad numerorum doctrinam dicta transferamus, quis niſi ænigmata & griphos putet, quando *Monas* vocatur Proteus, Mnemoſyne, Veſta; *Dyas*, Diana, Phanes, Erato, pedes fontibus abundantis Idæ; *Trias* Saturnia Latone, Cornucopiæ, Ophion, Thetis, Hecate, Charitia, Polymnia, Pluto, Damatramne, Dioſcuria, Curetis, Crateis, Triſamus, *Tetras*, Mercurius, Hercules, Vulcanus, Bacchus, Sorita Eriunius, Socus, Dioſcurus, Baſſareus; *Pentas*, Turris Jovis, Bubaſtia Venus, Gamelia, Androgynia, Cytherea, Zonæa, Præſes circulorum, & ſic reliqui ſimiliter numeri, quæ portenta verborum, ut merito dicere fas eſt, apud *Scriptorem Theologumen. arithmet. Nicomachum* aliosque occurrunt, diligenter congeſta a IO. MEVR-

MEVRSIO in *Denar. Pyth.* ex quibus claram haurire notitiam, aquam eſt haurire cribro (*k*). Et cum ſacro ſilentio omnia condere ſacramento ſe obſtrinxerint, ut ſupra notavimus, omnia ſcilicet ad ſacrorum & myſteriorum rationem & modum adaptantes, ut opportune monet SCHEFFERVS *l. c. c. XI. p. 86.* inde & initiationis gradus conſtituentes, ut in ſacris barbarorum & Græcorum, quatuor, καθαρμὸν, τῆς τελετῆς παράδοσιν, ἐποπτέιαν, ἀνάθεσιν καὶ στεμμάτων ἐπίθεσιν, vid. ISM. BVLIALD. *ad Theon. p. 215. ſeqq.* (*l*) quid quæſo clari & aperti expectabimus a viris, religione, ne arcana prodant, impeditis. Hæc ſcilicet illa σύνθετος καὶ θεῖα φιλοσοφία καὶ θεραπεῖα, *compoſita illa rerum philoſophia & miniſterium* eſt, quam partim ab Orphicis partim a ſacerdotibus Aegyptiis partim a Chaldeis & Magis, nonnulla ex initiis, quæ fiunt Eleuſine in Imbro, in Samothracia, in Delo, immo apud Celtas & Iberos collegiſſe & compoſuiſſe dicitur Pythagoras, apud IAMBLICH. *de vit. Pyth. c. 28. n. 151. p. 127. ſqq.* Hinc fidendum non eſt iſtis ex Pythagoræ ſequacibus, qui non exoterice tantum, ſed & acroamatice ſe magiſtri dogmata explicituros promittunt. Notat enim ipſe IAMBLICHVS *in protrept. c. 21.* τὸν μὲν ἴδιον ὄντα τρόπον τῆς αἱρέσεως καὶ ἀπόρρητον πρὸς τὰς ἄλλας ἀγωγὰς

τὸν

(*k*) Pleraſque has numerorum appellationes deſumtas fuiſſe ex his ſymbolis, quæ adhibebantur in templis ſacrisque illorum Deorum, quibus hæc nomina ſolent tribui, omnino veriſimile eſt, recteque obſervatum IO. BAPT. CRISPO *de Plat. caut. leg. diſtr. III. l. I. p. 472.* Aſt cum nec de illis nobis ſymbolis ſatis conſtet, nec qua ratione ea ad metaphyſica iſta principia, quæ numeris ſignificabantur, adplicuerint, ipſi explicuerint, manent ſane inſolubilia & inepta ænigmata, torquenda & interpretanda, ut cuivis videbitur.

(*l*) Lucem hæc inſignem capient ex illis, quæ de diſciplina Orphei arcana in *hiſt. crit. phil. T. I. p. 379.* diximus, cuncta enim ad Pythagoreos, qui Orphea ſibi vindicarunt, & inter præceptores retulerunt, accurate quadrant.

τὸν δὲ δημώδη καὶ κοινὸν πρὸς ἐκείνας, τρίτον δὲ παρ᾽ ἀμφότερα μέσον ἀμφοῖν, οὔτε παντάπασι δημώδη, οὔτε μὲν ἄντικρυς Πυθαγορικὸν ἀλλ᾽ οὐδὲ ἀπηλλαγμένον ὁλοσχερῶς ἑκατέρου. *Modum* (interpretationis) *unum exiſtere, proprium ſectæ Pythagoricæ atque arcanum, nec aliis evulgandum; alium vero popularem, & qui tradi omnibus communiter queat, tertium denique medium inter utrumque, non plane popularem, nec palam Pythagoricum, ſed nec penitus ab utroque remotum.* Ex quo loco id manifeſtum, eos, etiam cum arcanorum darent explicationem, non intrinſecam iſtam, quam vocabant, ſapientiam, ſed mediam quandam tradidiſſe, ſatisfacturi ſcilicet hominum, inprimis potentium, curioſitati, ſine religionis violatione, diverſumque ab eſoterico explicandi genere acroamaticum conſingentes.

§. VII. Ceterum inter cauſſas obſcuritatis hæc quoque refertur, quod Pythagoras cum ſectatoribus pleriſque dialecto uſus ſit Dorica obſcuriore reliquis. Ita enim expreſſis verbis PORPHYR. *de vita Pythag. p. 36. n. 53. p. 49.* ed. Bat. philoſophiam Pythagoream fere extinctam fuiſſe πρῶτον μὲν διὰ τὸ αἰνιγματῶδες· ἔπειτα διὰ τὸ καὶ τὰ γεγραμμένα Δωρίδι γεγράφθαι· ἐχούσης τι καὶ ἀσαφὲς τῆς διαλέκτου· καὶ μηδὲν διὰ τοῦτο ὑπονοεῖσθαι, καὶ τὰ ὑπ᾽ αὐτῆς, ἀνιστορούμενα δόγματα, ὡς νοθὰ καὶ παρηκουσμένα, *primum quidem, quod ænigmatibus involuta eſſet, deinde quod commentaria ipſorum Dorice eſſent conſcripta: cum & ipſa dialectus neſcio quid obſcuritatis habeat, atque hanc ob cauſam nec dogmata ea dialecto conſignata intelligi poſſint, tanquam ſpuria & male intellecta.* Conſtat ſcilicet, Pythagoram & Pythagoreos dialectum Doricam omnium optimam cenſuiſſe, nec diſſentiunt eruditi, quia omnes fere doctores ſectæ Italicæ hoc ſermonis genere uſi ſunt, Timæus Locrus, Archytas Tarentinus,

nus, & reliqui præter unum Ocellum Lucanum, ut Timæus *in Ocellum ab initio* teſtis eſt. De cauſſa vero, cur lingua Dorica uſi ſint, diverſa inter veteres eſt opinio. Secundum IAMBLICHVM *c. 34. n. 241. ſeqq. p. 194. ſqq.* enim Doricæ tanquam reliquarum antiquiſſimæ uſus fuit Pythagoreis, ſecundum Metrodorum vero Dorica ipſis dialectus numeroſiſſima & compoſita ex claris vocalibusque literis eſt. Nobis autem proxime vero ſentire videtur Porphyrius, ideo Doricum dicendi genus obſcuriſſimis arriſiſſe philoſophis ſentiens, quia eſt obſcurius & difficilius intellectu. Ita enim apud veteres de eo ſtatutum eſt, unde Zeno quidam ſermocinans exquiſitius a Tiberio rogatus, quænam moleſtiſſima dialectus eſſet, Doridem reſpondit, apud SVETON. in *Tiber. c. 56.* Quanquam & hoc non negamus, ideo Doricam dialectum placuiſſe Pythagoræ & ſequacibus, quod gentis, in qua verſabatur Pythagoras, illa dialectus eſſet, cum ſuos diſcipulos hortati ſint Pythagorei, teſte IAMBLICHO *l. c.* ut lingua quisque vernacula uteretur, quicunque ex Græciæ partibus ad eos acceſſiſſent. Erant enim Crotona & Sybaris Achæorum coloniæ, Corinthiorum Syracuſæ, quarum utraque fuit origine Dorica, conf. C. RITTERSHVS. *ad l. c. Porphyr. p. 78.* ed. Bat. Quicquid tamen illud eſt, non tam in verborum ſtructura, quam in rebus ipſis earumque inepta explicatione obſcuritatis cauſſam recte quæſiveris. Quicquid enim de numeris traditur, ad nihil minus, quam ad rerum naturalium principia explicanda aptum eſt, id quod ARISTOTELES jam agnovit, cujus verba *Metaphyſ. l. XIII. c. 4.* numerorum naturam ideis ſive principiis rerum non reſpondere, attulimus in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 2. p. 10.* Hinc non inviti in ſententiam TH. BVRNETII, *Archæolog. philoſ. cap. XI. p. 428. ſeq.* pedibus imus, qui egregie de hoc philoſophandi genere: *Caret tam fundamento quam ordine hic modus philoſophandi: numeri enim ſequun-*

tur

tur res rerumque diviſionem, neque, ſi antecederent, aut corporibus molem, aut animabus & mentibus cogitationem conferre poterant, cum utrisque deſtituantur. Manifeſtum eos numeros præter numeros nihil poſſe generare, nullam habent ultra vim aut efficaciam. Poſſunt quidem repræſentare ſuo modo rerum gradus & genera, ſed efficere non poſſunt, nec vices materiæ explere in rerum effectione; conf. qui Burnetum κατὰ πόδα ſequitur JO. GEORG. PASCH. *de var. mod. trad. mor. c. IV. ſ. 19. p. 410. ſqq.* Non negamus quidem, Pythagoram per numeros intellexiſſe rerum cauſſas, maxime exemplares, licet ſuo more obſcuriſſime de iis ſit locutus: ſed & hoc negare neminem poſſe, qui rebus his judicium interponere novit, certi ſumus, *ingenium Pythagoricum & Platonicum hoc vitio laboraſſe, quod res phyſicas in rationes mathematicas, numeros & proportiones reſolverint, ut Ariſtoteles in logicas*, addo & metaphyſicas, quæ verba ſunt BVRNETII *l. c. p. 429.* indeque novis obſcuritatis tenebris ſe involverint.

§. VIII. Tot tantæque igitur incertitudinis & obſcuritatis hiſtoriæ philoſophiæ Pythagoreæ cum ſint cauſſæ & argumenta, mirum videri debet nemini, quod in explicatione numerorum Pythagoricorum vel ad portenta ſententiarum hypotheſiumque, vel ad leves & inanes nugas & ingenii incerti tricas delapſi ſint, qui his rebus indagandis operam poſuerunt. Neſcio enim quæ myſteria in numerorum doctrina quærentes, iis, qui antiquitatis præjudicium virili auſu depoſuerunt, egregie deſipuiſſe rectiſſime viſi ſunt. Id quod ſi non de THEODATO OSIO dicendum, qui conſcripſit: *meditationes rythmicas in duas partes diſtinctas, quarum una theoricam alteram practicam facultatis ſcientiam per numeros, ſive reſtitutam Pythagoreorum doctrinam pollicetur*; referente HIERON. GHILINI *theatr. degli Huom. letter. p. 219.* quia incertum, num liber unquam lucem viderit; præter ATHAN. KIRCHERVM qui in *Arithmolo-*

rithmologia de occultis numerorum myſteriis Romæ 1654. 4. edita, ineptit, PETRO certe BUNGO in libro rarius obvio *de myſteriis numerorum* accidit, in quo merito judicium deſideres, non negante MORHOFIO *Polyhiſt. lit. l. I. c. 2. §. 4. p. 15.* quique exemplo eſſe poteſt, ad quas nugas & ſententiarum portenta otioſa hominum ingenia divertere ſoleant. Hæc cum ita ſe habeant, lubentes fatemur, in hiſtoria doctrinæ Pythagoricæ de numeris certi prorſus afferri poſſe nihil, omnemque, quæ poteſt adhiberi, induſtriam ad conjecturas redire, idque pro Pythagoræ ſententia habendum eſſe, quod maxime reddi poſſit, ſi modo poſſit, probabile, ut de Platone quoque alibi pronunciavimus, & hic majori jure pronunciari poſſe exiſtimamus.

§. IX. Quod ſi tamen aliquid de hac re dicendum, iis quæ Pythagorica de numeris nobis adhuc ex veteribus ſuperſunt, ſaltem pro iſtis venditantur (hoc enim Catone nos contentos eſſe oportet) in incertiſſimo ſententiarum itinere ducibus electis, comparatione quoque inter Pythagoricam de numeris & Platonicam de ideis doctrinam inſtituta, illa nobis probabilitate, in explicando obſcuriſſimo argumento, maxime ſe commendat ſententia, quæ ſtatuit Pythagoræ numerum idem fuiſſe, quod Platoni ideam, huncque & in iſto quoque dogmate illius vitulo araviſſe admodum. Scilicet utriusque viri ingenium ad enthuſiaſmum philoſophicum natura & educatione, immo inſtitutione quoque & diſciplina proclive, in eo admodum elaboraſſe, ut in rerum ſpiritualium ortum & emanationem a primo ente progreſſumque per varios ordines, rerum item ſenſibilium formas & ſubſtantiarum fontes varie inter ſe connexos inquireret, & characteres rerum eſſentiis proprios aliquo modo exponeret. In eo enim potiſſimum maxima vetuſtatis ingenia ſe exercuerunt, ut rerum omnium origines perveſtigarent, quæ cum ex nihilo nihil fieri tenerent firmiſſime, &

corporearum rerum naturam deprehenderent fluxam & quibusvis momentis mutabilem, neceſſario ad emanationem entium ſpiritualium ex ente ſummo tandem delapſa ſunt, variiſque ſomniis deluſa palpaverunt: luculento ſpecimine, quanta caligine obſcurentur humanæ mentes, ubi a divinæ revelationis, quæ iſtos nodos apertiſſime ſolvit, lumine primo ſeceſſum ſecerunt. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Conferemus itaque utriusque philoſophi ſententiam, & miram deprehendemus conformitatem, licet, quod ingenue fatemur, omnem numerorum doctrinam, ut ab iſtis hominibus traditur, nec intelligamus ſatis, nec intelligi quoque ſatis poſſe credamus firmiſſime.

§. X. Verum ut in rem præſentem tandem veniamus, audiamus cauſſas & argumenta, cur Platonis ideas originem ſuo modo traxiſſe ex Pythagoræ numeris, & hunc philoſophum pari ferme modo intelligendum eſſe, ut Platonem de ideis diſſerentem, probabili rationum ſerie ducti credamus. Vbi ad ipſa utriusque philoſophi fundamenta & totius philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ ſyſtema & ὑπόστασιν provocare ante omnia licet. Quod ſi enim ea, quæ Pythagoras de rerum principiis docuit, & pro Pythagoreis a veteribus nobis tradita ſunt, cum Platonis philoſophia conferamus, nullo negotio apparebit, Pythagoram æque ac Platonem ad res abſtractas & intellectuales proniorem, telluris immo totius ſyſtematis mundani phyſiologiam mundique, præſertim ſublunaris, ortum & antiquorum κοσμογονίαν in ψυχογονίαν quandam convertiſſe. Cujus elegantem rationem affert TH. BVRNETIVS *Archaeolog. philoſoph. cap. XI. pag. 424.* hic non ſine fructu audiendus. *Illi*, inquit, *mundi ortum deſcripturi ſeſe occupant maxime in explicanda compoſitione animæ mundanæ, id quod faciunt per rationes quasdam harmonicas, ex individua forma & dividua, eodem*

 &

& altero, ita enim loqui amant. Et *quoad compagem mundi, corporea ex quibusdam congruentiis corporum geometricorum terminos, ſedes & intervalla elementorum diſponere & adaptare ſatagunt, & chaos quoddam, ſive materiam inordinatam ſupponunt; eique præficiunt mentem, ut in ordinem formamque mundanam rite adducatur.* En breve ac accuratum totius phyſiologiæ Pythagoricæ & Platonicæ compendium, ex quo recte ad veterum mentem intellecto, omnia philoſophiæ μετεωριζούσης problemata & placita facile expediri poſſunt. Et de Platone quidem nullum eſt dubium, cum omnes paginæ ſcriptorum ejus id loquantur, nec otioſe repetemus ea quæ in *hiſtoria de ideis ſ. IV. p. 35. ſeqq. & ſ. VI. p. 87. ſeqq.* fuſe jam attulimus. De Pythagora vero idem recte dictum eſſe, non tantum ipſa, quibus uſus eſt, quæque in ſequentibus dilucidabimus, principia evincunt, ſed & veterum teſtimonia nos de hac re dubitare non ſinunt, teſtantia, Pythagoram cuncta ad Deum per materiæ partes diffuſum, id eſt, animam mundi ejusque varias modificationes retuliſſe. Ita enim LACTANT. *de falſa relig. l. I. c. 5. Pythagoras ita definivit: quid eſſet Deus? Animus, qui per univerſas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur, animalia, vitam capiant* (*m*). Hinc videas ejus diſcipulos de Deo ipſos inhabitante deque divinæ mentis animæque communione multa jactare & præcipere apud IAMBLICH. *de vit. Pyth. c. 34. n. 240. p. 193.* quem locum illuſtrabunt ea, quæ *de myſter. Aegypt. l. I.* paſſim præcipue *c. 6. 7. p. 10.*

(*m*) Meretur cum Lactantio conferri inſignis locus CLEMENTIS ALEXANDRINI *paræn. ad gent. p. 47.* ubi ſatis luculenter ex mente Pythagoræ Deus ψύχωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ vocatur. Ad quem locum recte intelligendum, ea adhibenda ſunt, quæ ex veteri fragmento Dorico attulit IVSTINVS MARTYR *or. ad gentes p. 18.* ex quo integrum hoc ſyſtema Pythagorico-enthuſiaſticum erui poſſe, luculenter demonſtravimus *hiſt. crit. phil. T. I. p. 1073. ſeq.* quæ h. l. omnino conſulenda ſunt.

p. 10. ſqq. & TH. GALE *ad h. l. p. 189.* habent. Huic principio ſubnixa reliqua: Deum ex ſe produxiſſe aliquas ſubſtantias ſpirituales partim principiorum inſtar futuras reliquis, partim rebus ſecundum certam harmoniam ordinemque & claſſes rerum formam & ſubſtantiam largituras: quæ ſubſtantiæ ipſiſſimi Pythagoræ numeri ſunt, cum ideis Platonis egregie convenientes. Quod ne gratis dixiſſe videamur, en luculentum PLVTARCHI de plac. philoſ. *l. I. c. 3.* teſtimonium: Πυθαγόρας ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ τὰ δ' ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετα στοιχεῖα καλούμενά τε γεωμετρικά· πάλιν δὲ τὴν μονάδα, καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. *Pythagoras principia rerum numeros eſſe cenſuit, & eorum ſymmetrias, id eſt accomodatas proportiones, quas & harmonias, id eſt concentus cohærentiasque vocat, ex iisque compoſita elementa, quæ geometrica vocantur. Porro & unitatem, & infinitum binarium inter principia ponit.* Ex quo loco evidenter colligimus, ex iſtis numeris ſive principiis reliqua ſpiritualia traxiſſe originem. Ea vero cum diverſitatem acceperint, non miraberis de uno & diverſo, de luce & caligine eum cum aſſeclis fuiſſe philoſophatum. Vnum enim ens ſummum, diverſum ſubſtantiæ ſpirituales ab eo emanantes & originem trahentes, propria tamen ſubſiſtentia gaudentes, ut Platonis quoque ideæ, & hinc appellationem diverſi trahentes: illud monas, hæ numeri reliqui, illud lux, hæ quatenus non ſunt ex ſe, ſed aliena tantum luce fulgurant, caligo. Hæc indubitatis veterum nituntur teſtimoniis. Luculenter præ aliis PORPHYR. *de vita Pyth. p. 33. n. 47. p. 45.* ed. Bat. οἱ Πυθαγόρειοι μὴ ἰσχύοντες λόγῳ παραδοῦναι τὰ ἀσώματα εἴδη, καὶ τὰς πρώτας ἀρχὰς, παρεγένοντο ἐπὶ τὴν τῶν ἀριθμῶν δήλωσιν, καὶ οὕτω τὸν μὲν τῆς ἑνότητος

λόγον καὶ τόν τῆς ταυτότητος, καὶ τῆς ἰσότητος καὶ τὸ ἄιτιον. τῆς συμπνοίας καὶ τῆς συμπαθείας καὶ τῆς σωτηρίας τῶν ὅλων τοῦ κατὰ ταὐτα καὶ ὡσαύτως ἔχοντος ἓν προσηγόρευσαν —— —— τὸν δὲ τῆς ἑτερότητος καὶ ἀνισότητος καὶ παντὸς τοῦ μεριστοῦ καὶ ἐν μεταβολῇ καὶ ἄλλο τε ἄλλως ἔχοντος δυοειδῆ λόγον καὶ δυάδα προσηγόρευσαν. *Pythagorei cum incorporeas formas ac prima principia verbis tradere non poſſent, ad demonſtrationem per numeros confugerunt, atque ita unitatis quidem & identitatis atque æqualitatis rationem, cauſſamque amicæ conſpirationis atque mutuæ affectionis & conſervationis univerſi ſecundum idem atque eodem modo ſe habentis unum appellabant —— —— diverſitatis autem atque inæqualitatis omnisque dividui & in continua mutatione verſantis & modo hoc modo illo modo ſe habentis biformem rationem binarium vocant.* In quibus verbis Porphyrii prius quidem rectiſſime & luculenter ad mentem Pythagoreorum dictum eſt, poſterius non item, cum binarius numerus non fluxa rerum materia ſed principium intellectuale, id eſt ſpirituale ſit & numerus, qui iſtam mutationem non admittat, niſi mutationem intelligas relativam, quatenus ſc. dyas ex monade fluit, generatur, & diverſitatem exiſtentiæ includit. conf. AVCTOR *philoſophum Origen. c. II. p. 39.* qui δύο, inquit εἶναι ἀπ' ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια, πατέρα καὶ μητέρα, καὶ πατέρα μὲν φῶς, μητέρα δὲ σκότος. *Duas rebus a primordio cauſſas eſſe, patrem videlicet & matrem, & patrem quidem lucem, matrem vero caliginem.* Quæ verba aut repugnant Pythagoreæ ſententiæ (licet & ipſe Pythagoras duo coæterna principia in uno toto ſtatuerit, quæ tamen huc, ubi de principiis intellectualibus & ſubordinatis ſermo eſt, non pertinent) quia Pythagoras patrem & matrem in una claſſe conſtituit, emanationis ex Deo ordinem & claſſes oſtenſu-

oſtenſurus, unde & Deum facit ἀνδρόγυνον (*n*); aut, ut modo monuimus, de principiis ſubordinatis ſunt intelligenda, quorum illud, quod emanavit, caligo dicitur, quia non ſua ſed aliena luce, ut luna, radiat. Quam Pythagoreis mentem eſſe perſuadent ea, quæ in oraculis dicuntur, ubi mox in initio:

Ὅπου πατρικὴ μονάς ἐστι
Ταναή ἐστι μονὰς ἣ δύο γεννᾷ,
Δύας γὰρ παρὰ τῷ δὲ κάθηται καὶ νοεραῖς
ἀστράπτει τομαῖς,
Καὶ κυβερνᾷν τὰ πάντα καὶ τάττειν ἕκαστον ταχθέν.

Vbi paterna unitas eſt,
Porrecta eſt unitas, quæ duo generat,
Dyas enim hanc ſedet, & intellectualibus
fulgurat ſectionibus,
Et gubernare omnia & ordinare unumquodque non ordinatum.

F 5 Vides

(*n*) Probe hæc appellatio tenenda eſt, ut intelligatur, quomodo ex unitate dyas, quæ mater numerorum eſt reliquorum, orta ſit, ex cujus connubio omnem numerum imparem pari junctum ἀρρενοθήλυν vocat ANONYMVS in *theologum. arith.* & quomodo ex hac reliqui numeri exorti ſint, at in unitate lateant, & qua ratione ad emanationem entium intelligibilium omnia referenda ſint. Si enim monas mas & fœmina eſt, ex ſe non niſi ſuæ naturæ numeros generare poteſt. Vnde hoc ſenſu dyas etiam ad intellectualium chorum referenda eſt. Id quod lucem ex Platonicorum explicatione capit, qui patri mentem, velut dyada addidere, quod allatus, oraculorum locus ſatis evincit. Interim non negabimus, Pythagoram ipſum & ſequaces ad materiæ quoque cum Deo in uno chao conjunctionem, ortumque inde αὐτοματισμὸν τῶν πάντων reſpicientes, materiæ concatenatam cum principio iſto activo connexionem dyadis voce indicare voluiſſe, eamque cum igni mundano, quæ monas eſt Pythagorica, opponerent, tenebras dixiſſe, quibus lumen clarius affundent ea, quæ copioſe de theologia Pythagoræ *T. I. hiſt. crit. phil. p.* 1074. *ſeqq.* diſputavimus. Sed hæc nihil ad numeros intellectuales faciunt, ſed ſcientificos, qui cauſſas rerum phyſicas expediunt. Qua explicatione admiſſa facile eſt di-

Vides dualitatem ex unitate oriri, eſſe apud unitatem, principium eſſe omnia gubernans & ordinans, luce intellectuali radiare, ex luce unitatis; quæ omnia de principio contrario, caliginem ex ſe ſuaque natura & fovente & operante dici non poſſunt, commode vero de ſecundario aliquo intellectuali, quod ex primo emanavit, quodque quia alterius luce radiat, caliginis nomen apud caliginoſos iſtos philoſophos tuetur. Plura jam in re obſcuriſſima dicenda non ſunt, præſertim cum alio loco pluribus de ea tradiderimus: ſed monenda hæc tantum fuerunt, ut oſtenderemus, Pythagoram ad ψυχογονίαν ſuam numerorum doctrinam retuliſſe, perinde ut Plato idearum, eosque adeo in ipſo fundamento egregie conveniſſe (*o*).

§. XI.

verſas de dividuo & individuo, monade & dyade, luce & caligine ſcholæ Italicæ locutiones inter ſe conciliare. Apparebit autem ex dictis quoque, cur teſte Nicomacho apud PHOTIVM *Cod. CXXXVII. p.* 238. *Mens* dicatur *vir & fœmina*, *ac Deus*, *& materia quodammodo: nempe eandem res omnes revera miſcere*, *& deinceps omnium receptricem eſſe*, *chaos*, *confuſionem contemperationem*, *obſcuritatem*, *tenebras*, *hiatum*, *tartarum*, *ſtyga &c.* Licet enim hæc ἀσύστατα videantur, facta tamen inter totum & unum diſtinctione, tumque diſcrimine inter unum intellectuale & ſcientificum adhibito cuncta poſſunt conciliari.

(*o*) Pulchre, quæ hactenus dicta ſunt, exponit MACROBIVS in *Somn. Scip. l. I. c.* 6. *p.* 12. 18. cujus verba quamvis infra ex parte relata cum luculenta ſint, ita adſcribere non piget. Ita vero: *Vnum*, *quod* μονὰς, *id eſt unitas*, *dicitur*. *& mas idem & fœmina eſt*, *par idem atque impar*, *ipſe non numerus ſed fons & origo numerorum*. *Hæc monas initium finisque omnium*, *neque ipſa principii aut finis ſciens ad ſummum refertur Deum ejusque intellectum a ſequentium numero rerum & poteſtatum ſequeſtrat*, *nec in inferiore poſt Deum gradu eam fruſtra deſideraverit*. *Hæc illa eſt mens*, *ex ſummo enata Deo*, *quæ vices temporum neſciens*, *in uno ſemper*, *quod adeſt*, *conſiſtit ævo*, *cumque utpote una*, *non ſit numerabilis*, *innumeras tamen generum ſpecies & de ſe creat & intra ſe continet*. Quæ omnia ſatis plana ſunt, modo obſervaveris, Macrobium ex more ſcholæ Eclecticæ, προπάτορα, Jovemque Jove ſuperiorem, patrem nempe in profundo latitantem, a monadis conceptu removere, eo quod ad intelligibilium generationem plane nihil ipſe confert, conf. IAMBLICH. *de myſter. Aegypt. Sect. VIII. c.* 1.

§. XI. Hæc cum ita ſe habeant, mirum non eſt, eodem fundamento illa inædificaſſe Platonem, quo Pythagoras; hujusque numeros peperiſſe Platonis ideas. Quod inde porro nobis perſuadetur, quia eodem fere modo de numeris loquitur Pythagoras, ut de ideis ſuis Plato. Nam quemadmodum hic per ideas intelligibilia intellexit, ſemper ſe eodem modo ſine ortu & interitu habentia, quæ cuilibet rei dent eſſentiam ipſam ex ſeipſis, ut prolixe ex indubitatis ipſius Platonis & ſequacium teſtimoniis demonſtravimus in *hiſt. de ideis* *ʃ. IV. p. 37. ſeqq.* ita eandem numerorum definitionem deprehendimus apud Pythagoram ejusque aſſeclas. Quam ex NICOMACHI *arith. inſt.* damus: ὄντα ὁρίζετο Πυθαγόρας εἶναι, τὰ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἀεὶ διατελοῦντα ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ οὐδέποτε τοῦ εἶναι ἐξιστάμενα, οὐδὲ ἐπὶ βραχύ. ταῦτ' ἂν εἴη, τὰ ἄϋλα, καὶ ὧν κατὰ μετουσίαν ἕκαστον λοιπὸν τῶν ὁμονύμως ὄντων καλουμένων, τὰ δὲ τι λέγεται καὶ ἔστι, τὰ μὲν γὰρ σωματικὰ δήπου καὶ ὑλικὰ ἐν διηνεκῆ. ῥύσει καὶ μεταβολῇ διὰ παντός ἐστι, μιμούμενα τὴν τῆς ἐξ ἀρχῆς ἀϊδίου ὕλης καὶ ὑποστάσεως φύσιν καὶ ἰδιότητα. *Ea quæ ſunt, definiebat Pythagoras illa quæ ſecundum idem ac eodem ſemper modo ſunt perfecta in mundo, & nunquam, ne minimo quidem temporis momento permutantur. Hæc vero eſſe expertia materiæ, ac quorum per participationem cætera, quæ æquivoce dicuntur eſſe, ſunt ac dicuntur. Corpora nempe ac materialia in perpetuo fluxu ac mutatione eſſe per omnia, imitantia naturam & proprietatem materiæ ac ſubſtantiæ æternæ.* Quæ profecto tam Platonice dicta ſunt, ut ovum ovo non ſit ſimilius, ut conferen i erit in propatulo. Addimus his merito IAMBLICHVM *in Nicom. arithm. p. 1.* Πυθαγόρας τὸν ἀριθμὸν ὁρίζει ἔκτασιν καὶ ἐνέργειαν τῶν ἐν μονάδι σπερματικῶν λόγων. ἢ ἑτέρως, τὸ πρὸ

πάντων

πάντων ὑποστὰν ἐν θείῳ νῷ, ἀφ' οὗ καὶ ἐξ οὗ πάντα συντέτακται, καὶ μένει τάξιν ἄλυτον διηριθμημένα. Pythagoras numerum definivit extenſionem & operationem rationum ſeminalium, quæ unitati inſunt, vel aliter, quod in divina mente ante omnia ſubſiſtebat, a quo & ex quo omnia in ordinem ſunt deſcripta, & per ſeriem indiſſolubilem ſtant diſtincte connumerata. conf. *de vita Pyth. c. 29. n. 159. p. 135.* Quare & eodem IAMBLICHO *l. c.* auctore, Hippaſi ſectatores, qui dicebantur acuſmatici, *ἀριθμὸν εἶπον παράδειγμα πρῶτον κοσμοποιΐας, καὶ πάλιν κριτικὸν κοσμούργου θεοῦ ὄργανον, eſſe numerum exemplar primum in creatione mundi, & rurſus normam, ſecundum quam creator Deus judicavit de mundo a ſe creando.* Sic & *l. c.* Philolao numerus eſt *τῆς τῶν κοσμικῶν αἰωνίας διαμονῆς ἡ κρατιςεύουσα καὶ αὐτογενὴ συνοχὴ, vinculum potentia ſua ſuſtinens æternam rerum mundanarum permanſionem, ſibique innatum.* Vnde & ALEXANDRO APHROD. in *pr. anal.* *ὀυσία ἀριθμὸς, numerus eſſentia, κατ' ἐξοχὴν* ſcilicet & per ſe vocatur, & numerorum contemplatio *τῶν ἀϊδίων καὶ ὁμοφύλων αὐτῶν ἀσωμάτων ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων ἰδέα, rerum æternarum ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo ſecundam idem atque eodem modo ſe habentium conſideratio,* apud PORPHYR. *de vita Pyth. p. 31.* Surroga numero ideam, & eadem habebis, quæ iisdem verbis Plato tradidit, nosque prolixe ſatis *l. c. §. 6. p. 87. ſeqq.* expoſuimus, & teſtimoniis confecimus luculentiſſimis, notato tum jam Pythagoreæ & Platonicæ ſcholæ conſenſu. Recte itaque veteribus quibusdam numerus & idea ſive forma idem ſonant, ex quibus SIMPLICIVS in *Phyſ. libr. I.* *εἰκότως ἐν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγεν. (κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἔθος) ὡς ὁρίζον, ὅπερ ἂν καταλάβῃ καὶ περατοῦν. Merito*

rito unum formam ſecundum morem Pythagoreum dixit, ut quæ finiat, quod comprehenderit, atque terminet. Et AVCTOR. *theologum.* εἶδος ὂυν εἴδους ὀυκ διαμάρτημεν ἀυτὴν ἡγούμενοι. *Itaque ſi formam formæ eum* (Senarium) *eſſe arbitremur, non errabimus.* Quibus locis vocem a Platone deſumtam non refugiunt Pythagoreis veteres tribuere conſ. AVREA CARM. *v. 47.* & HIEROCL. *ad b. l.* (*p*). Ex iſta definitione altera harmonia inter Pythagoræ numeros & Platonis ideas oritur, ſcilicet diſtinctio inter numeros intelligibiles, ſcientificos, & mathematicos, quemadmodum Plato diſtinxit inter ideas divinas ſive intelligibiles & humanas ſive logicas, quas & ſenſibiles vocat, de quo diximus in *hiſt. de ideis Sect. I. §. 7. p. 112. ſeqq.* Cum enim Pythagoras probe videret, numeros ex ſe nihil generare niſi numeros, eorum rationes in intellectuales & ſcientificas diſpeſcuit, & per intellectuales quidem ſubſtantias æternas numeri intellexit, id eſt, fontem & radicem omnium, quod ante omnia extitit in mente divina, a quo & ex quo omnia ordine digeruntur, atque indiſſolubili ſerie numerata manent, ut habet NICOMACH. in *intr. in arithm.* & ex eo IAMBLICHVS *ad b. l.* cujus verba ſupra adducta ſunt. Hic intellectualis numerus Pythagoræ idem eſt, quod Platoni idea, ſcilicet exemplar æternum, ſubſtantia immaterialis & vera, juxta quam & per quam omnia perficiuntur, cœlum, tempus, motus, ſidera, ut l. c. NICOMACHVS prolixe docet; conſ. JO. MEVRS. *de denar. Pyth. c. I. p. 8. ſeqq.* Numerus vero ſcientificus, qui mathematicum vel artificialem generat, Pythagoræ eſt extenſio & operatio rationum ſeminalium, quæ unitati inſunt, ut Iamblichi & Nicomachi verbis ſupra docui-

(*p*) Fatemur coacervata hæc teſtimonia omnia ex Platonicorum & Eclecticorum ſcholis deſumta eſſe; aſt cum ſyſtemati Pythagorico mire conveniant, cauſſam non habemus, cur in ſuſpicionem interpretationis falſæ ea adducamus.

docuimus vel ut Moderatus apud STOBAEVM *eccl. phyſ. c. 2.* monadum congeries ſive progreſſio multitudinis a monade incipiens, regreſſio in eandem deſinens. Ex hac diſtinctione numerorum intelligibilium & ſcientificorum orta quoque diſtinctio inter unum & unitatem. Eſt enim ἡ μονὰς τῶν ἀριθμῶν, τὸ ἓν τῶν ἀριθμητῶν, *unitas numerorum*, *unum autem numerabilium*, ut concinne Moderatus, ſic ut numeri differant à numerabilibus, ut corporea ab incorporeis. Convertit ANONYMVS *Auctor vitæ Pythag. apud Photium cod. 259.* διαφέρειν ἔλεγον οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου μονάδα καὶ ἕν, μονὰς μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἐνομίζετο ἡ ἐν τοῖς νοητοῖς οὖσα, ἓν δὲ τὸ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, *Pythagorei ajebant differre unitatem & unum, unitas enim ab iis exiſtimabatur, quæ in intellectualibus exiſtit, unum vero id quod in numeris.* Sed quicquid illud eſt, ſufficit nobis, intellectuales numeros longe differre a ſcientificis, qui phyſicæ objectum conſtituunt, ut mathematici arithematicæ (*q*).

§. XII. Porro & origine & dignitate numeri Pythagorici cum ideis Platonicis conveniunt. Platoni enim fons idearum, νοῦς, λόγος, mens ratiove divina ab æterno ideas producens, ut multis dictum in *hiſt. de ideis Sect. I. ſſ. 5. p. 53. ſeq. p. 59. ſeqq.* Nec aliter Pythagoræ numerus, qui ut omnis numerorum ſeries in unitate comprehenditur, & ex ea explicatur, ita unum illud æternum omnes ex ſe numeros produxiſſe, multis operoſe contendit, immo caput quaſi philoſophiæ ſuæ in emanatione τῶν ὄντων νοητῶν conſtituit. Nec profecto multa hic probatione opus eſt, cum adducta jam, immo omnia

(*q*) Numerum ſcientificum Pythagoras a mathematico ita diſtinxiſſe videtur, ut ille rationes ſeminales ad conſtituendam rerum naturam & eſſentiam indicet, hic proportiones & progreſſiones multitudinis ex uno ſignificet. Et hic illius, ille intelligibilis numeri ſymbolum fuit.

omnia ab eo dicta manifeſte id clamitent. En tamen argumenta hujus rei pauca. Vnitas Pythagoræ fons reliquorum numerorum intellectualium ; *Oracula v. 37. ſeqq.*

Ἔχει τῷ νοεῖν πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι
Πάσαις πηγαῖστε καὶ ἀρχαῖς.
Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βιθοῦ καὶ πηγὴ
τῶν νοερῶν.

Poteſt intelligendo, paternam mentem indere
Omnibus fontibus & principiis.
Eſt enim terminus paternæ profunditatis, & fons
intellectualium.

Hæc de mente quidem, ſecundo à patre principio, quæ tamen omnino ad patrem ſive unitatem referenda quoque ſunt ; quia non tantum paternam principiis mentem indere dicitur, ſed &

Μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμενεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ
Καὶ ἐν τῇ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν.

Non progreſſa eſt, ſed manſit in paterno profundo
Et in adyto, juxta nutritum a Deo ſilentium (r).

Immo *v. 18.* unitas vocatur

Καὶ πηγὴ πηγῶν ἁπασῶν
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα.

Fons quoque fontium omnium
Matrix continens omnia.

Vel

(*r*) Repetenda hic ſunt, quæ ex Macrobio modo annotavimus; ut intelligatur, quo ſenſu mens monas dicatur. Hæc affricuere ſyſtemati Pythagoreo Eclectici qui hanc paternam profunditatem ex orientali philoſophia acceperunt, ut alio loco dictum. Quod ſi totum illud chaoticum, quod ante rerum omnium evolutionem ſupponit ſyſtema Pythagoricum, cum hoc ſilentio profunditatis quis comparere voluerit, non refragabimur. Pythagoram vero & Platonem, Deum Deo ſummo priorem non agnoviſſe, ſumus certiſſimi. Hunc enim Mithras demum Perſicæ theologiæ genuit, Græcanicis placitis aſſutus.

Vel ut THOM. GALE *ad Iamblich. de myſter. Aegypt. p. 299.* hunc verſum integre legit

Καὶ πηγὴ πηγῶν, καὶ πηγῶν πεῖρας ἁπασῶν.

Fons fontium, & fontium quoque omnium finis.

Addit quoque rectiſſime, eſſe Platonis hanc plane doctrinam de ideis, qui vult fluere ἀπὸ τοῦ ἑνὸς τὰς ἰδέας ἤτοι τὰ νοητὰ εἴδη, τῇ νοήσει μόνῃ γνωστὰς, *ex uno ideas vel intellectuales ſpecies & formas, ſolo intellectu cognoſcendas*, hancque doctrinam aliis atque aliis nominibus tractaſſe præter alios etiam Pythagoram. Multa non eodem tantum ſenſu, ſed iisdem quoque verbis apud SYNESIVM in *Hymnis*, indigna plane chriſtiano epiſcopo, ita v. g. *Hymn. II. p. m.* 27. edit. Henr. Steph.

— — — σὺ δ' ἐσσὶ ῥίζα
Παρεόντων, πρό τ' ἐόντων
Μετεόντων, ἐνεόντων
Σὺ πατὴρ σὺ δ' ἐσσί μήτηρ,
Σὺ δ' ἔ ἄῤῥην, σὺ δ' ἐ θῦλυ,
Σὺ δ' ἐ φωνὰ, σὺ δ' ἐ σίγα.
Φύσεως φύσις γονῶσα,
Σὺ δ' ἄναξ αἰῶνος αἰών
Τὸ μὲν ἣ θέμις βοᾶσαι.
Μέγα χαῖρε ῥίζα κόσμου,
Μέγα χαῖρε κέντρον ὄντων,
Μονὰς ἀμβρότων ἀριθμῶν
Προανουσίων ἀνάκτων. Κ. Τ. Λ.

— — — *Tu autem ut radix*
Præſentium, præteritorum,
Futurorum, eorum, quæ ſunt.
Tu pater, Tu es mater,
Tu mas, Tu fæmina
Tu vox, Tu ſilentium,
Natura natura fæcunda.

Tu,

Tu, ô rex, ſeculi ſeculum,
Quantum id quidem fas eſt voce teſtari.
Longum ſalve radix mundi,
Longum ſalve centrum rerum,
Vnitas divinorum numerorum,
Subſtantia carentium regum &c.

Hæc profecto tam exacte ad Pythagoræ mentem dicta, ut ipſe Pythagoras luculentius non valeat: qua vero pietate vel cum puriore philoſophia ſanctiſſimæ religionis noſtræ convenientia, judicent, quorum intereſt. Patet hinc ratio, cur monas, etſi quam maxime intellectualis, id eſt, ſpiritualis naturæ, in ſchola Italica audiat ὕλη, πανδοχεὺς, τάρταρος, χάος, ut videre eſt iis, quæ collegit diligentiſſimus MEVRSIVS *de Den. Pyth. c. III. p.* 19. *ſeqq.* non quod ſenſu Pythagorico unitas ſit materia, ex qua corporea formantur, huic enim materiæ opponitur, ſed quod ſit fons intellectualium, ex quo fluunt: licet negandum non ſit, ipſam unitatem, ſive Deum, ſi verum ſpectes, non obſtante omni, quam ei adſcribit Pythagoras, ſpiritualitate eſſe materiam ſubtiliſſimam, craſſiori opponendam ex mente philoſophi, ignem ſcilicet ſubtiliſſimum, ætheris quoque nomine inſignitum, ut alio loco pluribus docemus. Sed hæc noſtri quidem inſtituti non ſunt, ubi ſatis eſt probari, ex fonte hoc emanaſſe reliquos numeros intelligibiles. Concinunt alii; HERMIAS *irriſ. gentil. philoſ.* de Pythagoreis ſermone facto: ἀρχὴ τῶν ἁπάντων ἡ μονὰς, ἐκ δὲ σχημάτων αὐτῆς καὶ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. *Principium omnium unitas eſt, e figuris autem ejus numeriſque elementa fiunt.* MACROBIVS non minus luculenter *ſomn. Scip. l. I. cap. 6. Vnum autem, quod* μονὰς *eſt, par idem atque impar, ipſe non numerus, ſed fons & origo numerorum. Hæc monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum, ejusque intellectum a ſequentium nume-*

 ro

ro rerum & poteſtatum ſequeſtrat, nec in inferiore poſt Deum gradu eam fruſtra deſideraveris. Hæc eſt illa MENS, ex ſummo enata Deo. In quibus verbis ſatis luculentam habes verborum oraculi ſupra adductorum explicationem. Sed & ſequentia legenda ſunt, licet quædam admiſceat, Platonicis magis quam Pythagoreis propria. Patet ex dictis cauſſa, cur unitas ab his viris vocetur non ſolum *ὀυσία*, *ἀιτιον τῆς ἀληθείας*, *ἁπλοῦν παράδειγμα*, ſubſtantia (ſumma & prima) cauſſa veritatis, ſimplex exemplar, ſed & *ἀῤῥενοθύλης* ſive *ἀνδρόγυνος*, hermaphroditus, quoniam ipſa ſibi produxit ex ſe binarium, ſive alterum principium *λόγον*, *νοῦν*, *δυάδα* (quocunque enim nomine inſignias Platonico vel Pythagorico, perinde eſt) ex quorum connubio deinde reliqui numeri, reliquæ ideæ, reliqua principia intellectualia emanatione intellectuali originem ſubſtantiamque acceperint (s). Hæc ſi attente teneamus, facile intelligere licebit, quid ſibi voluerint, non Pythagoras ſolum, ſed & omnes fere gentiles theologi, Deum facientes *ἀνδρόγυνον*, nempe cuncta intelligibilia & ſpiritualia ex Deo primo & ſecundo, id eſt, Deo ex Deo progenito emanaſſe. De qua re multa dicenda eſſent, niſi ab hoc noſtro inſtituto remotiora aliam tractationem requirerent; videre interim licet, quos in *hiſt. de ideis Sect. II. §. 2. pag. 186. ſeq.* laudavimus, quibus adde ſis SOUVERAIN. *Platon. det. P. I. c. 8. pag. 85.* & S. rev. JO. CHR. WOLFIUM *de Manich. ante Manich. p. 117.* Pythagoram vero unitatem dixiſſe marem & feminam, nubes teſtium evincit; vid. NICOMACH. *l. c.* MACROB. *l. c.* THEON. SMYRN. *mathem. Pl. c. 5.* pluresque alii. Scilicet aliter dici unitas non poterat, cum in ſe contineret, & parturiret quoque ex ſe principium illud

(s) Diſtinctius confuſas obſcurorum philoſophorum notiones circa hoc argumentum enarrare tentavimus in *hiſt. crit. phil. T. I. p. 1049. ſeq.* quæ cum his comparanda.

illud, ex quo reliqua principia ſunt omnia. Fruſtra itaque nobis eſſe videntur, qui hanc appellationem inde ortam credunt, quod Deo ſummo materiam coæternam & independentem, tanquam principium abſolute primum adjunxerit Pythagoras, cuncta ex duplici coexiſtente principio facta eſſe, aſſerens (*t*). Omnia enim, ut vidimus, ad τὰ νοητὰ referuntur, materia vero, quatenus Deo opponitur, nulli philoſopho ex Deo, nec Pythagoræ, niſi eo ſenſu, omnia principio fuiſſe unum, quo tamen admiſſo, materia Deo opponi non poteſt. Videlicet decepit multos ex veteribus quoque ambiguitas verborum Pythagoræ de hac re, videndos apud cel. WOLFIVM *l. c.* qui multa eruditiſſime cumulat. Sed de hac re alio loco. Quemadmodum vero eadem gaudent origine Pythagoræ numeri & Platonis ideæ, ita eadem quoque ſuperbiunt dignitate, florentque officio, ut ita dicamus. Vtrique enim philoſopho principia ſunt rerum ſenſibilium & ſeorſim numero exiſtentium. Res ex dictis manifeſta prolixa probatione non eget, videndus vero, qui multis eam expoſuit SEXTVS EMPIRICVS *adv. mathem l. IX. p. 422.* Paucis egregie PHOTIVS in *cod. 137. p. 238.* ἵνα τοὺς ἀριθμοὺς θεοποιήσῃ, καὶ τῶν ὄντων τῆς οὐσιώσεως αἰτίας ἀναπλάσῃ, ἀφ᾽ ἑκάστης τῶν εἰρημένων ἐπιστημῶν ἔνιά τινα τῶν θεωρημάτων τῇ πρὸς τοὺς ἀριθμοὺς ἐνυφαίνει θεοπλαστίᾳ, *ut e numeris Deos efficiat, eosdemque omnis eſſentiæ rerum ſubſiſtentium auctores ac cauſſas effingat, e ſingulis jam nominatis diſciplinis theoremata quædam huic Deorum effictioni intertexit.* Nec minus clare SIMPLICIVS *ad phyſ. l. I.* οἱ Πυθαγόρειοι τοῦς ἀπὸ μονάδος ἄχρι δεκάδος ἀριθμοὺς ἀρχὰς ἔλεγον τῶν πάντων,

(*t*) Velimus hic, ut clarius cuncta conſtent, ea, ſi tanti videantur, legi, *quæ l. c. p.* 1051. *ſeqq* diſſeruimus, quo loco oſtendimus, quo ſenſu materia poſſit ad dyadem referri; nempe ut h. l. jam innuimus, ſi ſignificetur, omnia in principio fuiſſe unum.

πάντων, *Pythagorei numeros ab unitate usque ad denarium rerum omnium principia eſſe dicebant*, conf. PHILOSOPHVM. *Origenis c. I. p. 31.* PORPHYR. *de vita Pyth. p. 33.* Cum vero iſta principia divinam originem habeant, & divina principia ſint, recte quoque τῷ ἀριθμῷ τὴν ὡρισμένην ουσίαν τῶν θεῶν, *definitam numero eſſentiam Deorum*, ut emendat LVD. KVSTERVS *ad h. l.* id eſt numero conſtare eſſentiam divinam dixit IAMBLICH *cap. 28. n. 147. pag. 124.* Quemadmodum & Plato eadem ratione ductus ideas inter divina retulit, uti monitum *in hiſt. de ideis ſect. I. ſ. 6. p. 90. ſeqq.*

§. XIII. Vidimus hactenus numeros Pythagoræ in ſe, eosque ſatis accurate cum ideis Platonis convenire deprehendimus, quod ſi jam eos ratione hominis, cui objectum ſapientiæ, immo, ſi illos audias, omnis felicitatis conſtituunt, conſideres, eandem iterum inter Pythagoram & Platonem obſervabis harmoniam. Eandem enim ſententiam ſupponit uterque, eadem chorda oberrat, eosdem, ſi verum fatendum eſt, fovet errores. Conſtituta enim ſemel ſpiritualium rerum natura, non potuit non animum ex divina mente carptum dicere Pythagoras, ut de Platone quoque probatum dedimus *l. c. ſect. I. cap. 6. pag. 95. ſeqq.* quippe ex nihilo nihil fieri poſſe credebat, & materiæ quoque ſpiritualem animæ naturam, & immortalitatem, quam a Pherecyde magiſtro didicerat docueratque, ut eſt apud LAERT. *L. VIII. ſ. 27.* & CICERON. *Tuſc. Q q. l. I.* refragari cernebat. Hinc Deus animæ origo, de qua *oracula v. 215. ſeqq.*

Χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος καὶ Πατρὸς αὐγὰς
Ἔνδεν ἐπέμφθη σοι ψυχή, πολὺν ἑσσαμένη νοῦν,
Ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δὲ οἱ ἐψύχετο.

Oportet te feſtinare ad lucem & patris radios,
Vnde miſſa eſt tibi anima multam induta mentem,
Hæc pater cogitavit, mortalisque ei animatus.

Et

Et hæc cauſſa quoque eſt, cur Pythagoras animam, quam ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, *numerum ſe ipſum moventem* vocat apud PLVTARCH. *de plac. phil. libr. IV. c.* 2. dixerit ἀπόσπασμα τοῦ αἰθέρος, *avulſionem ætheris*, notante LAERT. *L. VIII. ſ.* 28. ſcilicet immortalis & divini, ſive Dei ipſius; non enim alium agnovit Deum, licet eum a materia craſſiore ſepararet. Quod clarius expreſſit PLVT. *l. c. c.* 7. Πυθαγόρας, Πλάτων ἄφθαρτον λέγουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν, ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν ἐις τὸ ὁμογενές. *Pythagoras & Plato incorruptibilem animam eſſe dicunt, decedentem enim in univerſi animam ſecedere, ad id quod ejusdem generis & naturæ eſt.* Omnium clariſſime CICERO *de nat. Deor. libr. I. Pythagoras, qui Deum cenſuit animum eſſe, per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo animi noſtri carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum.* Quæ quoque repetit *de Senect. c.* 21. Sic & alii, quos tamen in re nota non adducimus, ne ſimus nimii (*u*). Cave tamen hic νοῦν & ψυχὴν confundas; iſta enim, quam ex Plutarcho adduximus, definitione animæ, mentem Pythagoras definivit, Plutarcho ipſo interprete, quam ab extrinſeco animæ ſiderali inſeri dicebat, idque θεία μοίρα, *divina participatione*, id eſt, tanquam pars Dei, ut CLEM. ALEXANDR. *l. V. Stromat.* De iſta itaque mente, quam immortalem numerum ex ejus ſententia non incommode vocaveris, intelligendus philoſophus Samius, quando ait, eam numeros in ſe continere, ut ſecundum Platonem ideas. Quaternione enim, ſi Pythagoreos audias, mentes conſtant, ex eaque omnes ſcientiæ proficiſ-

(*u*) Addi his poteſt, non pati aliud emanativum ſyſtema, quod in rebus intellectualibus admiſit Pythagoras, quam animam ejusdem eſſe originis & dignitatis, quamvis corpore veſtiatur, conf. *l. c. p.* 1081.

proficiſcuntur, quod, qua ratione intelligendum ſit, apud PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. III.* pluribus videndum, licet non negemus, Pythagoreos, & qui ipſorum ſententiam referunt, in eo explicando, quomodo numeri inſint animæ, (*) admodum fluctuare, & eſſe incertiſſimos, qui ſcilicet ipſi, quid dicant, non ſatis intellexerunt, quod eorum inter ſe placita conferenti mox patebit, ſi vel unum Plutarchum cum *Anonymo auctore vitæ Pythagoræ* apud PHOTIVM *cod. 259.* quem HOLSTENIVS quoque *Porphyrio* adjunxit *p. 59.* & quæ ibi de cognitionis animæ humanæ modo dicuntur, comparet (*x*). Quis enim certi quid in ejusmodi ſomniis expectabit? Hanc animam, ſive mentem potius, a Deo profectam corpori inditam, venis & arteriis corporis tanquam vinculis concludi & detineri, ante Platonem, quoque aſſeruit Pythagoras, cui animæ e cœlo excluſæ & delapſæ creditæ ſunt, ſi HIERON. *in quæſt. ad Hebid. c. 10.* fides eſt, conſpirante tota philoſophiæ Pythagoreæ natura & conſtitutione. Clare id LAERT. *l. VIII. ſect. 31.* δεσμὰ εἶναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας, καὶ τὰς ἀρτηρίας καὶ τὰ νεῦρα; *vincula animæ eſſe venas & arterias & nervos.* Quod quidem de anima ſiderali, non de mente intelligendum eſſe primo intuitu videtur, ſaltem, quæ de immiſſione ejus & exitu apud hunc auctorem dicuntur, ita explicari commode poſſunt; de ipſo tamen νῷ ſive mente intelligenda eſſe, finis Pythagoreæ philoſophiæ poſtulat, qui perinde ut Platonicæ, eſt, liberatio mentis a corporis vinculis. Ita enim IAM-

(*) Lucem huic quæſtioni affundet IO. BAPT. CRISPVS de *Platone caute legendo diſtr. l. I. p.* 16. qui, ubi occaſio fert, conſuli meretur.

(*x*) Non hæc ſola Platonicorum ſequiorum ſomnia eſſe, ſed conſpirare cum ipſa Pythagoræ diſciplina, una aurei carminis lectio abunde evincet. Quod quamvis Pythagoræ tribui nequeat, ſcholam tamen ejus auctorem agnoſcere, nemo ignorat, conf. *hiſt. crit. phil.* T. I. *p.* 1065.

IAMBLICHVS *libr. II. cap. 13.* Φιλοσοφία ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνθρωπίνων δεσμῶν παρέχει καὶ λύσιν τῆς γενέσεως, καὶ περιαγογὴν ἐπὶ τὸ ὂν, καὶ γνῶσιν τῆς ὄντως ἀληθείας, καὶ κάθαρσιν ταῖς ψυχαῖς, *philoſophia continet ſolutionem a vinculis humanis, & liberationem a natura connatis, & converſionem ad id, quod eſt, & notitiam rerum veritatis & purgationem animæ.* Sic eodem loco liberari corpus dicit ab amentia corporis, & purgationem in eo conſiſtere, ut ſeparetur quam maxime animus a corpore, liberque fiat ab eo velut ex vinculis. Quæ liberatio a corpore celebratiſſima his hominibus mors eſt philoſophica. Eadem habet HIEROCLES *ad carm. aur. init.* qui finem philoſophiæ dicit κάθαρσιν ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητοειδοῦς σώματος, *purgationem ab irrationabilitate materiæ, & mortali corpore,* PORPHYRIVS item non minus luculenter *de vita Pyth. p. 31.* Φιλοσοφίαν ἐφιλοσόφησεν, ἧς ὁ σκοπὸς, ῥύσασθαι καὶ διελευθερῶσαι τῶν τοιούτων εἱργμῶν καὶ συνδέσμων τὸν καταχεχωρισμένον ἡμῖν νοῦν, *philoſophiam profitebatur, cujus ſcopus erat, inſitam nobis mentem ex hujusmodi impedimentis atque vinculis eruere atque in libertatem vindicare.* Quæ omnia, ut de fine intermedio, cum ultimo, de quo paulo poſt dicemus, non confundendo, intelligenda ſunt, ita quid de vinculis mentis corporeis ejusque liberatione Pythagorei docuerint, ſatis indicant. Ex quibus lux affulget iis, quæ IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 28. n. 153.* habet: λέγει δὲ καὶ μὴ τίκτειν ἐν ἱερῷ, οὐ γὰρ εἶναι ὅσιον ἐν ἱερῷ καταδεῖσθαι, τὸ θεῖον τῆς ψυχῆς εἰς τὸ σῶμα, *in templo dixit, pariendum non eſſe, fas enim non eſſe ut in loco ſacro divina anima corpori alligetur.* Liberatam vero philoſophiæ munere mentem ad cognitionem vere entium, τῶν νοητῶν, quæ per numeros intelligi, ſatis jam monuimus

nuimus, duci, una cum Platone tota Pythagoreorum ſecta conſtantiſſime aſſeruit, quorum teſtimonia abunde ſatis collegit IO. SCHEFFER. *de nat. & conſtit. phil. Ital. c. VIII. p. 56. ſeqq.* qui nobis otium in hac re fecit, unicum itaque teſtimonium in rem præſentem vocamus, quod nobis ante oculos, PORPHYRII l. c. πρῶτον μὲν παιδαγωγῶν ἑαυτὸν ἠρέμα πρὸς τὴν τῶν αϊδίων καὶ ὁμοφύλων, αὐτῶν, ἀσωμάτων, ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων θέαν *principio quidem ſemet ipſum ſenſim ad rerum æternarum, ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo ſecundum idem atque eodem modo ſe habentium contemplationem aſſuefaciens.*

§. XIV. Ex dictis haud obſcure ſequitur, id quod Pythagoras & ſequaces toties inculcarunt, objectum philoſophiæ eſſe numerum, cum objecto philoſophiæ Platonicæ, quod idea eſt, amice conſpirans. Cum enim, ut modo diximus, philoſophiæ munus ſit, animum a corporis vinculis & materiæ catenis liberatum ad notitiam & intuitionem, ut ita dicam, entium proprie talium, ad veritatem ſimplicem, ad ſubſtantiarum intellectualium contemplationem puram & ſpiritualem ducere, quæ voces omnes numeris quoque conveniunt, ut ex dictis liquere putamus, numeri certe totam philoſophiam occupant. In quo præter alios teſtem habemus eundem, quem ſupra, PORPHYR. *l. c. p. 32.* mathematicas ſcientias & ſpeculationes ideo adhibitas dicentem, ἵνα προγυμνάσῃ κατὰ βραχὺ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα ἀπὸ τῶν μηδέποτε κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσάυτως ἐν ταυτῷ μηδ' ἐφεστοσοῦν διαμενούντων σωματικῶν τὰ τῆς ψύχῆς ὄμματα, μετὰ τεχνικῆς ἀγογῆς εἰς τὴν ἔφεσιν τῶν τρόφων προσάγων, δι' ὧν ἀντεισάγων τὴν τῶν ὄντως ὄντων θέαν, μακαρίους ἀπετέλει, *ut iis, velut præexercitationibus paulatim utatur ad contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, artificioſa quadam*

ratione mentis oculos a rebus corporeis nunquam ſecundum idem atque eodem modo in uno eodemque ſtatu vel tantillulum permanentibus ad alimentorum deſiderium adducens, quorum ope contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, introducendo, homines beatos reddebat. In quibus verbis, quod de alimentis dicitur, lucem mutuat ex iis, quæ *hiſt. de ideis ſect. I. ʃ. 6. p. 93. ſeqq.* diximus, ideas eſſe pabulum animarum ſapientium, nempe quia earum contemplatione tanquam ambroſia & nectare nutriuntur & ſuſtentantur. Idem enim traditum de Pythagora quoque, de quo Damaſcenus, cujus ex Iſidoro verba refert PHOTIVS *cod. 242.* Τῶν μὲν παλαιότατα φιλοσοφάντων Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα θειάζει, καὶ τῶν ἐπτερωμένων ἐκείνων ψυχῶν εἶναι, αἱ εἰς τὸν ἐπουράνιον τόπον, εἰς τὸ πεδίον τῆς ἀληθείας, εἰς τὸν λειμῶνα τῶν θεῶν νέμονται εἰδέων, *antiquiſſimos philoſophos Pythagoram & Platonem, ut Deos coluit, & eorum animas alatas dixit, quas in locum ſupracœleſtem inque campum veritatis & pratum elevatas divinis putavit ideis paſci.* Sed hoc obiter. Ad hunc vero ſcopum numeros ſcientificos adhibebat Pythagoras, iis quaſi ſymbolis uſus ad numerorum intellectualium naturam & rationes explicandas. Cujus teſtem Porphyrius laudato loco adducit MODERATVM GADITANVM *de Pythagor. placitis*, (de quo vide ſis IO. IONSIVM *de ſcriptor. hiſtor. philoſ. l. III. c. 5. p. 229.*) qui ait: μὴ δυνάμενοι τὰ πρῶτα εἴδη καὶ τὰς πρώτας ἀρχὰς σαφῶς τῷ λόγῳ παραδοῦναι, διάτε τὸ δυσπερινόητον αὐτῶν καὶ δυσέξοιστον, παρεγένοντο ἐπὶ τοὺς ἀριθμοὺς, εὐσήμου διδασκαλείας χάριν, μιμησάμενοι τοὺς γεωμέτρας καὶ τοὺς γραμματιστάς. *Cum primas formas primaque principia oratione perſpicue explicari nequirent, quod & intellectu & prolatu difficillima ſint, ad numeros manifeſtioris doctrinæ cauſſa confugerunt, geometras &*

 lite-

literatores imitati. Cauſſa igitur eſt in propatulo, cur Iamblicho aliisque hæc doctrina dicatur θεολογία κατ' ἀριθμῶν *theologia in numeris*, vel ut *Anonymus* librum ſuum inſcripſit, θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς, quia per numeros res divinas explicabant. Eædem vero cauſſæ quoque allegandæ ſunt, cur matheſis Pythagoræ dicatur reminiſcentia, ut Platoni de dialectica ſua viſum eſt, vid. *hiſt. de ideis p. 100. ſeqq.* Ita enim eam dictam voluit philoſophus monente PROCLO *in Euclid. l. 1. p. 13.* quia non intrinſecus adveniat animæ, quemadmodum adveniunt imagines ab objectis ſenſuum in facultate imaginatrice formatæ. Cum enim mens, quæ ipſa quidem eſt numerus, numeros omnes in ſe habeat, & ab univerſo, in quo ſunt rationes numerorum *ſeminales*, participet, liberata a corporis vinculis ſibique reſtituta, & in domeſticas quaſi admiſſa ſedes, eorum reminiſcitur, quorum antea jam fuit conſcia, cum, ut Proclus ait, *in ſe ipſa ſita habeat multitudinis & magnitudinis principia*, &, quæ ipſa Pythagoreorum ſententia eſt apud PORPHYR. *l. c. p. 31.* quem exſcripſit, ut ſæpius IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 32. n. 228. p. 184.* παντ' ὁρᾷ καὶ παντ' ἀκούει *omnia videat & omnia audiat*, quod Epicharmi dictum fuit, teſte Plutarcho, Maximo Tyrio, Tzeze aliisque apud KVSTERVM *ad l. c.* Iamblichi.

§. XV. Confectis his, reliqua quæ de hoc argumento dicenda ſuperſunt, quæque harmoniam inter Pythagoræ numeros & Platonis ideas evincunt, hasque ex iſtis ortas eſſe docent, facili expediemus negotio. Idem ſcilicet Pythagoræ & Platoni ultimus philoſophiæ finis, eadem ad eum conſequendum propoſita & commendata media. Finis haud alius, quam ut per cognitionem numerorum, aut, ſi mavis, entium vere talium mentes ad intuitivam tandem promotæ cognitionem Deo fiant ſimiles, immo

mo ipſi Dii, non obſcure ipſum CARM. AVR. *in fine*:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Sic ubi depoſito conſcendes corpore cœlum
Immortalis eris divus, ſemperque beatus.

Clarius HIEROCLES ad *h. l.* de iſtis carminibus: πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἀνάγει, καὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας τὸν θελειότατον σκοπὸν ἐκαλύπτει, *ad divinam ſimilitudinem ducunt, Pythagoricæque philoſophiæ perfectiſſimum finem oſtendunt*, quæ & paſſim inculcat, ut & Pythagoreorum alii longo agmine videndi apud SCHEFFERVM *libro ſæpius laudato cap. VI. p. 43. ſeqq.* Hinc appoſite ex ſcholæ ſuæ ſententia olim Empedocles apud LAERT. *l. VIII. ſ. 66.*

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν. θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι.

Salvete, ego vobis Deus immortalis haud amplius mortalis
Verſor.

Quæ recte quidem ex parte ita explicuit SEXTVS EMPIR. *adv. Mathem. pag. 60.* Ὁ Ἐμπεδοκλῆς θεὸν ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, ἐπὶ μόνος καθαρὸν ἀπὸ κακίας τηρήσας τὸν νοῦν, καὶ ἀνεπιθόλωτον, τῷ ἐν αὐτῷ Θεῷ τὸν ἐκτὸς κατείληφεν. *Empedocles ſeipſum appellavit Deum, quoniam cum ſolus conſervaſſet mentem a vitio puram & inperturbatam, eo qui in ſe erat Deo, Deum, qui erat intrinſecus, comprehendit.* Eſt enim Pythagoreis, ut Platonicis, Stoicis aliisque mens pars Dei; ſed ex verbis aurei carminis manifeſtum, Empedoclem ad finem ultimum philoſophiæ reſpexiſſe, quem ſe fuiſſe conſecutum exiſtimavit, recte ideo arrogantiæ accuſatur, cum humanam

docuimus vel ut Moderatus apud STOBAEVM *eccl. phyſ. c. 2.* monadum congeries ſive progreſſio multitudinis a monade incipiens, regreſſio in eandem deſinens. Ex hac diſtinctione numerorum intelligibilium & ſcientificorum orta quoque diſtinctio inter unum & unitatem. Eſt enim ἡ μονὰς τῶν ἀριθμῶν, τὸ ἓν τῶν ἀριθμητῶν, *unitas numerorum, unum autem numerabilium*, ut concinne Moderatus, ſic ut numeri differant à numerabilibus, ut corporea ab incorporeis. Convertit ANONYMVS *Auctor vitæ Pythag. apud Photium cod. 259.* διαφέρειν ἔλεγον οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου μονάδα καὶ ἓν, μονὰς μὲν γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς ἐνομίζετο ἡ ἐν τοῖς νοητοῖς οὖσα, ἓν δὲ τὸ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, *Pythagorei ajebant differre unitatem & unum, unitas enim ab iis exiſtimabatur, quæ in intellectualibus exiſtit, unum vero id quod in numeris.* Sed quicquid illud eſt, ſufficit nobis, intellectuales numeros longe differre a ſcientificis, qui phyſicæ objectum conſtituunt, ut mathematici arithematicæ (*q*).

§. XII. Porro & origine & dignitate numeri Pythagorici cum ideis Platonicis conveniunt. Platoni enim fons idearum, νοῦς, λόγος, mens ratiove divina ab æterno ideas producens, ut multis dictum in *hiſt. de ideis Sect. I. §. 5. p. 53. ſeq. p. 59. ſeqq.* Nec aliter Pythagoræ numerus, qui ut omnis numerorum ſeries in unitate comprehenditur, & ex ea explicatur, ita unum illud æternum omnes ex ſe numeros produxiſſe, multis operoſe contendit, immo caput quaſi philoſophiæ ſuæ in emanatione τῶν ὄντων νοητῶν conſtituit. Nec profecto multa hic probatione opus eſt, cum adducta jam, immo omnia

(*q*) Numerum ſcientificum Pythagoras a mathematico ita diſtinxiſſe videtur, ut ille rationes ſeminales ad conſtituendam rerum naturam & eſſentiam indicet, hic proportiones & progreſſiones multitudinis ex uno ſignificet. Et hic illius, ille intelligibilis numeri ſymbolum fuit.

omnia ab eo dicta manifeſte id clamitent. En tamen argumenta hujus rei pauca. Vnitas Pythagoræ fons reliquorum numerorum intellectualium; *Oracula v. 37. ſeqq.*

Ἔχει τῷ νοεῖν πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι
Πάσαις πηγαῖσι καὶ ἀρχαῖς.
Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ καὶ πηγὴ
τῶν νοερῶν.

Poteſt intelligendo, paternam mentem indere
Omnibus fontibus & principiis.
Eſt enim terminus paternæ profunditatis, & fons
intellectualium.

Hæc de mente quidem, ſecundo à patre principio, quæ tamen omnino ad patrem ſive unitatem referenda quoque ſunt; quia non tantum paternam principiis mentem indere dicitur, ſed &

Μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμενεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ
Καὶ ἐν τῇ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν.

Non progreſſa eſt, ſed manſit in paterno profundo
Et in adyto, juxta nutritum a Deo ſilentium (*r*).

Immo *v. 18.* unitas vocatur

Καὶ πηγὴ πηγῶν ἁπασῶν
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα.

Fons quoque fontium omnium
Matrix continens omnia.

Vel

(*r*) Repetenda hic ſunt, quæ ex Macrobio modo annotavimus; ut intelligatur, quo ſenſu mens monas dicatur. Hæc affricuere ſyſtemati Pythagoreo Eclectici qui hanc paternam profunditatem ex orientali philoſophia acceperunt, ut alio loco dictum. Quod ſi totum illud chaoticum, quod ante rerum omnium evolutionem ſupponit ſyſtema Pythagoricum, cum hoc ſilentio profunditatis quis comparere voluerit, non refragabimur. Pythagoram vero & Platonem, Deum Deo ſummo priorem non agnoviſſe, ſumus certiſſimi. Hunc enim Mithras demum Perſicæ theologiæ genuit, Græcanicis placitis aſſutus.

Vel ut THOM. GALE *ad Iamblich. de myſter. Aegypt. p. 299.* hunc verſum integre legit

Καὶ πηγὴ πηγῶν, καὶ μηγῶν πεῖρας ἁπασῶν.

Fons fontium, & fontium quoque omnium finis.

Addit quoque rectiſſime, eſſe Platonis hanc plane doctrinam de ideis, qui vult fluere ἀπὸ τοῦ ἑνὸς τὰς ἰδέας ἤτοι τὰ νοητὰ εἴδη, τῇ νοήσει μόνῃ γνωστάς, *ex uno ideas vel intellectuales ſpecies & formas, ſolo intellectu cognoſcendas*, hancque doctrinam aliis atque aliis nominibus tractaſſe præter alios etiam Pythagoram. Multa non eodem tantum ſenſu, ſed iisdem quoque verbis apud SYNESIVM in *Hymnis*, indigna plane chriſtiano epiſcopo, ita v. g. *Hymn. II. p. m.* 27. edit. Henr. Steph.

— — — σὺ δ' ἐσσὶ ῥίζα
Παρεόντων, πρό τ' ἐόντων
Μετεόντων, ἐνεόντων
Σὺ πατὴρ σὺ δ' ἐσσί μήτηρ,
Σὺ δὲ ἄρρην, σὺ δὲ θῦλη,
Σὺ δὲ φονά, σὺ δὲ σίγα.
Φύσεως φύσις γονῶσα,
Σὺ δ' ἄναξ αἰῶνος αἰών
Τὸ μὲν ἦ θέμις βοάσαι.
Μέγα χαῖρε ῥίζα κόσμου,
Μέγα χαῖρε κέντρον ὄντων,
Μονὰς ἀμβρότων ἀριθμῶν
Προανουσίων ἀνάκτων. Κ. Τ. Λ.

— — — Tu autem ut radix
Præſentium, præteritorum,
Futurorum, eorum, quæ ſunt.
Tu pater, Tu es mater,
Tu mas, Tu fæmina
Tu vox, Tu ſilentium,
Natura natura fæcunda.

Tu,

Tu, ô rex, ſeculi ſeculum,
Quantum id quidem fas eſt voce teſtari.
Longum ſalve radix mundi,
Longum ſalve centrum rerum,
Vnitas divinorum numerorum,
Subſtantia carentium regum &c.

Hæc profecto tam exacte ad Pythagoræ mentem dicta, ut ipſe Pythagoras luculentius non valeat: qua vero pietate vel cum puriore philoſophia ſanctiſſimæ religionis noſtræ convenientia, judicent, quorum intereſt. Patet hinc ratio, cur monas, etſi quam maxime intellectualis, id eſt, ſpiritualis naturæ, in ſchola Italica audiat ὕλη, πανδοχεύς, τάρταρος, χάος, ut videre eſt iis, quæ collegit diligentiſſimus MEVRSIVS *de Den. Pyth. c. III. p.* 19. *ſeqq.* non quod ſenſu Pythagorico unitas ſit materia, ex qua corporea formantur, huic enim materiæ opponitur, ſed quod ſit fons intellectualium, ex quo fluunt: licet negandum non ſit, ipſam unitatem, ſive Deum, ſi verum ſpectes, non obſtante omni, quam ei adſcribit Pythagoras, ſpiritualitate eſſe materiam ſubtiliſſimam, craſſiori opponendam ex mente philoſophi, ignem ſcilicet ſubtiliſſimum, ætheris quoque nomine inſignitum, ut alio loco pluribus docemus. Sed hæc noſtri quidem inſtituti non ſunt, ubi ſatis eſt probari, ex fonte hoc emanaſſe reliquos numeros intelligibiles. Concinunt alii; HERMIAS *irriſ. gentil. philoſ.* de Pythagoreis ſermone facto: ἀρχὴ τῶν ἁπάντων ἡ μονάς, ἐκ δὲ σχημάτων αὐτῆς καὶ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. *Principium omnium unitas eſt, e figuris autem ejus numeriſque elementa fiunt.* MACROBIVS non minus luculenter *ſomn. Scip. l. I. cap. 6. Vnum autem, quod* μονὰς *eſt, par idem atque impar, ipſe non numerus, ſed fons & origo numerorum. Hæc monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum, ejuſque intellectum a ſequentium nume-*

ro rerum & poteſtatum ſequeſtrat, nec in inferiore poſt Deum gradu eam fruſtra deſideraveris. Hæc eſt illa MENS, ex ſummo enata Deo. In quibus verbis ſatis luculentam habes verborum oraculi ſupra adductorum explicationem. Sed & ſequentia legenda ſunt, licet quædam admiſceat, Platonicis magis quam Pythagoreis propria. Patet ex dictis cauſſa, cur unitas ab his viris vocetur non ſolum *ὀυσία*, *ἄιτιον τῆς ἀληθείας*, *ἁπλοῦν παράδειγμα*, ſubſtantia (ſumma & prima) cauſſa veritatis, ſimplex exemplar, ſed & *ἀῤῥενοθύλης* ſive *ἀνδρόγυνος*, hermaphroditus, quoniam ipſa ſibi produxit ex ſe binarium, ſive alterum principium *λόγον*, *νοῦν*, *δυάδα* (quocunque enim nomine inſignias Platonico vel Pythagorico, perinde eſt) ex quorum connubio deinde reliqui numeri, reliquæ ideæ, reliqua principia intellectualia emanatione intellectuali originem ſubſtantiamque acceperint (*s*). Hæc ſi attente teneamus, facile intelligere licebit, quid ſibi voluerint, non Pythagoras ſolum, ſed & omnes fere gentiles theologi, Deum facientes *ἀνδρόγυνον*, nempe cuncta intelligibilia & ſpiritualia ex Deo primo & ſecundo, id eſt, Deo ex Deo progenito emanaſſe. De qua re multa dicenda eſſent, niſi ab hoc noſtro inſtituto remotiora aliam tractationem requirerent; videre interim licet, quos in *hiſt. de ideis Sect. II. ſ. 2. pag. 186. ſeq.* laudavimus, quibus adde ſis SOUVERAIN. *Platon. det. P. I. c. 8. pag. 85.* & S. rev. JO. CHR. WOLFIUM *de Manich. ante Manich. p. 117.* Pythagoram vero unitatem dixiſſe marem & feminam, nubes teſtium evincit; vid. NICOMACH. *l. c.* MACROB. *l. c.* THEON. SMYRN. *mathem. Pl. c. 5.* pluresque alii. Scilicet aliter dici unitas non poterat, cum in ſe contineret, & parturiret quoque ex ſe principium illud

(*s*) Diſtinctius confuſas obſcurorum philoſophorum notiones circa hoc argumentum enarrare tentavimus in *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 1049. *ſeq.* quæ cum his comparanda.

illud, ex quo reliqua principia ſunt omnia. Fruſtra itaque nobis eſſe videntur, qui hanc appellationem inde ortam credunt, quod Deo ſummo materiam coæternam & independentem, tanquam principium abſolute primum adjunxerit Pythagoras, cuncta ex duplici coexiſtente principio facta eſſe, aſſerens (*t*). Omnia enim, ut vidimus, ad τὰ νοητὰ referuntur, materia vero, quatenus Deo opponitur, nulli philoſopho ex Deo, nec Pythagoræ, niſi eo ſenſu, omnia principio fuiſſe unum, quo tamen admiſſo, materia Deo opponi non poteſt. Videlicet decepit multos ex veteribus quoque ambiguitas verborum Pythagoræ de hac re, videndos apud cel. WOLFIVM *l. c.* qui multa eruditiſſime cumulat. Sed de hac re alio loco. Quemadmodum vero eadem gaudent origine Pythagoræ numeri & Platonis ideæ, ita eadem quoque ſuperbiunt dignitate, florentque officio, ut ita dicamus. Vtrique enim philoſopho principia ſunt rerum ſenſibilium & ſeorſim numero exiſtentium. Res ex dictis manifeſta prolixa probatione non eget, videndus vero, qui multis eam expoſuit SEXTVS EMPIRICVS *adv. mathem l. IX. p. 422.* Paucis egregie PHOTIVS in *cod. 137. p. 238.* ἵνα τοὺς ἀριθμοὺς θεοποιήσῃ, καὶ τῶν ὄντων τῆς οὐσιώσεως αἰτίας ἀναπλάσῃ, ἀφ' ἑκάστης τῶν εἰρημένων ἐπιστημῶν ἔνιά τινα τῶν θεωρημάτων τῇ πρὸς τοὺς ἀριθμοὺς ἐνυφαίνει θεοπλαστίᾳ, *ut e numeris Deos efficiat, eosdemque omnis eſſentiæ rerum ſubſiſtentium auctores ac cauſſas effingat, e ſingulis jam nominatis diſciplinis theoremata quædam huic Deorum effictioni intertexit.* Nec minus clare SIMPLICIVS *ad phyſ. l. I.* οἱ Πυθαγόρειοι τοὺς ἀπὸ μονάδος ἄχρι δεκάδος ἀριθμοὺς ἀρχὰς ἔλεγον τῶν πάντων,

(*t*) Velimus hic, ut clarius cuncta conſtent, ea, ſi tanti videantur, legi, *quæ l. c. p.* 1051. *ſeqq* diſſeruimus, quo loco oſtendimus, quo ſenſu materia poſſit ad dyadem referri; nempe ut h. l. jam innuimus, ſi ſignificetur, omnia in principio fuiſſe unum.

πάντων, *Pythagorei numeros ab unitate usque ad denarium rerum omnium principia eſſe dicebant*, conf. PHILOSOPHVM. *Origenis c. I. p. 31.* PORPHYR. *de vita Pyth. p. 33.* Cum vero iſta principia divinam originem habeant, & divina principia ſint, recte quoque τῷ ἀριθμῷ τὴν ὡρισμένην οὐσίαν τῶν θεῶν, *definitam numero eſſentiam Deorum*, ut emendat LVD. KVSTERVS *ad h. l.* id eſt numero conſtare eſſentiam divinam dixit IAMBLICH *cap. 28. n. 147. pag. 124.* Quemadmodum & Plato eadem ratione ductus ideas inter divina retulit, uti monitum *in hiſt. de ideis ſect. I. ſ. 6. p. 90. ſeqq.*

§. XIII. Vidimus hactenus numeros Pythagoræ in ſe, eosque ſatis accurate cum ideis Platonis convenire deprehendimus, quod ſi jam eos ratione hominis, cui objectum ſapientiæ, immo, ſi illos audias, omnis felicitatis conſtituunt, conſideres, eandem iterum inter Pythagoram & Platonem obſervabis harmoniam. Eandem enim ſententiam ſupponit uterque, eadem chorda oberrat, eosdem, ſi verum fatendum eſt, fovet errores. Conſtituta enim ſemel ſpiritualium rerum natura, non potuit non animum ex divina mente carptum dicere Pythagoras, ut de Platone quoque probatum dedimus *l. c. ſect. I. cap. 6. pag. 95. ſeqq.* quippe ex nihilo nihil fieri poſſe credebat, & materiæ quoque ſpiritualem animæ naturam, & immortalitatem, quam a Pherecyde magiſtro didicerat docueratque, ut eſt apud LAERT. *L. VIII. ſ. 27.* & CICERON. *Tuſc. Q. q. l. I.* refragari cernebat. Hinc Deus animæ origo, de qua *oracula v. 215. ſeqq.*

Χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος καὶ Πατρὸς αὐγάς
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχή, πολὺν ἑσσαμένη νοῦν,
Ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δὲ οἱ ἐψύχετο.

Oportet te feſtinare ad lucem & patris radios,
Vnde miſſa eſt tibi anima multam induta mentem,
Hæc pater cogitavit, mortaliſque ei animatus.

Et

Et hæc cauſſa quoque eſt, cur Pythagoras animam, quam *ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα*, *numerum ſe ipſum moventem* vocat apud PLVTARCH. *de plac. phil. libr. IV. c.* 2. dixerit *ἀπόσπασμα τοῦ αἰθέρος*, *avulſionem ætheris*, notante LAERT. *L. VIII. ſ. 28.* ſcilicet immortalis & divini, ſive Dei ipſius; non enim alium agnovit Deum, licet eum a materia craſſiore ſepararet. Quod clarius expreſſit PLVT. *l. c. c. 7.* Πυθαγόρας, Πλάτων ἄφθαρτον λέγουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν, ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν εἰς τὸ ὁμογενές. *Pythagoras & Plato incorruptibilem animam eſſe dicunt, decedentem enim in univerſi animam ſecedere, ad id quod ejusdem generis & naturæ eſt.* Omnium clariſſime CICERO *de nat. Deor. libr. I. Pythagoras, qui Deum cenſuit animum eſſe, per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo animi noſtri carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum.* Quæ quoque repetit *de Senect. c. 21.* Sic & alii, quos tamen in re nota non adducimus, ne ſimus nimii (*u*). Cave tamen hic νοῦν & ψυχὴν confundas; iſta enim, quam ex Plutarcho adduximus, definitione animæ, mentem Pythagoras definivit, Plutarcho ipſo interprete, quam ab extrinſeco animæ ſiderali inſeri dicebat, idque θείᾳ μοίρᾳ, *divina participatione*, id eſt, tanquam pars Dei, ut CLEM. ALEXANDR. *l. V. Stromat.* De iſta itaque mente, quam immortalem numerum ex ejus ſententia non incommode vocaveris, intelligendus philoſophus Samius, quando ait, eam numeros in ſe continere, ut ſecundum Platonem ideas. Quaternione enim, ſi Pythagoreos audias, mentes conſtant, ex eaque omnes ſcientiæ proficiſ-

(*u*) Addi his poteſt, non pati aliud emanativum ſyſtema, quod in rebus intellectualibus admiſit Pythagoras, quam animam ejusdem eſſe originis & dignitatis, quamvis corpore veſtiatur. conf. *l. c. p.* 1082.

proficiſcuntur, quod, qua ratione intelligendum ſit, apud PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. III.* pluribus videndum, licet non negemus, Pythagoreos, & qui ipſorum ſententiam referunt, in eo explicando, quomodo numeri inſint animæ, (*) admodum fluctuare, & eſſe incertiſſimos, qui ſcilicet ipſi, quid dicant, non ſatis intellexerunt, quod eorum inter ſe placita conferenti mox patebit, ſi vel unum Plutarchum cum *Anonymo auctore vitæ Pythagoræ* apud PHOTIVM *cod. 259.* quem HOLSTENIVS quoque *Porphyrio* adjunxit *p. 59.* & quæ ibi de cognitionis animæ humanæ modo dicuntur, comparet (*x*). Quis enim certi quid in ejusmodi ſomniis expectabit? Hanc animam, ſive mentem potius, a Deo profectam corpori inditam, venis & arteriis corporis tanquam vinculis concludi & detineri, ante Platonem, quoque aſſeruit Pythagoras, cui animæ e cœlo excluſæ & delapſæ creditæ ſunt, ſi HIERON. *in quæſt. ad Hebid. c. 10.* fides eſt, conſpirante tota philoſophiæ Pythagoreæ natura & conſtitutione. Clare id LAERT. *l. VIII. ſect. 31.* δεσμὰ ἐ͂ιναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας, καὶ τὰς ἀρτηρίας καὶ τὰ νεῦρα; *vincula animæ eſſe venas & arterias & nervos.* Quod quidem de anima ſiderali, non de mente intelligendum eſſe primo intuitu videtur, ſaltem, quæ de immiſſione ejus & exitu apud hunc auctorem dicuntur, ita explicari commode poſſunt; de ipſo tamen νῷ ſive mente intelligenda eſſe, finis Pythagoreæ philoſophiæ poſtulat, qui perinde ut Platonicæ, eſt, liberatio mentis a corporis vinculis. Ita enim IAM-

(*) Lucem huic quæſtioni effundet IO. BAPT. CRISPVS de *Platone caute legendo diſtr. l. I. p.* 16. qui, ubi occaſio fert, conſuli meretur.

(*x*) Non hæc ſola Platonicorum ſequiorum ſomnia eſſe, ſed conſpirare cum ipſa Pythagoræ diſciplina, una aurei carminis lectio abunde evincet. Quod quamvis Pythagoræ tribui nequeat, ſcholam tamen ejus auctorem agnoſcere, nemo ignorat, conſ. *hiſt. crit. phil.* T. I. p. 1065.

IAMBLICHVS *libr. II. cap. 13.* Φιλοσοφία ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνθρωπίνων δεσμῶν παρέχει καὶ λύσιν τῆς γενέσεως, καὶ περιαγωγὴν ἐπὶ τὸ ὄν, καὶ γνῶσιν τῆς ὄντως ἀληθείας, καὶ κάθαρσιν ταῖς ψυχαῖς, *philoſophia continet ſolutionem a vinculis humanis, & liberationem a natura connatis, & converſionem ad id, quod eſt, & notitiam rerum veritatis & purgationem animæ.* Sic eodem loco liberari corpus dicit ab amentia corporis, & purgationem in eo conſiſtere, ut ſeparetur quam maxime animus a corpore, liberque fiat ab eo velut ex vinculis. Quæ liberatio a corpore celebratiſſima his hominibus mors eſt philoſophica. Eadem habet HIEROCLES *ad carm. aur. init.* qui finem philoſophiæ dicit κάθαρσιν ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητουδοῦς σώματος, *purgationem ab irrationabilitate materiæ, & mortali corpore*, PORPHYRIVS item non minus luculenter *de vita Pyth. p. 31.* Φιλοσοφίαν ἐφιλοσόφησεν, ἧς ὁ σκοπὸς, ῥύσασθαι καὶ διελευθερῶσαι τῶν τοιούτων εἱργμῶν καὶ συνδέσμων τὸν καταπεχωρισμένον ἡμῖν νοῦν, *philoſophiam profitebatur, cujus ſcopus erat, inſitam nobis mentem ex hujusmodi impedimentis atque vinculis eruere atque in libertatem vindicare.* Quæ omnia, ut de fine intermedio, cum ultimo, de quo paulo poſt dicemus, non confundendo, intelligenda ſunt, ita quid de vinculis mentis corporeis ejusque liberatione Pythagorei docuerint, ſatis indicant. Ex quibus lux affulget iis, quæ IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 28. n. 153.* habet: λέγει δὲ καὶ μὴ τίκτειν ἐν ἱερῷ, οὐ γὰρ εἶναι ὅσιον ἐν ἱερῷ καταδεῖσθαι, τὸ θεῖον τῆς ψυχῆς εἰς τὸ σῶμα, *in templo dixit, pariendum non eſſe, fas enim non eſſe ut in loco ſacro divina anima corpori alligetur.* Liberatam vero philoſophiæ munere mentem ad cognitionem vere entium, τῶν νοητῶν, quæ per numeros intelligi, ſatis jam monuimus

nuimus, duci, una cum Platone tota Pythagoreorum ſecta conſtantiſſime aſſeruit, quorum teſtimonia abunde ſatis collegit IO. SCHEFFER. *de nat. & conſtit. phil. Ital. c. VIII. p. 56. ſeqq.* qui nobis otium in hac re fecit, unicum itaque teſtimonium in rem præſentem vocamus, quod nobis ante oculos, PORPHYRII l. c. *πρῶτον μὲν παιδαγωγῶν ἑαυτὸν ἠρέμα πρὸς τὴν τῶν αἰδίων καὶ ὁμοφύλων, αὐτῶν, ἀσωμάτων, ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων θέαν principio quidem ſemet ipſum ſenſim ad rerum æternarum, ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo ſecundum idem atque eodem modo ſe habentium contemplationem aſſuefaciens.*

§. XIV. Ex dictis haud obſcure ſequitur, id quod Pythagoras & ſequaces toties inculcarunt, objectum philoſophiæ eſſe numerum, cum objecto philoſophiæ Platonicæ, quod idea eſt, amice conſpirans. Cum enim, ut modo diximus, philoſophiæ munus ſit, animum a corporis vinculis & materiæ catenis liberatum ad notitiam & intuitionem, ut ita dicam, entium proprie talium, ad veritatem ſimplicem, ad ſubſtantiarum intellectualium contemplationem puram & ſpiritualem ducere, quæ voces omnes numeris quoque conveniunt, ut ex dictis liquere putamus, numeri certe totam philoſophiam occupant. In quo præter alios teſtem habemus eundem, quem ſupra, PORPHYR. *l. c. p. 32.* mathematicas ſcientias & ſpeculationes ideo adhibitas dicentem, *ἵνα προγυμνάσῃ κατὰ βραχὺ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα ἀπὸ τῶν μηδέποτε κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐν ταυτῷ μηδ' ἐφοσονοῦν διαμενούντων σωματικῶν τὰ τῆς ψύχῆς ὄμματα. μετὰ τεχνικῆς ἀγογῆς εἰς τὴν ἔφεσιν τῶν τρόφων προσάγων, δι' ὧν ἀντεισάγων τὴν τῶν ὄντως ὄντων θέαν, μακαρίους ἀπετέλει, ut iis, velut præexercitationibus paulatim utatur ad contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, artificioſa quadam ratio-*

ratione mentis oculos a rebus corporeis nunquam ſecundum idem atque eodem modo in uno eodemque ſtatu vel tantillulum permanentibus ad alimentorum deſiderium adducens, quorum ope contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, introducendo, homines beatos reddebat. In quibus verbis, quod de alimentis dicitur, lucem mutuat ex iis, quæ *hiſt. de ideis ſect. I. ſſ. 6. p. 93. ſeqq.* diximus, ideas eſſe pabulum animarum ſapientium, nempe quia earum contemplatione tanquam ambroſia & nectare nutriuntur & ſuſtentantur. Idem enim traditum de Pythagora quoque, de quo Damaſcenus, cujus ex Iſidoro verba refert PHOTIVS *cod. 242.* Τῶν μὲν παλαιότατα φιλοσοφάντων Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα θειάζει, καὶ τῶν ἐπτερωμένων ἐκείνων ψυχῶν εἶναι, αἱ εἰς τὸν ἐπουράνιον τόπον, εἰς τὸ πεδίον τῆς ἀληθείας, εἰς τὸν λειμῶνα τῶν θεῶν νέμονται ἰδεῶν, *antiquiſſimos philoſophos Pythagoram & Platonem, ut Deos coluit, & eorum animas alatas dixit, quas in locum ſupracæleſtem inque campum veritatis & pratum elevatas divinis putavit ideis paſci.* Sed hoc obiter. Ad hunc vero ſcopum numeros ſcientificos adhibebat Pythagoras, iis quaſi ſymbolis uſus ad numerorum intellectualium naturam & rationes explicandas. Cujus teſtem Porphyrius laudato loco adducit MODERATVM GADITANVM *de Pythagor. placitis,* (de quo vide ſis IO. IONSIVM *de ſcriptor. hiſtor. philoſ. l. III. c. 5. p. 229.*) qui ait: μὴ δυνάμενοι τὰ πρῶτα εἴδη καὶ τὰς πρώτας ἀρχὰς σαφῶς τῷ λόγῳ παραδοῦναι, διά τε τὸ δυσπερινόητον αὐτῶν καὶ δυσέξοιστον, παρεγένοντο ἐπὶ τοὺς ἀριθμοὺς, εὐσήμου διδασκαλείας χάριν, μιμησάμενοι τοὺς γεωμέτρας καὶ τοὺς γραμματιστάς. *Cum primas formas primaque principia oratione perſpicue explicari nequirent, quod & intellectu & prolatu difficillima ſint, ad numeros manifeſtioris doctrinæ cauſſa confugerunt, geometras &*

literatores imitati. Cauſſa igitur eſt in propatulo, cur Iamblicho aliisque hæc doctrina dicatur *θεολογία κατ᾽ ἀριθμῶν theologia in numeris*, vel ut *Anonymus* librum ſuum inſcripſit, θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς, quia per numeros res divinas explicabant. Eædem vero cauſſæ quoque allegandæ ſunt, cur matheſis Pythagoræ dicatur reminiſcentia, ut Platoni de dialectica ſua viſum eſt, vid. *hiſt. de ideis p. 100. ſeqq.* Ita enim eam dictam voluit philoſophus monente PROCLO *in Euclid. l. 1. p. 13.* quia non intrinſecus adveniat animæ, quemadmodum adveniunt imagines ab objectis ſenſuum in facultate imaginatrice formatæ. Cum enim mens, quæ ipſa quidem eſt numerus, numeros omnes in ſe habeat, & ab univerſo, in quo ſunt rationes numerorum ſeminales, participet, liberata a corporis vinculis ſibique reſtituta, & in domeſticas quaſi admiſſa ſedes, eorum reminiſcitur, quorum antea jam fuit conſcia, cum, ut Proclus ait, *in ſe ipſa ſita habeat multitudinis & magnitudinis principia*, &, quæ ipſa Pythagoreorum ſententia eſt apud PORPHYR. *l. c. p. 31.* quem exſcripſit, ut ſæpius IAMBLICH. *de vita Pyth. c. 32. n. 228. p. 184.* παντ᾽ ὁρᾷ καὶ παντ᾽ ἀκούει *omnia videat & omnia audiat*, quod Epicharmi dictum fuit, teſte Plutarcho, Maximo Tyrio, Tzeze aliisque apud KVSTERVM *ad l. c.* Iamblichi.

§. XV. Confectis his, reliqua quæ de hoc argumento dicenda ſuperſunt, quæque harmoniam inter Pythagoræ numeros & Platonis ideas evincunt, haſque ex iſtis ortas eſſe docent, facili expediemus negotio. Idem ſcilicet Pythagoræ & Platoni ultimus philoſophiæ finis, eadem ad eum conſequendum propoſita & commendata media. Finis haud alius, quam ut per cognitionem numerorum, aut, ſi mavis, entium vere talium mentes ad intuitivam tandem promotæ cognitionem Deo fiant ſimiles, immo

mo ipſi Dii, non obſcure ipſum CARM. AVR. *in fine*:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς

Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Sic ubi depoſito conſcendes corpore cœlum
Immortalis eris divus, ſemperque beatus.

Clarius HIEROCLES ad *h. l.* de iſtis carminibus: πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἀνάγει, καὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας τὸν θελειότατον σκοπὸν ἐκαλύπτει, *ad divinam ſimilitudinem ducunt, Pythagoricæque philoſophiæ perfectiſſimum finem oſtendunt*, quæ & paſſim inculcat, ut & Pythagoreorum alii longo agmine videndi apud SCHEFFERVM *libro ſæpius laudato cap. VI. p. 43. ſeqq.* Hinc appoſite ex ſcholæ ſuæ ſententia olim Empedocles apud LAERT. *l. VIII. ſ. 66.*

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν. θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι.

Salvete, ego vobis Deus immortalis haud amplius mortalis
Verſor.

Quæ recte quidem ex parte ita explicuit SEXTVS EMPIR. *adv. Mathem. pag. 60.* Ὁ Ἐμπεδοκλῆς θεὸν ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, ἐπὶ μόνος καθαρὸν ἀπὸ κακίας τηρήσας τὸν νοῦν, καὶ ἀνεπιθόλωτον, τῷ ἐν αὐτῷ Θεῷ τὸν ἐκτὸς κατείληφεν. *Empedocles ſeipſum appellavit Deum, quoniam cum ſolus conſervaſſet mentem a vitio puram & inperturbatam, eo qui in ſe erat Deo, Deum, qui erat intrinſecus, comprehendit.* Eſt enim Pythagoreis, ut Platonicis, Stoicis aliisque mens pars Dei; ſed ex verbis aurei carminis manifeſtum, Empedoclem ad finem ultimum philoſophiæ reſpexiſſe, quem ſe fuiſſe conſecutum exiſtimavit, recte ideo arrogantiæ accuſatur, cum humanam

manam conditionem longe ſuperet. Unde Plato cui & ipſi hic finis placuit, magis ſobrius addidit, *κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ*, *quantum licet homini*, ut pluribus probat SCHEFFER. *l. c. pag. 42. ſeq.* Tandem & media eluctandi e corporis vinculis, & aſcendendi ad conſummatiſſimam iſtam felicitatem Pythagoræ & Platoni eadem ſunt, ſcilicet purgatio a corporis ſordibus, converſio mentis in ſe ejusque aſcenſus, de quibus toties actum a multis, ut Iliada poſt Homerum ſcribere nefas ſit. In primis vero numerorum poſtulata cognitio & ſtudium, cujus amore propter excellentiſſimum hunc finem adeo captus fuit Pythagoras, ut in numerorum ſcientia omnem ſapientiam poſuerit, haud aliter ut Plato in idearum cognitione, vid. *hiſt. de ideis p. 120. ſeqq.* Teſtis LAERTIVS *l. VIII. ſ. 8.* *μάλιστα σχολάσαι τὸν Πυθαγόραν περὶ τὸ ἀριθμητικὸν εἶδος*, *maxime vacaſſe Pythagoram circa ſpeciem geometriæ, arithmeticam*, dixiſſeque fertur, hominum ſapientiſſimum fuiſſe, qui numeros inveniſſet, poſt illum, qui rebus nomina impoſuiſſet apud AELIAN. *var. hiſt. l. IV. c. 17.* conf. MENAG. *ad l. c. Laërt. p. 356.* His adde STOBAEVM *ecl. phyſ. c. 2.* *τὴν περὶ τοὺς ἀριθμοὺς πραγματείαν μάλιστα πάντων τιμῆσαι δοκεῖ Πυθαγόρας*, *Pythagoras ſtudium numerorum maxime omnium honoraviſſe videtur:* conf. PROCLVS *in theol. Plat. l. I. c. 4.* & THEODORET. *Therapeut. XI. p. 152.* ὁ πολυθρύλλητος Πυθαγόρας τὴν τελειοτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην ἔσχατον ὑπελάμβανεν ἀγαθόν. *Celeberrimus Pythagoras ſummum hominis bonum in exactiſſima numerorum ſcientia poſitum eſſe exiſtimat.* Plures tacemus.

§. XVI. Perſpeximus itaque, quantum per cimmerias quaſi, quibus Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoria ſepta eſt, obſcuritatis tenebras licuit, originem, fontes, naturamque numerorum ex mente

ſcholæ

ſcholæ Italicæ, & iisdem illos inædificaſſe fundamentis, eadem definiviſſe ratione, eodem tractaviſſe modo, eidem applicuiſſe ſcopo, quibus ideas ſuas inædificavit, definivit, tractavit & applicuit Plato, luculentis veterum probavimus teſtimoniis. Admiſſo itaque, quod initio evictum dedimus, quod multa philoſophiæ ſuæ capita ex Pythagoræ ſchola hauſerit Plato, quis porro negaverit, philoſophum hunc τῶν ὄντων quoque καὶ τῶν νοητῶν, quæ per numeros explicabat Pythagoras, doctrinam ex Italica ſcholà in Academiam ſuam tranſtuliſſe, novoque idearum nomine, nova tractatione, magisque perſpicua luce donaſſe, mutatis iis, quæ vel abſurda ipſi videbantur, vel cum reliquis quas adoptavit doctrinis non cohærere poſſe autumabat? Multa enim in hac de rerum principiis per numeros expreſſis doctrina ἀσύστατα & ἀπροσδιόνυσα, longe plura δυσνόητα & inextricabilia eſſe, quis negare audeat? Non expectabis itaque, LECTOR BENEVOLE, ut ſingulorum numerorum rationes & ſignificationes Tibi pandamus luculentas. Quamvis enim multo labore, ea quæ de numeris dixere veteres, collegerit MEVRSIVS (y), nihil tamen in iſtis niſi obſcuritatem deprehendimus ineluctabilem, lubentesque fatemur, nihil inde certi & perſpicui nos potuiſſe haurire, nec iſta nos myſteria aſſequi. Tu ſi igitur profundius in hæc ſacra penetras, invidere noli, &

Si quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

TANTVM!

OBSER-

(y) In compendio veterum loca adduxit IO. IAC. LEHMANNUS in *obſerv. ad IO FRANC. BVDDEI hiſtoriam Pythagoræ n.* 388. *ſeqq.* qui præclare de eo argumento meruiſſet, ſi quæ non ſine induſtria congeſſit, cum judicio digeſſiſſet & explicuiſſet.

OBSERVATIO IV.

Supplementa ad hiſtoriam de ideis exhibens (*a*).

Ad hiſtor. Philoſ. de Ideis.

Ad Præfationem not. ***

DElicatuli lectoris tædium præventuri, Menagii verbis rationes explicuimus, cur veterum loca cumulaverimus, & integra haud paſſim exſcripſerimus. Qua via cum in aliis quoque ſcriptionibus noſtris, quæ philoſophicæ & literariæ hiſtoriæ limina tangunt, inceſſerimus, addemus h. l. viri ſummi P. BAYLE rationes, quo nec elegantiorem nec delicatiorem vidit noſtra ætas calamum. Is *Dict. T. I.* art. *Carneade*, not. *B. p.* 769. inter alia ita: *Pluſi-*

(*a*) Quatuor & viginti anni effluxerunt, ex quo *hiſtoriam criticam de ideis*, Auguſtæ Vindelicorum anno cIↄIↄccXXIII. 8. edidimus, inque ea tum veterum, imprimis Græcorum tum recentiorum philoſophorum placita enarravimus. Quamquam autem in hoc ſpeciali argumento haud perfunctorie, quantum quidem virium modulus patiebatur, fueramus verſati, virorumque philoſophicæ hiſtoriæ peritiſſimorum calculum ea tractatio meruerit; fatemur tamen, multa nos ex haud paucorum annorum lectione annotaſſe, quæ ad argumenti hujus pleniorem tractationem facere poterant. Quorum ſpecimen quinquennio poſt vulgavimus, edito *ſupplemento* quodam varia *παραλειπόμενα* & illuſtrationes complectente, quod in limine *amœnitatum literariarum* cel. SCHELHORNII, *tomo VIII.* comparet. Hoc recuſum quidem hoc loco damus, ſed & auctum novis obſervationibus, & caſtigatum emendationibus, quas tot annorum in veterum ſcriptis & philoſophia exercitata nobis ſuggeſſit lectio, quasque in annotationes conjecimus. Et animus quidem nobis dudum fuit integram tractationem refingere, & pleniorem dare; ejus vero prolixitatem meditati conſilium illud abjecimus, & quæ memorabilia nobis videbantur, *hiſtoriæ criticæ philoſophiæ* operi ſuis locis inſeruimus. Strictim itaque, qua adjicienda nobis videntur, enarrabimus, ea vero, quæ olim ſcripſimus, quæque non diſplicuiſſe viris doctis gaudemus, paucis vel illuſtrabimus vel emendabimus.

Digitized by Google

Pluſieurs blameront l'entaſſement de paſſages, que l'on vient de voir; j'ai prevu leurs dedains, leurs degouts, & leurs cenſures magiſtrales, & n'ai pas volu avoir égard. J'ai mieux aimé faire le Copiſte, pour l'utilité de ceux qui ſans ſortir de leur place ſont bien aiſés de s'eclaircir hiſtoriquement des opinions des anciens, & de voir les originaux des preuves, je veux dire, les propres termes des temoins. Voila mon principe en cent occaſions. Hæc magni & elegantiſſimi viri verbis ſemel pro noſtra quoque conſuetudine, quam in hoc ſcribendi genere utiliſſimam putamus, monuiſſe ſufficiat.

Sect. I. §. 2. not. a. p. 5.

Intelligi apud Chaldæos (*b*) per Iyngas ideas, adductis ex oraculis Zoroaſtri affictis locis probavimus. Obſcurum vero, quid Iynges, & cur ideæ ita

(*b*) Dum Chaldæos nominamus, in memoriam revocamus cautionem lectori, quam p. 8. his verbis dedimus: *modo hæc omnia Chaldæorum ſint, nec ſint multa, ſi non plurima a Platonicis ad magiſtri mentem illis ſuppoſita.* Quam eſſe juſtiſſimam, maximeque in hiſtoria philoſophiæ barbaricæ neceſſariam multoties in *hiſtor. crit. philoſ.* demonſtravimus, remque omnem in aprico poſuimus, vid. *T. I. p.* 131. *ſeqq* & imprimis *p.* 155. *ſeqq. p.* 1351. *T. II. p.* 368. 644. *ſeqq.* Quod itaque h. l. dicitur, apud Chaldæos idearum doctrinam iyngis nomine tradi, de ea Chaldaica philoſophia intelligendum eſt, quam Eclectici jactarunt, & ad quam provocarunt haud raro, vid. EVNAPIVS, in vit. *Aedeſii p.* 61. Quanquam autem ſectæ ſuæ doctrinam nimio auſu ſuppoſuere veteri Chaldaicæ diſciplinæ philoſophi nugivenduli, a vero tamen abſimile non videtur, philoſophiam orientalem, de æonibus earumque ex pleromate diſceſſu & conatu creandi mundi multa garrientem varioſque inde emanationum & ſpirituum ordines atque claſſes conſtituentem, quibus materiæ originem, & formationem mundi, mali ortum, animæque purgationem & reductionem ad fontem ſuum explicari poſſe putabat, iyngis nomen ad quandam intelligibilium emanationum claſſem deſignandam adhibuiſſe. Id imprimis ſuadet nomen ipſum, quod ſphærulam Hecaticam ſive magicam quoque indicat, qua opportune mota imbres a cœlo deduci, mala averruncari & ſimilia multa præſtari poſſe credebant. Quale inſtrumentum magicum iynx dictum Proclo in uſu fuiſſe MARINVS *in ejus vita c.* 20. *p.* 18. refert. Hanc ma-

ita dicantur? ſymbolo enim & figurata dictione, ut orientis philoſophis, & poſt eos Pythagoræ quoque & Platonicis aſſeclis ſolenne fuit, hæc quoque doctrina expreſſa eſt & adumbrata. Eſt vero Iynx avis maculoſis plumis, collo oblongo, lingua admodum protenſa, caudam pariter atque cervicem immoto corpore movens, unde motacilla aliis, aliis torquilla, & Græcis quoque σειοπύγιον dicta: meminitque ejus ARISTOT. *de nat. animant. l. II.* Celebris iſta avis in veterum incantationibus, præſertim in conſtruendis philtris adhibita, & ad provocandos amores magna vi gaudere credita, ut videre eſt apud THEOCRIT. *in Pharmaceutriis.* Meminit ejus inter magica Lævius poëta, cujus locum nobis ſervavit APVLEIVS in *Apolog. m. 209.* ed. Petr. Scriv.

Philtra omnia undiquaque eruunt,
Antiphates illud quæritur,
Trochiſci, iynges, tæniæ
Radiculæ, herbæ, ſurculi,
Aureæ ilices, bichordilæ
Hinnientium dulcedines.

ad quem locum videndus CASAVBONVS. Inde dictæ Ἴυγγες ἐρωτικαὶ apud EVSTATH. *de Iſmeniæ & Iſmenes amor. l. I.* AELIANO *l. III. hiſt. animal. c. 17.* idem ſunt, quod Hippomanes, quod incantandis & ad amorem movendis hominum animis deſtinatum medicamen fuiſſe docet VIRGILIVS *Georg. l. III. v. 281.* & alibi. Ex his non ſine veri ſpecie colligimus, ideas eapropter dictas eſſe iyngas, quod rebus omnibus producendis & per amorem uniendis deſtinatæ, rerum generationi quam per amorem

giam enim potiſſimum ex orientali diſciplina adhibuiſſe Platonicos ſequiores, ſuo loco probavimus. Qui cum hæc conſpirare cum idearum doctrina, qua nil celebrius in Eclectica ſchola fuit, crederent, cuncta ita interpretati ſunt, ut æones & emanationes philoſophiæ orientalis cum ideis Platonicis convenirent. Quam rationem adducta oraculorum loca genuiſſe eſt vero ſimillimum.

rem indicavere veteres, inſerviant & in conſpicuam formam in conſpicua materia quaſi generent & producant (*c*). Ita enim Oracula v. 99.

Καὶτ' ἀφανῆ εἰς τὴν ἐμφανῆ κοσμοποιΐαν ἐγγράφοντες.

Et latentia in manifeſtam mundi generationem inſcribentes.

Intelligi hoc loco angelos Dei amore flagrantes ſtatuit OTTO HEVRNIVS *Antiq. philoſ. barb. l. II. c. 4. p. 129.* nec abludit prorſus IO. CLERICVS V. C. in *not. ad h. l.* materiales dæmonas intelligi credens. Sed id ipſis oraculi verbis contrarium eſſe videtur, quod ipſis φύσιν νοερὰν, *naturam intellectualem*, νοερὸν τύπον ἄφθαρτον, *intellectualem typum incorruptibilem*, *v. 106. 107.* adſcribit. Sunt vero ſecundum IAMBLICH. *de Myſter. Ægypt. Sect. I. c. 20. p. 36.* edit. Oxon. dæmones συμφυεῖς πῶς καὶ ἀχώριστοι τῶν ὑφ' ἑαυτῶν διοικουμένων, *quodammodo connati, & inſeparabiles ab iis rebus, quas adminiſtrant*, id eſt, ex corporea materia, cui præſunt, aliquid trahunt, quod naturæ idearum ab oraculis deſcriptæ prorſus eſt contrarium.

Ad

(*c*) Quod ſi ſupponamus, quod not (b) a vero non prorſus abhorrere oſtendimus, iyngas in orientali philoſophia cum æonibus & emanationibus extra pleroma progreſſis conſpirare, adducta ratio plurimum roborabitur, patebitque, cur illis Platonici ſequiores ideas ſuas ſubſtituerint, quas in producendis rerum eſſentiis verſari credebant, velut cauſſas exemplares & eſſentiales. Hoc pacto autem Heurnii quoque & Clerici conjecturam cum oraculis licet conciliare; quos enim ille angelos, hic materiales dæmonas vocat, illæ emanationes ſunt ex divino pleromate progreſſæ ad condendum mundum, quod luculenter lectori conſtabit, ſi ad ea attenderit quæ *hiſt. crit. phil. T. II. p. 648. ſeq. p. 960. ſeqq. T. III. p. 290.* prolixe diſſeruimus. Quæ tamen cum non tota placerent Platonicis, ut ex PLOTINI contra Gnoſticos diſputatione *Enn. II. l. IX. c. 6. p. 204.* conſtat, ratio inde intelligi poteſt, cur ad φύσιν νοερὰν iynges Eclectici revocaverint.

Ad §. II. p. 9.

Tantum dictum de numeris Pythagoræ, cum ideis Platonis conſpirantibus, in antecedenti obſervatione, ut plura congerere, eſſet lucem accendere in meridie. Addimus h. l. ut lector habeat, quæ illico comparet cum dictis, definitionem numeri in ſchola Pythagorica eſſe τὸ πρὸ πάντων ὑφιςὰν ἐν θείῳ νῷ, ἀφ' οὗ καὶ ἐξ οὗ πάντα συντέτακται καὶ μένει τάξιν ἄλυτον συνδιηριθμημένα, *id quod in divina mente ante omnia ſubſiſtebat, a quo & ex quo omnia in ordinem ſunt deſcripta, & per ſeriem indiſſolubilem ſtant diſtincte numerata.* Sic & Hippaſi ſectatores numerum dixiſſe παράδειγμα πρῶτον κοσμοποιΐας καὶ κριτικὸν κοσμουργοῦ ὄργανον, *exemplar primum creationis mundi, & normam, ſecundum quam creator Deus judicavit de mundo:* apud NICOM. & IAMBLICHVM, *introd. p. 11.* De Epicharmi autem ſententia circa principia per ſe ſubſiſtentia ea comparanda ſunt, quæ in *hiſt. crit. phil. T. I. p. 1121. ſeq.* attulimus.

Ad §. III. p. 19.

Inter reliquas, quas fuſe explicuimus, obſcuritatis Platonis cauſſas referenda merito & hæc eſt, quod haud raro non ſua, ſed aliorum, placita profert & defendit. Id quod Platonis ſcripta legenti obſcurum eſſe non poteſt, & manifeſto exemplo ejus dialogus, Parmenides dictus, docet, in quo id imprimis evincere laborat, omnia eſſe unum, quod tamen hypotheſibus ab eo aſſumtis, immo ipſi, qualem nobis deſcriptam dedit, idearum naturæ plane eſt contrarium. Etſi enim verum eſt, quod DIOG. LAERT. *l. III. ſ. 53.* monet, εἰσὶ οἱ ξένοι οὐχ', ὥς τινες ὑπέλαβον, Πλάτων καὶ Παρμενίδης, ἀλλὰ πλάσματα εἰσὶν ἀνώνυμα. *Non ſunt peregrini, ut qui-*

quidam opinantur, Plato & Parmenides, ſed figmenta ſine nomine ſunt: negari tamen non poteſt, in dialogo iſto longe alia dogmata reperiri, quam in ceteris, id quod rectiſſime jam obſervavit IO. BAPT. CRISPVS *de Platone caute leg. diſſ. I. l. 1. p. 8.* in complurimis a Parmenide diſſenſiſſe Socratem in Sophiſta & Theæteto, unde ſobrie monitum AEGID. MENAG. *ad Laërt. l. III. ſ. 52. p. 157. ſedulo in Platonis dialogis legendis diſtinguendum, quæ Platonis quæ aliorum ſit ſententia.* (d)

§. eod. p. 22. ante not. (d.)

Quæ in hoc paragrapho ſtrictim, ut tractationis modus atque limites poſtulabant, diximus, ea ex inſtituto retractata, aucta & demonſtrata dedimus in *hiſt. crit. phil. T. I. p. II. l. I. c. 6. ſect. 1. §. 14. p. 659.* ſeqq. quæ omnino ab eo legenda ſunt, qui rectum de philoſophia Platonis judicium cupit interponere.

Ibid. p. 24.

Platonem multa, immo pleraque, metaphyſica debere Pythagoricæ ſcholæ, dudum obſervatum PORPHYRIO *de vit. Pyth. p. 36. 46. ed. Holſt.* APVLEIO *florid. c. 15. p. 359.* more autem eorum atque Socratis doctrinam ſuam diſſimulanter propoſuiſſe, pulchre monet D. AVGVSTINVS *de civ. Dei l. VIII. c. 3. Cum Plato magiſtri ſui, Socratis, quem facit in ſuis voluminibus diſputantem, notiſſimum morem diſſimulandæ ſcientiæ vel opinionis ſuæ ſer-*

(d) Neceſſario hoc tenendum eſt in Platonis & Parmenidis doctrina inter ſe comparanda, nec fidendum vel Academiæ parenti nec ſequacibus. Quod attente Platonis Parmenidea, qualia in *Parmenide* explicuit, & in compendio exhibuit STANLEIVS *hiſt. phil. p. X. p. 877.* cum genuinis Parmenideis, qualia in *hiſt. crit. phil.* deſcripſimus comparanti erit manifeſtiſſimum.

ſervare affectat ; quia & illi ipſe mos placuit , factum eſt , ut etiam ipſius Platonis de rebus magnis ſententiæ non facile perſpici poſſint.

§. eod. not. i. p. 28.

Eleganti HVETII loco de ambiguitate & incertitudine Platonis addi meretur alter non minus elegans *de la foibleſſe de l'eſprit humain l. IV. ch. 14. p. 107. Platon pére & inſtituteur de l' Academie dreſſé par* Socrate *dans l'art de douter , & ſe declarant ſon ſectateur , prit ſa maniere de traiter les matieres , & entreprit de combattre tous les philoſophes, qui l' avoient précedé. Ce n'eſt pas ſeulement dans ſes livres , qu'on appelle Gymnaſtiques , mais lors même qu'il paroit plus affirmatif , ſoit qu'il faſſe parler Socrate , ſoit qu'il en faſſe parler un autre , qu'il n'avance rien, comme veritable , mais ſeulement comme vraiſemblable, & qu'il s'attache , a ſa maxime , qu'il faut laiſſer la connoiſſance de la verité aux Dieux , & que nous devons nous contenter de la recherche de ce qui eſt probable.* Conf. tamen, quæ poſt pauca *p. 30. Hr. de ideis* ex Laërtio adduximus.

Ad pag. 29. not. k.

Accepit hæc verba Hertius a THOMA GATAKERO, ex *præloquio ad Antoninum.*

Ad p. 30.

Platonem inter Scepticos, nihil certi definientes, retulit Arceſilas , invita veritate totaque Academia veteri , quod dudum notatum CICERONI in *Lucullo c. 5. horum e numero tollendus Plato ; qui reliquit perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos & Academicos , nominibus differentes , re congruentes , a quibus Stoici ipſi verbis magis , quam ſententiis diſſentiunt.*

Re-

Recte autem viderunt veterum nonnulli apud SEXTVM EMPIRICVM *Pyrrhon. hypotyp. l. I. ſ. 221. Platonem in quibusdam dialogis dogmaticum, in quibusdam aporematicum eſſe. Nam in gymnaſticis libris, ſive exercitatoriis ſcriptis, ubi Socrates aut ludens cum aliquibus inducitur, aut pugnans adverſus ſophiſtas exercitatorium & dubitatorium quendam habere characterem, dogmaticum autem, ubi ſerio loquens ſententiam ſuam aut per Socratem, aut per Timæum, aut per aliquem ex hujusmodi viris exponit.* Quæ in ſeqq. latius enarrantur. Notum autem ex ALBINI *introd. in dialogos Platonis* & LAERTIO *l. III. ſ. 49. ſeqq.* dialogos gymnaſticos exercitii cauſſa a Platone ſcriptos, agoniſticos in re ſeria & demonſtrativa ex ejus mente occupatos eſſe. Γυμναςικὸν λῆμμα Ariſtoteles dixit διαλεκτικὸν, ἀγονιςικὸν autem ἐπιςημονικὸν καὶ ἀποδεικτικόν.

Ad pag. 35.

De contortis quorundam Platonis interpretamentis videndus etiam P. BAELIVS *Dict. Hiſt. cr. T. III. art.* Sadeur, *not. F. p. 2509.*

Ad §. IV. p. 37. ante not. n.

Quemadmodum Plato rationem ſive λόγον & ἰδέαν in Deo poſuit, hanc vero ad illum, velut exemplar ad ſubjectum ſuum, retulit, ita quid de idea in Deo in genere diſſeruerit, potiſſimum & ante omnia inquirendum eſt. Sunt enim ideæ juxta Platonem in λόγῳ qui eſt λογισμὸς τοῦ Θεοῦ ἀεὶ ὄντως in *Timæo T. III. p. 29.* Num autem ille λόγος, *mens Dei ſit per ſe ſubſiſtens, in qua vere ſunt, quæ ſunt, quæque prima, pulchra & per ſe pulchra ſunt, quoque ante ſecula ab auctore Deo emicans per ſe genita & ſibi ipſi parens fuerit, & procedat ex*

Deo nata quibus verbis Platonis mentem explicat Porphyrius apud CYRILLVM *contra Iulian l. I. p. 32.* longa diſputatio eſt atque difficilis, in hiſtoria idearum ſicco pede non prætereunda. Ejus tamen ſummam ſatis luculenter, niſi fallimur, complexi ſumus, *in hiſt. crit. phil. T. I. p. 691.* ſeqq. quæ legenda ſunt, ſi quis integram Platonis mentem de ideis diſcere cupiat. Eſt autem λόγος intellectus divinus, regio idearum, id eſt intelligibilium.

Ad pag. 46.

Ex nihilo nihil fieri tam certum atque evidens omnibus gentilium philoſophis viſum fuit, ut huic fundamento & principio totum ſyſtematum ſuorum longe abſurdiſſimorum & falſiſſimorum ædificium ſuperſtruerent. (*e*) Hinc frequens ejus paſſim mentio. Præter Epicharmum enim, de quo l. c. ex Pythagoræ ſchola OCELLVS quoque LVCANVS *de univ. c. I. §. 11.* ἀμήχανον γὰρ τὸ ὂν ἐκ τῶν μὴ ὄντων ἀποτελεῖσθαι, ἢ εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλυθῆναι, *Impoſſibile enim, ens ex non ente poſſe perfici, vel in non ens reſolvi.* Ita & aliæ ſectæ; Democrito enim apud LAERT. *l. IX. ſ. 44.* placuit: μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι, *nihil ex eo, quod non ſit, fieri, neque in id, quod haudquaquam ſit, corrumpi,* quod Democrito quoque PLVTARCH. *adv. Colot.* tribuit: aſſeclam habuit Diogenem Apolloniatem, inter cujus placita hoc refert DIOG. LAERT. *l. IX. ſ. 57.* οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι,

οὐδὲν

(*e*) Monuit jam ARISTOTELES. *phyſ. l. I. c. 8.* οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι ζητοῦντες τὴν ἀλήθειαν — φασὶν οὐδὲ γίνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν, οὐδὲ φθείρεσθαι *qui primi philoſophiæ veritatem ſcrutati ſunt, dicunt, nec produci ſimpliciter quicquam e nihilo, nec corrumpi in nihil,* & CICERO *de divin. l. II. non ergo omnium obitus atque interitus natura conficiet, & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubito occidat: quis hoc phyſicus dixit unquam?*

οὐδὲν εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι (*f*), pariter Epicurus apud EVND. *l. IX. ſ. 38.* οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἂν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον. *Nihil fuit ex eo, quod non eſt. Omne enim ex omni fieret, ſeminibus nihil indigens.* Ex hac hypotheſi utriusque, Democriti & Epicuri, de æternitate & infinitate atomorum orta eſt opinio, ut latius videre eſt apud GASSEND. in *Animad. ad l. X. Laërt.* Magiſtri ſententiam verbotenus expreſſit LVCRETIVS *l. I.*

Nullam rem e nihilo gigni nil poſſe creari
De nihilo - - -
Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
Omne genus naſci poſſet, nec ſemine egeret.

Nec ARISTOTELES aliter, qui *Phyſic.* l. *I. c. 4.* τὸ γινόμενον ἐκ τῶν μὴ ὄντων γίνεσθαι ἀδύνατον, *ex nihilo fieri id, quod factum eſt, impoſſibile.* Immo & Stoici in eandem ſententiam diſceſſerunt, ex quibus Imperator ANTONIN. *l. IV.* §. *4.* οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχεται, ὥσπερ μηδ' εἰς τὸ οὐκ ὂν ἀπέρχεται *nihil*

(*f*) Non ſolum Diogenem Apolloniatem hoc principio uſum eſſe, ſed totum ſyſtema Ionicum huic canoni inædificatum eſſe, in *hiſt. crit. phil. T. I. p. 465. ſeqq.* ex ſingulorum Ionicorum phyſiologia probavimus, & *p. 516. not. 9.* ideo Menagium notavimus, qui Diogenem a Democrito illud accepiſſe contendit; Platonem quoque illi principio adhæſiſſe, vel unius *Timæi* lectio poteſt evincere, unde errare eos, qui ſtatuunt, Platonem rerum omnium productionem ex nihilo a cauſſa infinite bona factam ſtatuiſſe, luculentis, niſi toti fallimur, argumentis & diſertis veterum teſtimoniis demonſtravimus, in *hiſt. crit. de ideis T. I. p. 677.* Non audiendi autem ſunt Platonici ſequiores ex ſchola Eclectica, qui ut propius ad veritates religionis Chriſtianæ accedere viderentur, creationem quandam ex nihilo exſculpſerunt, ſed longe alio, quam ſacra oracula produnt, ſenſu, ſalvoque canone: ex nihilo nihil fit. Nam licet ex non præexiſtente materia factum a conditore mundum aſſererent, materiam tamen non ex nihilo productam, ſed ex ſinu Dei ejectam ſtatuebant, quam re manifeſtam fecimus, *T. II. hiſt. crit. p. 426. ſeqq.* conf. ill. MOSHEM. *diſſ. de creat. ex nihilo ad calc. operis Cudvvort.*

nihil enim aut ex nihilo provenit, aut ad nihilum redit, conf. *l. V.* §. *13.* Fœcunda hæc multorum errorum apud Stoicos origo, emanaſſe ex DEO, vel potius eſſe partem DEI non animam tantum noſtram, ſed & creaturas omnes, reditura omnia in Iovem, perpetuis periodis omnia abſolvi, cunctis in priſtinum chaos redeuntibus & iterum ex eo prodeuntibus; quo ſenſu SENECA *ep. 36. Quod ſi tanta cupiditas longioris ævi te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox progreſſura ſunt, reconduntur, conſumi;* & porro: *videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere.* Immo omnem antiquitatem, cunctosque veterum phyſiologos hanc recepiſſe doctrinam, aliquot locis aſſerit ARISTOTELES & CICERO, quæ, ne nimii ſimus, vid. apud TH. GATAKERVM *ad l. c. Antonini p. m. 130.* qui quoque ſenſus eſt verborum PERSII *Satyr. III. v. 78. ſeqq.* canentis:

- - - Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, *ærumnoſique Solones,*
Obſtipo capite & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes ſomnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Quibus verbis Poëta laborioſam veterum philoſophorum induſtriam cum principio hoc ſyſtemata ſua apte connectendi ſatis acri ſale ſatyrico perfricat (*g*). Ex impuris his fontibus hauſerunt eundem errorem Cabbalæ impurioris doctores, inter quorum principia,

(*g*) Addendus his Pythagoras, cujus totum ſyſtema phyſiologicum huic principio inniti, *T. I. hiſt. crit. phil. p.* 1078. *ſeq.* planum fecimus: itemque Xenophanes; *vid. ib. p.* 1148. & Parmenides, *ib. p.* 1160. Apollonius Tyaneus, vid. *ep. LVIII. Opp. p.* 463. & *l. c. T. II. p.* 157. tum Gnoſtici, *ib. p.* 646.

cipia (*b*), hoc primum & κεφάλαιον ponit HENRIC. MORVS in *Fundam. Kabb. Aetopædomeliſſeæ*; ex nihilo nihil poſſe creari, ac proinde nec materiam creari poſſe; conf. S. Rev. BVDDEVS *Introd. in Hr. Phil. Ebr.* §. *XLIV. p. m. 326.* Et hic quoque genuinus fons eſt omnium hypotheſium, emanationem entium ſpiritualium ex Deo eorumque reductionem in Deum ſtatuentium, quam Pythagoræ quoque & Platoni recte adſcribi notavimus in Sched. *de conv. num. Pythag. cum ideis Plat.* ſupra dato.

§. IV. not. (p) p. 52.

Pulcherrimus, qui hoc ſimile illuſtrat, omnemque Platonicæ ſcholæ de ideis opinionem in aprico ponit, locus extat apud PHILONEM *de opif. mundi Opp. p. m. 3.* qui omnino legendus eſt.

§. V. not. (s) p. 65.

Inter eos, qui contendunt, Platonem ideas ab intellectu divino non ſeparaſſe, referendus quoque eſt THOM. GALE. in *not. ad Jamblich. de myſter. Aegyptior. p. 299.* qui quoque locum PROCLI hac de re affert. Videndi quoque quos laudat RAPIN.

H 5 *Opp.*

(*b*) Diſerte hoc evincere Cabbaliſtarum principia, luculentis locis demonſtratum dedimus, *hiſt. crit. phil. T. II. p. 985. ſeqq.* cauſſasque expoſuimus, cur iſta Cabbaliſtæ ſtatuerint, ſeceſſum in eo dogmate ab eccleſia Iudaica facientes, quam ex nihilo mundi creationem derivaſſe, materiamque Deo non coëxiſtentem feciſſe, multis contra doctiſſimum BEAVSOBRIVM, contrarium in *hiſt. Manichaiſmi T. II. l. 5. c. 3. p. 184.* aſſerentem, probavimus. Quo loco etiam oſtendimus, Philonem creationis quidem ex nihilo aſſertorem dici non poſſe, at referendum tamen ad Alexandrinæ ſcholæ placita ejus opinionem tradentem, Θεὸν καλέσαι οὐκ ὄντα εἰς τὸ εἶναι, ἐκ σκότους φῶς φανερώμενον, *ex non entibus Deum entia produxiſſe, cum ex tenebris lucem produceret*, oſtendimus. Quod ut librum ejus *de mundi generatione* legenti erit manifeſtiſſimum, ita recte eum ex ſui ſyſtematis hypotheſi dixiſſe conſtat, ὥσπερ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται, οὐδ᾽ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται, ἐκ τοῦ γὰρ οὐδαμῆ ὄντος ἀμήχανον ἐστι γενέσθαι τί. *Vt ex non ente nihil fit, neque in non ens corrumpitur; ex eo enim, quod nullo modo eſt, impoſſibile eſt aliquid fieri.*

Opp. T. I. p. 322. 323. Potiorem enim eruditorum partem ad recentiorum Platonicorum, non quid Plato docuerit, ſed docere debuerit, explicantium effata tantum reſpicientem, huic ſententiæ adhærere, negari non poteſt (*i*).

Ibid. ad p. 83.

Solenne ſcholæ Platonis, ſolem & lunam aſſignare animabus portas, & per ſolem aſcenſum, per lunam deſcenſum ſignificare. PORPHYR. *de antro Nymph. p. 129.* δύο ςόμια Πλάτων φησὶ, δἰ οὗ μὲν ἀναβαινόντων εἰς ὀυρανὸν, δἰ οὗ δὲ κατιόντων ἐις γὴν, καὶ τῶν θεολόγων πύλας ψυχῶν ἥλιον τιθέν-

(*i*) Elegantiſſime & erudite, ut ſolet, cauſſam eorum, qui ideas non ab intellectu divino ſeparaviſſe Platonem contendunt, ornavit, incomparabilis MOSHEMIVS, *ad CVDWORTHI ſyſt. intell. p.* 692. fatemur tamen, nondum eum has nobis partes perſuaſiſſe, cujus rationes cum fuſe & ſincere expoſuerimus in *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 698. *ſeqq.* dicta nolumus repetere, ſed, ad eum locum, ſi tanti videbitur, Lectorem remittimus. Ceterum addi his poſſunt, HADR. HEREBORD. *melet. philoſ. Vol II. diſſ.* 31. *p.* 291. CHR. IAVELLVS, *ethic. Platon. tr.* 7. *c. Cult.* AVDOM. TALAEVS *in l. I. ethic. Nicomach.* CAMPANE. *metaph. p. III. l.* 13. aliique, quos omnes recentiorum Platonicorum auctoritas ſeduxit, qui *entia ipſa intelligenti ineſſe, actum vero & intelligentiam ipſis accedere, itaque natura ens ipſum atque intellectum unum eſſe, veruntamen a nobis talia partientibus alia illic ante alia cogitari* cum PLOTINO *En. V. l. IX. c.* 8. *p.* 561. aſſerebant. Qui tamen cum Platonem ſecuti Deos intelligibiles, intellectuales, henades, noës, ſimilesque ponerent, dicere non potuerunt, quomodo in intellectu divino tantum exiſterent, qui unum collectivum non admittit. Quamvis enim commoda explicatione eos ſalvari poſſe contendat ingenioſiſſimus *ſyſtematis intellectualis* commentator, *ad c. IV. §.* 36. *p.* 651. non fieri tamen ita ſatis eorum philoſophumenis in *hiſt. crit. T. II. p.* 402. *ſeq.* demonſtravimus, ad quem locum brevitatis cauſſa provocamus. Ceterum totam idearum doctrinam ex mente Platonicorum recentiorum, ſive ſcholæ Alexandrinæ, quæ in hiſtoria de ideis locum poſtulat, cum citato loco, Plotinum ducem ſequuti, expoſuerimus, inde, quæ huic tractationi ea in re deſunt, ſuppleri poſſunt, hic, ne prolixi ſimus, non exſcribenda.

τιθέντων καὶ σελήνην, καὶ διὰ μὲν ἡλίου, ἀνίεναι, διά τε σελήνης κατίεναι. *Plato duo oſtia ſive fauces commemorat, quarum altera patet aſcendentibus in cælum, altera deſçendentibus in terram; ſic & theologi ſolem ac lunam animarum portas ſtatuunt: quas per ſolem aſcendere, & deſcendere per lunam volunt.* Quomodo autem animæ deſcendant, ex Platonicorum mente delineavimus in *hiſt. crit. phil. T. II. p. 415.*

§. VI. not. *x*. p. 96.

Animas ex DEO eſſe non obſcuris Platonis effatis probavimus (*k*). Succinunt magiſtro aſſeclæ, ex

(*k*) Diligenter & accurate mens Platonis de origine animarum tenenda eſt; ne vel cum Stoicis placitis, vel cum Eclecticorum ſomniis confundatur. Et Platonem quidem ipſum incerta & inconſtanti ratione de anima tradidiſſe, vel una *Timæi, Philebi, & libri decimi de legibus* lectio abunde teſtatur, unde non magnopere miramur, viris doctiſſimis, veteriſque philoſophiæ apprime gnaris, in definienda Platonis pſychologia aquam hæſiſſe. Oſtendimus autem *T. I. hiſt. crit. phil. p. 713. ſeqq.* clariſſimis teſtimoniis, rationibusque ex intimis phyſiologiæ Platonicæ receſſibus petitis, viſum eſſe Platoni I. & mentem hominis nobiliori ſui parte non tantum a Deo ipſo conditam, ſed ex Deo eſſe; ideoque vi ſyſtematis emanativi animam γεννητὴν τοῦ παντὸς αἰτίας, dixiſſe & illi συγγένειάν τινα θείαν tribuiſſe. II. Hoc autem non ſenſu Platonicorum Alexandrinorum accipiendum eſſe, qui excogitata contra mentem Platonis anima mundi ſupramundana, mentis humanæ originem ad ipſam eſſentiam divinam mediante illa anima retulerunt, ipſum enim Platonem, in *Timæo*, magnæ inter Deum & animam differentiæ & gradus mentionem facere, exque temperatura ſuperiori decerptam dicere, id eſt, ex anima mundi, ex dividuo & individuo in cratere a Demiurgo commixta, & hinc deterioris gradus & conditionis, quam fons eſt eſſentiarum facere; quam ejus opinionem de animarum origine l. c. luculenter, quod ſperamus, expoſuimus. Ex quibus ſequitur, eſſe in anima quoque aliquid non ex eodem, id eſt, divinæ originis, ſed a diverſo, id eſt materia repugnante, ideoque CHALCIDIO *in Tim.* §. 51. 298. dici animam *ex omnibus initiis conflatam*, ipſique Platoni plures una anima in homine ponere placuiſſe, ipſam & de animæ ὀχήματι doctrinam inde originem accepiſſe. Quæ ad emendanda ea, quæ h. l. non ſatis accurate diſtincta ſunt, & in quibus nobis præiverat IAC. THOMASIVS *de exuſt. mundi* Stoica *diſſ. XXI. p.* 150. omnino monenda fuerunt.

ex quibus præcipue laudavimus Hieroclem; cui addendus merito IAMBLICHVS *de myſt. Ægypt. Sect. VII. c. 6. p. 162.* Ed. Oxon. cujus certe locus, cum luculentus admodum ſit, & Pythagorica cum Platonicis in hoc argumento eadem prorſus ſint, omnino notari meretur. Ita vero diſerte: Δύο ἔχει Ψυχὰς, ὡς ταυτά φησι τὰ γράμματα, ὁ ἄνθρωπος. Καὶ ἡ μὲν ἐστι ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ μετέχουσα, καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως, ἡ δὲ ἐνδιδομένη ἐκ τῆς τῶν οὐρανιῶν περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ Ψυχή. *Homo duas habet animas, quod ipſa ſcripta* (Mercurii) *oſtendunt, una eſt a primo intelligibili, participat etiam a potentia opificis, altera vero nobis inditur ex circuitu cæleſtium* (mundorum) *ad quem anima DEum ſpeculatura revertitur;* ita enim vertit GALEVS, qui tamen in *not. ad h. l. p. 307.* vocem θεοπτικὴ Ψυχὴ aliter, & noſtro quidem judicio, melius explicat, quod ſit *illa prior, quæ inſinuatur in hanc inferiorem, & in ea quaſi nidulatur.* Vbi STOBAEI quoque, quæ in medium affert, loca expendi merentur. Paria fere habet IAMBLICHVS *Sect. I. c. 3. p. 4. ſeqq.* Ex his lucem accipiunt, quæ alibi, *de vita Pythagor. c. XVI. §. 70. p. 58.* edit. Kuſter. dixit: ἀπὸ τούτων ἁπάντων δαιμονίως ἰᾶτο καὶ ἀπεκάθαιρε τὴν Ψυχὴν καὶ ἀνεζωπόρει τὰ θεῖον ἐν αὐτῇ καὶ ἀπέσωζε καὶ περιῆγεν ἐπὶ τὸ νοητὸν τὸ θεῖον ὄμμα, Κρεῖττον ὂν σωθῆναι κατὰ τὸν Πλάτωνα, μυρίων σαρκικῶν ὀμμάτων, quæ luculenter ita vertit OBRECHTVS: *quibus omnibus* (ignorantia & affectibus) *animam divinis modis repurgatam ſanabat, & cæleſtem ejus particulam reſocillabat, ſalvamque ad conſequendum intellectu divinum oculum infinitis oculis corporeis, ut Plato ait, nobiliorem reducebat.* Hic fons ut errorum multorum, ita & potiorum de mentis & animæ humanæ natura partibusque hypotheſium, quæ multis quoque

que ex Patribus placuerunt, quasque in dogmatibus de loco animæ, inferni, ſpirituum, etc. perſpicere licet, & de quibus notanda plurima affert ROB. PARKERVS in libro rariſſimo *de deſcenſu Chriſti ad inferos l. II.* §. 78. *ſeqq. p.* 128. *ſeqq.* quem, ubi occaſio tulerit, conſuluiſſe, certe pœnitebit neminem.

Pag. 103.

DEum in cratere animas miſcuiſſe, locum Platonis attulimus, addita obſervatione IAC. THOMASII, veroſimiliter per craterem intelligi mundi animam. Incidimus interea in locum quendam PORPHYRII in libello *de antro nympharum apud Homerum*, quem LVCAS HOLSTENIVS ejus *vitæ Pythag.* adjecit *p.* 117. *ſeqq.* qui, etſi longiuſculus eſt, notari tamen eo magis meretur, quo certius inde argumentum ſumimus, non Platonem tantum, ſed & veteres gentilium theologos pleroſque ſub craterum & amphorarum ſymbolo animarum ex anima mundi originem adumbraſſe. Inter alia, poſtquam varia generationis mundanæ ſymbola expoſuerat, addit: οἰκεῖον σύμβολον καὶ νύμφαις ὑδριάσι παρατίθεται, εἰς τό ἄσηπτον τῶν ὑδάτων, ὧν ἐπιστατοῦσι, καὶ τὴν κάθαρσιν αὐτῶν, καὶ τὴν εἰς γένεσιν συνεργίαν· συνεργεῖ γὰρ γενέσει τὸ ὕδωρ, διὸ καὶ ἐν τοῖς κρατῆρσι καὶ ἀμφορεῦσι τιθαιβώσσουσι μέλισσαι· τῶν μὲν κρατήρων σύμβολον τῶν πηγῶν φερόντων. Καθῶς παρὰ τῷ Μίθρα ὁ Κρατὴρ ἀντὶ τῆς πηγῆς τέτακται· τῶν δ᾽ ἀμφορέων, ἐν οἷς τὰ τῶν πηγῶν ἀρυόμεθα· πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νύμφαις, καὶ ἔτιγε μᾶλλον νυμφαῖς ταῖς Ψυχαῖς, κ. τ. γ. *Proprium ſymbolum nymphis aquaticis conſtituitur, ob immunem a putredine aquarum naturam, quibus præſunt, atque earundem vim purgatricem & cooperationem ad generationem: concurrit enim aqua ad generationem, atque hanc ob cauſſam in crateribus & am-*

amphoris mellificant apes, cum crateres fontium ſymbolum gerant, quemadmodum juxta Mithram crater pro fonte ponitur, amphoræ vero vaſorum, quibus ex fontibus haurimus, fontes autem & rivuli nymphis aquaticis proprii, & præcipue nymphis, animabus ſcilicet. Quo in loco cave generationem corporalem intelligas, ſed deſcenſum animarum ex anima mundi, in quam rediture ſint, ut pag. ſeq. diſerte tradit. conf. p. 130. ubi iterum de Platone aſſerit: eum per dolia & crateres & portas τὰς τῶν φυλῶν γενέσεις καὶ ἀπογενέσεις *animarum generationes* (ex anima mundi) & *deceſſus* (in eam) *intellexiſſe.* Nititur itaque veterum Platonicorum interpretatione allata l. c. conjectura.

§. VI. not. y. p. 111.

Qua ratione Plato intelligibilia cum ſpeciebus ſive notionibus univerſalibus & communibus intellectus humani conjunxerit, hasque ab iis derivaverit, diſci poteſt, ex ejus *Parmenide*, huic enim philoſopho nugas ſuas ſuppoſuit. Summam difficilis dialogi dabit STANLEIVS *hiſt. phil. p. X. p. 877.* & poſt eum *hiſtoria crit. philoſ. T. I. p. 1165.* Facile autem omnis ea harmonia intelligi poteſt, ſi obſervetur, Platoni aliam eſſe intellectionem animæ, antequam demiſſa eſt in corpus, & qua intelligibilia intueatur; aliam animæ in corpus demerſæ, ex qua ideæ oriuntur, quæ notitiam generalem gignunt, vid. *Timæus, T. III. p. 30.* Cum enim, quod in *Phædone T. I. p. 75.* multis contendit, anima univerſalium iſtorum notitiam jam habuerit, nil aliud in corpus demerſæ officium erit, quam ut reminiſcentiæ opera notiones illas generales animis ab intelligibilibus ſ. ideis impreſſas, reſuſcitet, gignatque hoc modo ſcientiam. Quod ubi recte diſtinguitur, pleraque, in quibus confuſas opiniones viri etiam doctiſſimi ſecuti ſunt, in concordiam poſſunt redigi, & inter ſe diſcerni. De modo autem, quo circa has notiones

ex

ex intelligibilibus hauſtas verſatur intellectus, more ſuo diſputat PLATO de *rep. l. IX. T. II. p. 586.* qui locus cum his comparandus.

§. VIII. p. 128.

Non corporum ſolum naturam, quod Platoni quoque placuit, ſed & τὰ τῆς ψυχῆς fluminis inſtar ſe habere, & in perpetua mutatione verſari Heracliti ſententia fuit, cujus auctorem laudat Numenium EVSEBIVS *de præpar. Evang. l. XV. c. 20.* βουλόμενος ἐμφαντίσαι, ὅτι αἱ ψυχαὶ ἀναθυμιώμεναι νοεραὶ ἀεὶ γίνονται, εἴκασεν αὐτὰς τοῖς ποταμοῖς λέγων οὕτως. Ποταμοῖσι τοῖσι αὐτοῖσιν ἐμβαίνουσιν ἕτερα καὶ ἕτερα ὕδατα ἐπιῤῥεῖ· καὶ ψυχαὶ δὲ ὑπὸ τῶν ὑγρῶν ἀναθυμιῶνται. *Cum exhalantes animos ſpirituales ſemper effici demonſtrare vellet, eos cum fluviis comparabat, his verbis utens: in fluvios, inquiebat, licet iidem usque decurrant, aliæ tamen atque aliæ illabuntur aquæ. Et vero animæ efflantur ex humidis.* Non mirabimur vero, Heraclitum animæ quoque iſtam mutabilitatem adſcripſiſſe; non enim poterat aliter, poſtquam pro primo principio admiſerat, γίνεσθαι πάντα κατ' ἐναντιότητα, καὶ ῥεῖν τὰ ὅλα ποταμοῦ δίκην, *fieri omnia per contrarietatem, & fluminis in morem univerſa decurrere*, ut habet LAERT. *l. IX. ſ.* 8. contraria vero illa ex materia oriuntur & particularum diſpoſitione ut l. c. monuimus, pluribusque expoſuit B. OLEARIVS *loco a nobis citato*, unde & anima ex humido enata naturæque mutabilis particeps facta in perpetuo fluxu eſſe illi dicta eſt. Recte itaque SIMPLICIVS *ad illa ARISTOT. Phyſ. l. VII.* φασί τινες, κινεῖσθαι τὰ πάντα, καὶ ἀεὶ, ἀλλὰ λανθάνειν τοῦτο τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν, *dicunt quidam, moveri omnia, & quidem ſemper, ſed id noſtrum fugere ſenſum*, Heracliteis hanc ſententiam tribuit & *l. I. de anima*, expreſſis verbis de Hera-

Heraclito ait : Καὶ Ἡράκλειτος τὴν ἀρχὴν εἶναί φησι τὴν ψυχὴν, εἴπερ τὴν ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τ'ἄλλα συνίστησι καί γὰρ ἀσωμάτοτον δὴ καὶ ῥέον ἀεὶ, τὸ δὲ κινώμενον κινωμένῳ γινώσκεσθαι ἐν κινήσει δὲ εἶναι τὰ ὄντα κἀκεῖνος ᾤετο, καὶ οἱ πολλοί. *Heraclitus quoque principium eſſe dixit animam, ſive exhalationem, ex qua reliqua conſiſtunt : nam & corporis expers, & perpetuo fluxui obnoxia ; motum vero movente cognoſci, in motu vero eſſe entia omnia, non ille tantum, ſed & multi alii ſtatuerunt.* Quare & PLVTARCH. *loco a nobis excitato* ex ejus mente κίνησιν ἀΐδιον ἐν τοῖς ἀϊδίοις *motum æternum in æternis* tribuit, quæ omnino de anima debent intelligi. Ex dictis lucem capiunt illa PORPHYR. *de antro nymph. p. 111. ſeqq.* qui de Heraclito : ψυχῆσι φάναι τέρψιν μὴ θάνατον ὑγρῆσι γένεσθαι, τέρψιν δὲ εἶναι αὐταῖς τὴν εἰς τὴν γένεσιν πτῶσιν, *animabus videri oblectamentum, non mortem, cum humidæ naſcantur, oblectamentum vero iis eſſe, quod in generationem cadant.* Quæ quoque ſententia non Stoicis tantum placuit, ut ex SENECA probavimus, cui addendi PLVTARCH. *de comm. not. c. 39.* & ANTONIN. *de ſe ipſo l. II. ſ. 17. l. V. ſ. 35.* ſed & Epicureis, quorum ex LVCRETIO ſententiam affert TOM. GATAKER. *ad Antonin. l. II. ſ. 17. p. m. 76.* ad quem brevitatis cauſſa lectorem remittimus (*l*).

Pag.

(*l*) Quæ h. l. de ſyſtemate Heracliti, philoſophis obſcuritate ſua celebris in compendio diximus, & paulo difficiliora videri queunt, illis claram lucem accendimus in *hiſt crit. phil. T. I p.* 1213 *ſeqq.* Vbi etiam *p.* 1221. obſervavimus, adductis veterum teſtimoniis, animam ex Heracliti mente ab ipſo ille igne univerſali & divino, qui in perpetuo motu eſt, & qui exhalatione ſua animam mundi perficit, non niſi ut partem a toto diſtare. Et in eadem quidem hæreſi fuiſſe quoque ſcholam Hippocraticam nemo facile negaverit, qui vel unum *de principiis* librum legerit. Quod ſi Heraclitéo ſenſu ea admitti debent, ut non aliam & ſimpliciorem interpretationis rationem deprehendimus, & veteribus

viſum

Digitized by Google

Pag. 134.

Inter veteres, qui conſenſum Platonis cum Ariſtotele defenderunt, ipſe referendus CICERO, ſyncretiſmi philoſophici, ſi quis unquam, patronus; varios enim loquentes de hac re introducit, & quidem Varronem, *Acad. Qq. l. I. Nihil inter Peripateticos & illam veterem Academiam differebat, Academici & Peripatetici rebus congruentes nominibus differebant*, conf. *de finib. l. V. §. 12. 16.* & *l. IV. Qq.* 40. ultra progreditur, ait enim Lucullus: *Plato reliquit perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos & Academicos nominibus differentes, re congruentes, a quibus Stoici ipſi verbis magis quam ſententiis diſſenſerunt.* Præcipue vero Porphyrii ætate frequens ea fuit ſententia, conſpirare re ipſa Platonis & Ariſtotelis philoſophiam, unde Porphyrio liber l. c. laudatus enatus eſt, *quod ſecta Platonis & Ariſtotelis eadem ſit*, de quo poſt HOLSTEN. *de vita Porphyr. c. VII. p. m. 62. ſeq.* ed. Rom. videndi IO. IONSIVS *de Script. hiſtor. philoſ. l. III. c. 15. p. m. 288. ſeqq.* & Vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS. *Bibl. Gr. l. IV. c. 27. p. 189.* Qua in ſententia ipſum Porphyrium fuiſſe, vel inde manifeſtum eſt, quod non Platonicam tantum ſed & Peripateticam philoſophiam coluerit, & ſibi invicem junxerit, quo ſenſu PROCLVS *l. I. in Timæum p. 18.* dixit, Porphyrium *περιπατητικὰς ἀποδόσεις παρεισφέροντα λύειν τὰς Πλατωνικὰς ἀπορίας*,

viſum eſt, fatemur, nos comprehendere hactenus non potuiſſe, quod nuper magnis quibusdam viris, veterisque ſapientiæ interpretibus feliciſſimis viſum eſt, ψυχὰς Hippocratis cum animalculis ſeminalibus Levvenhœckii amice conſpirare. Quamvis enim ingenioſe ad recentiſſimam opinionem, (quæ tamen nondum omnibus ſe naturæ ſcrutatoribus commendavit) Hippocratea placita accommodaverint, una tamen natura animæ fluxa, perpetuo mutabilis, exhalans, & in aliud ſe ſingulis momentis rapidiſſimo caloris curſu mutans, cum natura animæ in animalculo ſeminali latente, quod ex ſimplicium ſubſtantiarum numero eſt, conciliari non niſi per apertam vim poteſt.

ρίας, *Peripateticas definitiones & decreta adjungendo, ſolvere Platonicas dubitationes*, recteque addit. HOLSTEN. *l. c.* pleroſque poſteriores philoſophos cœpiſſe Porphyrii exemplo ἐπαμφοτερίζειν, & Academiam cum Lyceo conjungere, exploſa priorum Academicorum ſuperſtitione, qui unum Platonem nimis religioſe ſectabantur, atque ejus dogmata adeo ab Ariſtotelicis differre exiſtimabant, ut nulla ratione conciliare poſſent. Non itaque Eclecticam philoſophandi rationem tenuit Porphyrius, quod quam maxime probare contendit HOLSTENIVS *l. c. c. 5. p. 36.* ſed ſyncretiſticam, quemadmodum nec Ammonius primus fuit, ut ille putat, qui, ut Hierocles ait, *duos illos Principes philoſophorum* ἐν τοῖς ἐπικαίροις καὶ ἀναγκαιοτάτοις τῶν δογμάτων, *in primariis & maxime neceſſariis dogmatibus minime diſſentire* oſtendit; Ciceronis enim ætate apud multos jam obtinuiſſe iſtam ſententiam adductis modo ejus locis probavimus, qua in re magiſtrum habuere Antiochum Academicum, conf. IO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. III. c. 1. p. 37.* & inde quoque non abſurde colligimus, quod & Taurus Berytius teſte SVIDA ſcripſit περὶ τῆς τῶν δογμάτων διαφορᾶς Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους *de differentia dogmatum Platonis & Ariſtotelis*, & Atticus Platonicus teſte EVSEBIO *l. XV. Præpar. Evang. contra Ariſtotelem a Moſe & Platone diſſentientem;* ſine dubio contrariam, quæ quibusdam inſederat, ſententiam de convenientia Ariſtotelis cum Platone refutaturi. Negandum tamen non eſt, ab eo tempore, quo Ammonius Alexandrinæ ſcholæ præfuit, miſſis inanibus & Platonicorum & Ariſtotelicorum diſputationibus & verboſis contentionibus in ſyncretiſmum Platonico-Peripateticum inclinaſſe omnem fere philoſophorum gentem, præcipue Herennium, Origenem, Plotinum, quos ſecuti ſunt Porphyrius, Iamblichus, Hierocles, & hos iterum alii. Aliquorum nimio tamen ſtudio ad difficiles nugas iterum deven-

deventum eſt, ut erudite laudatus HOLSTENIVS *l. c.* obſervat: conf. B. BVDDEVS *obſ. Hal. Lat. T. III. obſ.* 13. & in opere πολυμαθεστάτῳ *Iſagog. Hiſt. Theol. l. I. c.* 4. *ſſ.* 22. *p.* 226. 233. BOIVINI hoc de argumento diſſertationem, in *commentariis Academiæ regiæ Inſcript. T. IV. p.* 481. *ſeqq.* extantem Germanica veſte induit & doctiſſimis obſervationbus auxit Cel. HEVMANNVS, cujus locum l. c. jam excitavimus (*m*).

Ad §. X. p. 154.

Stoicis ideas Platonis, & æternas ejusmodi ſubſtantias atque formas non placuiſſe, nemo mirabitur, qui expenderit, ipſos in Heracliti caſtris militaſſe, quando de eſſentia & natura rerum diſſerendum erat. Supra enim jam obſervavimus, & adductis Senecæ verbis laudatoque Plutarcho & Antonino probavimus, eos docuiſſe, rerum naturam eſſe inſtar fluvii cujusdam, qui in perpetuo ſit fluxu. Addimus iis propter ſingularem perſpicuitatem ANTONINI locum *de ſe ipſo l. V. ſſ.* 3. Πολλάκις ἐνθυμοῦ τὸ τάχος τῆς παραφορᾶς καὶ ὑπεξαγνωῆς, τῶν ὄντων τε καὶ γινομένων· ἥτε γάρ ὀυσία ὅιον ποταμὸς ἐν δ'ιηνεκεῖ ῥύσει καὶ ἀι ἐνέργειαι ἐνσονεχέσι μεταβολαῖς, καὶ τὰ ἄιτια

I 2 ἐν

(*m*) Vt Platonis philoſophia ob pulchras de Deo & divinis ſententias miro ſemper plauſu excepta fuit, ita multoties etiam in concordiam ire cum aliorum philoſophorum placitis coacta eſt, de quo ſyncretiſmo Platonico diligenter locis ſuis diſſeruimus, in *hiſtoria critica philoſophiæ*; & quidem *T. I. p.* 667. ſyncretiſmi Platonicæ philoſophiæ noxii ſpecimen dedimus *p.* 775. Antiochi, quintæ Academiæ conditoris, conatus ſyncretiſticos inter Academiam, Lyceum & Stoam enarravimus, *p.* 903. *ſeq.* quid Zeno ſurripere auſus ſit, prodidimus, *p.* 354. *ſeq.* quod fatum ille ſyncretiſmus Platonicus in Ægypto paſſus ſit, expoſuimus; maxime vero *T. II. p.* 361. *ſeqq.* inſignes mutationes, quas ſapientia Platonica ab Eclecticorum ſyncretiſmo paſſa eſt, fuſe enarravimus, & ubique ad memorabile hoc philoſophiæ, quod de ſyncretiſmo agit, caput, attendimus, quæ hic digito tetigiſſe ſufficiat, ut qui dicta h. l. legunt, curatiorem explicationem quærere valeant.

ἐν μυρίαις τροφαῖς καὶ σχεδὸν οὐδὲν ἑστὸς καὶ τὸ παρεγγύς. *Sæpe cogita, quanta cum celeritate abripiantur & ſubtrahantur, quæ ſunt, fiuntque univerſa, eſt enim rerum natura inſtar fluvii cujusdam, qui in jugi ſit fluxu: effectiones vero mutationibus continuis & cauſſæ ipſæ innumeris converſionibus ſubjacent, nec quod conſiſtat, fere quicquam eſt.* Paria ubique apud ANTONINVM occurrunt. *l. II. ſ. 17. l. VI. ſ. 15 l. VII. ſ. 25.* quæ ad animam quoque pertinent, quam fumum eſſe dixit & ſomnium *l. II. ſ.* 17 quia anima quoque Stoicis mortalis eſt, atque perit, ut erudite probavit JACOBVS THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica diſſ. XV. p. 227. ſeqq.* hinc ſubſtantiis quoque æternis & permanentibus, quales ideas finxit Plato, locum facere non poterant (*n*).

Ad pag. 156.

Recte ad h. l. obſervarunt *Bibliothecæ Germanicæ* auctores doctiſſimi *Tom. VIII. art. 12. p. 242.* Stoicorum ſententiam affinem videri Peripateticorum doctrinæ de ſpeciebus ex corporibus emanantibus, quam nos quoque in *Hiſt. de Ideis Sect. III. p. 242.* retulimus. Non enim restantum ipſa, quam prope acceſſerint ſibi invicem, clamat, ſed & diſertis verbis tradit BOETHIVS *de conſol. philoſ. l. V. p. m. 233. ſeqq. metro* 3. ubi ita:

Quondam porticus attulit
Obſcuros nimium ſenes,
Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis

Cre-

(*n*) Omnis Stoicorum doctrina, quatenus ad ideas mentis refertur, (meta phyſica enim illa entia rejecerunt) ad duo capita de viſis & ſenſu refertur, vid. LAERT. *l. VI. ſ.* 41. *ſeq.* CICERO *Acad. Qq. l. I. c.* 11. SEXTVS EMPIRICVS *adv. math.* *paſſim, vid. l. VII. ſ.* 29. 163. 228. PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. IV. c.* 12. Quæ omnia enarrari in hiſtoria philoſophica de ideis poſſunt, ut inde diſcatur, quantum a Platonis ideis receſſerint, Potiora in *hiſt. crit. philoſ. T. I. p.* 912. *ſeqq.* diximus.

Credant mentibus imprimi,
Vt quondam celeri ſtylo
Mos eſt æquare paginæ,
Quæ nullas habuit notas
Preſſas figere literas.

Affinitatem cum hac theſi habent, quas Democritus finxit, imagines, quam ineſſe dixit univerſitati rerum, de quibus CICERONIS locum *p.* 268. attulimus. Sic & Epicureos in hunc modum fuiſſe philoſophatos ex LVCRETII. *l. IV.* addiſcere licet.

§. XIII. p. 170. ſeq.

Ex quo ad philoſophiæ Græcanicæ ſtudium a civilium rerum uſu paulatim revocarunt ingenia Romani, & præſtantiſſimi viri iſtiusmodi ſtudiis delectari cœperunt, nihil magis arriſit, & familiare magnis quoque ingeniis fuit, quam Sceptica philoſophandi ratio. Primus vero, qui Scepticum philoſophandi modum Italiæ intulit, Romæque profeſſus eſt, fuit Carneades, novæ Academiæ conditor, qui cum ab Athenienſibus una cum Stoico Diogene, & Peripatetico Critolao legatus Romam miſſus eſſet, ad remiſſionem mulctæ, a Romanis dictæ, impetrandam, primus publicis in concionibus pridie juſtitiam laudavit, poſtridie ſuſtulit, magnamque conſecutus eſt famam, multosque ſectatores, adverſarium vero habuit Catonem Cenſorium, iſta quidem ratione maſculam Romanorum virtutem effeminari timentem, vid. PLVTARCH. *in Cat. p. 349.* GELLIVS *Noct. Att. l. VII. c. 14.* MACROB. *Saturn. l. I. c. 5.* AELIAN. *Var. Hiſt. l. III. c. 17.* Poſteum Philo Lariſſæus, Clitomachi diſcipulus, cum ob bellum Mithridatis Athenis Romam confugeret, ibi Scepticam philoſophandi rationem profeſſus eſt, & multa in admiratione fuit; vid. PLVT. *in Cic.* CICERO ab eo prima philoſophiæ rudimenta hauſit, vid. *de Nat. Deor. l. I. c. 3.* poſtea Athenas delatus per ſemeſtre veteris Academiæ placitis imbutus eſt ab Antiocho, ejus eloquentia & volubilitate linguæ captus, vid.

PLVT. *l. c.* unde eum quoque acutiſſimum & politiſſimum ſuæ memoriæ philoſophum pronunciat *Acad. Qq l. IV. c. 35.* Sed poſtea tamen, uſu & tempore meliori edoctus, Philonis partes elegit, ut ex Academicis Quæſtionibus eſt manifeſtum. Conf. PETR. DAN. HVETIVS *de la foibleſſe de l'Eſprit humain l. I. ch. 14. ſſ. 20. ſeqq. p. 112. 117. ſeqq.* qui hæc fuſius enarrat, & de fatis philoſophiæ Scepticæ apud Romanos plura doctiſſime cumulat: add. GEORG. HORNIVS *Hiſt. phil. l. IV. c. 3. p. 237. ſeqq.* Et ad hanc ſectam referre quoque licet Varronem, Virum πολυμαθέστατον, de quo vid. LACT. *l. I. c. 6.* QVINCTILIAN. *Inſtit. l. X. c. 11. l. I. c. 4.* Piſonem, Lucullum, Brutum, celeberrimos in Ciceronis dialogis viros. Horatium Eclecticum fuiſſe, & ipſa ejus verba a nobis adducta probant, & fuſius demonſtrat HEINSIVS *de Satyr. Horat. l. II.* ubi late de philoſophia Horatii diſſerit. LVCRETIVS vero primus fuit, qui, ſi non omnem, certe Epicuream philoſophiam patrio ſermone excoluit, ait enim:

Denique natura hæc rerum ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum in patrias qui poſſim vertere voces.

Conf. LACTANT. *l. III. c. 16.* M. P. Catonem Stoicum fuiſſe IDEM *l. III. c. 18.* confirmat, & tota, quam ſequebatur, ſentiendi & vivendi ratio prodit, quam eleganter verſibus ita complexus eſt LVCANVS *l. II.*

- - *Hi mores, hæc duri immota Catonis*
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulæ, viciſſe famem, magnique penates
Submoviſſe hyemem tecto, pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: Venerisque huic maximus Uſus,
Pro-

Progenies; urbi pater eſt, urbique maritus,
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti,
In commune bonus, nulloſque Catonis in actus
Subrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Nihil hic dictum, quod non in Stoicum quadrat, jactaveratque de ſe Porticus, nimium ſibi ſemper placens (*o*).

Ad Sect. II. §. I. p. 175.

Non prætereundi hic in totum erant Iudæi Cabbaliſtæ, qui ut ex gentili philoſophia ſua prata irrigaverunt, ita haud pauca quoque de ideis transtulerunt in ſyſtema ſuum Sephirothicum. Quod ne hoc loco demonſtrare neceſſe ſit, otia jam nobis faciunt ea, quæ fuſe de iſto argumento omnique illo ſyſtemate diſſeruimus *hiſt. crit. philoſ. T. II. p. 985. ſeqq.* a quibus quo minus diſceſſum faciamus, allatæ nos eo loco rationes commovent, ſine quibus interpretes Cabbaliſtarum viri doctiſſimi, ut ſine face in tenebris viatores, palpant, quamvis ſint, quibus hæc minus ad Iudæorum mentem dicta eſſe videantur. Qui donec explicationem afferant φιλοσοφικωτέρην, nos noſtro ſenſu abundare æqui patiantur. Aliud enim eſt hiſtoriam traditionum Iudaicarum ſcribere, aliud hiſtoriam dare philoſophiæ Iudaicæ criticam. Iucundum autem erit, imprimis Alexandrinæ philoſophiæ placita de ideis cum luminibus Sephirothicis comparare, & quo pacto delirare in uno argumento diverſis modis poſſit ingenium humanum, ſi nugari coeperit, cognoſcere. Ceterum longe plura in ſe complecti ſephiras Cabbaliſticas, quam ſolas

(*o*) Quæ hic paucis & in brevi quodam compendio de philoſophiæ Græcanicæ fatis apud Romanos diximus, & ſummis, quod ajunt, digitis tetigimus, ea ex inſtituto poſtea prolixa enarratione expoſuimus, omneſque philoſophiæ apud Romanos periodos deſcripſimus *T. II. hiſt. crit. phil. P. I. l. I. c. I. ſeqq.* ad quæ recurrendum illis eſt, qui accuratam hujus rei notitiam cupiunt, quæ ὡς ἐν παρόδῳ demum locum in idearum hiſtoria habuit.

ideas Platonis non negamus. Verum utræque tamen ex infinito Deitatis fonte emanarunt, & non formam tantum, ſed eſſentiam quoque rebus largiuntur, cunctaque ad utriusque generis entia emanativa tandem referuntur. Quod facile intelligent, qui norunt, quod *l. c. p. 1006.* pluribus evicimus, ſyſtema Sephirothicum Cabbaliſtarum eſſe metaphyſicum & phyſicum, naturis divinis, virtutibusque atque formis divinis conſtituentibus nixum, quod evolutionem eſſentiæ divinæ per innumeros gradus, formas, ideas, virtutes, emanationes usque ad materialem mundum exhibeat. Plura locus non capit, & ex conſideratione eorum, quæ *l. c.* tractata ſunt, facile poſſunt hauriri. Platonem autem hæc didiciſſe a Iudæis, quod vult IO. MAYERVS diſſ. *de myſter. Trinit.* ex ſcriptis Iudæorum nemini perſuadebitur, niſi Iudæo Apellæ.

Ad §. I. p. 179.

Totam de Platoniſmo PP. quæſtionem ex inſtituto cum enuleaverimus, & ad Balti objectiones fuſe reſponderimus *T. III. hiſt. crit. phil. p. 338. ſeqq. 343. ſeqq.* lectorem, ejus pace, ad illa loca remittimus.

Ad §. 2. p. 184.

Cum Philo Iudæus fuerit, nec Chriſto nomen addixerit unquam, ejus de ideis ſententiam inter Chriſtianorum placita enarrare noluimus. Etſi enim PHOTIVS *Cod. CV.* refert, eum Chriſtianæ fidei nomen dediſſe, poſtea vero indignatione & tædio ad ſuos rediiſſe, ſilent tamen veteres omnes, nec ullo alio probari poteſt argumento. Immo nec iis quoque calculum adjiciendum putamus, qui perſuaſum ſibi habent, ſcripta Philonis lecta & in uſus ſuos quodammodo translata fuiſſe a divis Apoſtolis Ioanne & Paulo, illo in Evangelii ſui principio, hoc in Epiſtola ad Ebræos, quorum poſterius HVG. GROTIO *ad Ebr. IV. 12.* prius IO. CLERICO *Epiſt. Crit. IX.*

IX. p. 247. ſeq. edit. Amſtelod. placuit, cui hac de re præter alios graves lites interceſſere cum IO. VAN DER WAYEN, qui *diſſert. de λόγῳ adverſus eum* ediderat. Hoc tamen non obſtante ejus quoque de ideis ſententia in hiſtoria de ideis locum omnino habet, quoniam inter Pythagoræ & Platonis ſequaces celebre nomen ſortitus eſt, unde eum NICEPHOR. *l. II. c. 15.* περιβόητον ἐν ἀμφοτέραις φιλοσοφίαις *in utraque Philoſoph. clariſſimum* appellat, conſentientibus ex veteribus EVSEBIO, HIERONYMO, SVIDA, aliisque, quos in medium affert IO. IONSIVS *de ſcript. hiſt. philoſ. l. III. c. 4. p. m. 225.* quem tamen Philonem ex Pythagoræ & Platonis ſequacium numero l. c. eximere merito miramur, nec profecto rationibus ab eo, licet docte prolatis ſatis probari poſſe credimus, cum ejus Platonismus, niſi nos omnia fallant, manifeſtiſſimus ſit, ut doctiſſime demonſtrarunt duumviri in orbe literario celeberrimi IO. ALB. FABRICIVS pec. diſſ. *de Platoniſmo Philonis* & IO. CLERICVS *Epiſt. crit. VIII. p. 210. ſeqq.* Subſcripſit vero plane Philo Platonicæ de ideis doctrinæ, eamque ubique in ſua philoſophemata tranſtulit. Aſſerit enim, Deum ante mundum creatum prius exemplar intelligibile, νοητὸν ἰδέαν, formaſſe, mundum dari ex ideis conſtantem, id eſt, intelligibilem, quem idearum regionem dixerunt Platonicorum aliqui, Deum ipſum de ideis cum Moſe locutum fuiſſe, Moſen de formatione hominis ad imaginem Dei ſermonem facientem intelligere ideas, probarique ex iſto loco poſſe, univerſum mundum ad idearum normam creatum eſſe. Ideas porro eſſe in mente divina, λόγῳ Dei, quam ἰδέαν τῶν ἰδεῶν nominat, & quæ alia ſunt apud illum occurrentia. Loca vel ſolus, quem de opificio mundi ſcripſit, liber abunde ſuppeditabit. Hinc non mirandum, Philonem more Platonico cuncta in νόητα καὶ αἰσθητὰ intelligibilia & ſenſibilia diſpeſcere, *de*

Monarch. I. p. 627. Edit. Genev. Hac enim diſtinctione tota de ideis doctrina nititur (*p*).

Ad pag. 186.

Sexum in divinis dari omni fere antiquitati placuit, nam ut de Cabbaliſtis nihil dicamus, qui ex impuris gentilis philoſophiæ lacunis ſuos hortos irrigarunt, quorum ſomnia notavit Cel. FABRIC. in *not. ad cod. Apocryph. N. T. p. 361. ſeqq.* (*q*) antiquiſſimi gentilium theologi hanc ſententiam ſuo approbarunt calculo, aut Deum eſſe *ἀῤῥενοθύλην*, aut ſaltem genus Deorum in maſculinum & fœmininum diſpeſci debere, darique Deos Deasque, quæ tamen poſterior ſententia nihil aliud eſt, quam prioris ad vulgi captum & mentem applicatio. Nimis tamen longum eſſet, omnes diverſi ſexus Deos enarrare, præſertim cum fecerint hoc alii laudati ab ill. GISB. CVPERO in *explicat. numm. antiq. ad calcem apotheos. Homeri p. 227.* & PETR. DAN. HVETIO *Demonſtr. Evang. prop. IV. ſ. 3. p. m. 148.* ed. Lipſ. recent. IO. ALB. FABRICIO *Bibliogr. antiquar. c. VIII. ſ. 7. p. 235. ſeqq.* quibus addendus MENAG. *ad Laert. l. I. ſ. 116. T. I. p. 128.* Exemplo tamen notandus Bacchus, qui non muliebri tantum ornatu interdum pingi ſolebat, ut pluribus probat CVPERVS *l. c. p. 228.* & TRISTAN. *T. II. p. 621. ſeq.* ſed & utramque naturam habuiſſe dicitur ARISTIDI *Orat. in Bacch. T. I. p. 52.* & Porphyrio apud EVSEBIVM, itemque THEODORETO *Therap. l. VII. cui audit* *γύνις ὢν καὶ θηλυδρίας, καὶ ἀνδρόγυνος*, quemadmodum Arabes quoque Baccham magis quam Bacchum coluiſſe, & ab hoc idolo urbem Beccham, quæ & Meccha dicitur, nomen traxiſſe non ſine veri ſpecie

(*p*) Pluribus hæc illuſtrabunt, quæ fuſe in *hiſt. crit. phil. T. I. p. 802. ſeqq.* de Philone diſſeruimus, ubi inſanientis Iudæi philoſophumena, quæ huc ſpectant, enucleavimus.

(*q*) Conf. quæ in *hiſt. phil. Cabbal. T. II. hiſt. crit. phil. p. 1021.* diximus.

cie ſuſpicatur Vir in his literis ſummus SAM. BOCHART. *Geogr. S. l. IV. c. 2. p. m. 242. ſq.* Philoſophi imprimis ſymbolica, quam adamabant, proponendi methodo uſi Deum finxerunt maſculino & feminino genere gaudentem. Cujus origo etſi ad Aegyptios referri poteſt, quibus Dii quoque diverſi ſexus erant, ut habet PLVTARCH. *Sympoſ. VIII. 1.* vel ad Chaldæos & Phænices, ut IO. CROIVS notavit in *Specim. conjectur. ad loca quædam Irenæi p. 65.* paulo tamen certius Orpheo adſcribenda eſt. Diſerte enim de eo ex antiquitatis conſenſu LACTANTIVS *l. IV. cap. 8. Niſi forte exiſtimemus, Deum, ſicut Orpheus putavit, & marem eſſe & feminam, quod aliter generare nequiverit, niſi habeat vim ſexus utriusque.* Quæ eis potiſſimum comfirmantur, quæ Orphei ſequaces de ἱερῷ γάμῳ diſputant, videnda apud PROCLVM *lib. I. & II. in Timæum*, & V. C. ANDR. CHRIST. ESCHENBACH. in *Epigne de poëſi Orphica p. 58.* qui docte multa hac de re tradit. Poſt Orpheum Pythagoras præcipue cum aſſeclis in divinis ſexum admiſit, quod adductis veterum locis eruditiſſime probavit B. IO. CHR. WOLFIVS *de Manich. ante Manich. ſ. XXIX. p. 116.* quibus adde, ſi lubet, quos in ſched. *de conven. numer. Pythag. cum ideis Platonis*, inſerto *T. VII. Amœnit. Lit. ſ. 12. 232. ſeqq.* laudavimus, & ORIG. *Philoſophum. c. II. ſ. 39.* & WOLFIVS *ad h. l.* Inter Peripateticos Hipparchus, Ariſtotelis diſcipulus, teſte SVIDA, librum ſcripſit, temporis injuria deperditum, τί τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ παρὰ Θεοῖς καὶ τίς ὁ γάμος, *de eo quid mas & femina ſit inter Deos, & quæ eorum nuptiæ*; conf. IO. ALB. FABRIC. *Biblioth. Gr. l. V. c. 40. p. 715.* Sic & Stoici Diis omnibus Deabusque ſexum adſcribebant, obſervante HVETIO *l. c.* Ex his fontibus ſine dubio ortæ generationes æonum Valentinianæ, ſomniabant enim, Deum ſummum conjunctam habuiſſe cogitationem, quæ ſuſcepto

ſcepto a Bytho, id eſt Deo profundiſſimo, ſemine, mentem, quam & unigenitum dicebant, progeneraverit. Videndi qui ex inſtituto dogmatibus Valentinianorum illuſtrandis inſudarunt PETAVIVS *ad Epiph. p. 67.* BVDDEVS *de hær. Valentin. in Hiſt. Phil. Ebræor. p. 424.* HOPERVS *in conject. de Valentin. hæreſi*, & qui Irenæum & Epiphanium illuſtravere annotationibus. Adoptavit hanc ſententiam etiam PSEVDO-HERMES, quem propterea notat IS. CASAVBON. *Exercit. anti-Baron. I. n. 18. p. m. 59.* & ex his quoque lacunis putidam hanc ſententiam hauſit SYNESIVS, cujus verba *l. c.* adduximus. Quæ tantum abeſt, ut turgidæ tantum eloquentiæ & dictionis metaphoricæ abuſui, patribus tantopere familiari adſcribenda ſit, ut non nemini placuit, ut potius Syneſius Pythagoram & Platonem & verbis & hypotheſi exprimat. Cum enim hi philoſophi emanationem rerum ſpiritualium ex Deo per iſtam ſexus in Deo aſſertionem intellexerint, Syneſius eandem prorſus cantilenam canit, ut cuivis, vel unicum ejus hymnum, præſertim quartum, legenti, ad oculos patet, nec fuſius probando quod alibi jam attulimus, actum agemus, videndi vero viri doctiſſimi B. CHLADENIVS *de Theologum. Syneſii*, & IO. AD. BOYSE *de Philoſophum. Syneſii p. 33.* In Syneſio enim Platonicum magis philoſophum, quam Chriſtianum epiſcopum agnoſcas, merito itaque præter alios notato quoque HENR. STEPHANO, in eleganti *præfatiuncula Græce ejus hymnis a ſe 1568. editis præmiſſa.* Quanquam ex ea potiſſimum cauſſa excuſationem meretur Syneſius, quod hos hymnos Chriſtianus quidem, ut ex eorum argumento & laudibus Trinitatis patet, ſecus ac viſum HENR. DODWELLO *de jure Laicorum ſacerdotali ſ. X. p. 287.* nondum tamen baptizatus, nedum epiſcopus, compoſuit, ut egregie ex verbis *Hymno III. v. 430. ſeqq. p. m. 71. ſeqq.* judicat Vir acutiſſimus IO. ALB. FABRIC. *Bibl. Gr. l. V. c. 22. p. 228.* Quæ Syneſii de

ſexu

ſexu in divinis ejusque generatione ſomnia hymno præcipue *IV. p. m. 109. ſeqq.* ſatis impie prodita videt SOVVERAINIVS. *Platoniſme devoilé P. I. ch. 8. p. 85.* ipſi ſanctiſſimo de Trinitate dogmati hoc modo iniquo auſu maculam inuſturus: quemadmodum & V. C. IO. ERNEST. GRABIVS in *not. ad Iren. p. 7.* eum arguit, quod totam Valentinianorum matæologiam ad orthodoxam Chriſtianam theologiam aptaverit.

Ad pag. 191.

Imputari hoc loco Auctori librorum, qui ſub Dionyſii Areopagitæ nomine ambulant, atheiſmum, viſum fuit Viro ſummo IO. ALB. FABRICIO *in elencho ſcriptorum de V. R. C. c. VIII. p. 300.* ubi quoque, quod obiter notamus, nomen noſtrum minus recte expreſſum eſt. Ita vero Vir celeberrimus poſt alia: *perinde ut Moyſen ipſum impius Ioannes Tolandus, & auctorem ſcriptorum, qui ambulant ſub Dionyſii Areopagitæ nomine, Scholaſticosque Realium appellatione notos in Spinoziſmi partes trahit Io. Beckius Auguſtanus in hiſt. philoſ. de Ideis.* Pace tamen viri ſuo jure ſummi, cujus magnam eruditionem, vaſtiſſimam lectionis copiam & judicii ἀκρίβειαν merito mirati &, ſummopere venerati ſumus, hic monere nobis liceat, hæc paulum remotiora eſſe a noſtra ſententia. Nuſpiam enim Pſeudo-Dionyſio ejusmodi impietatem adſcripſimus, ſed id modo obſervavimus, Dionyſium duplicis generis ideas ſtatuere, unum, quod eminenter eſt in DEO, & ipſe DEVS fons omnium ſubſtantiarum, alterum, quod per communicationem ab eo emanavit vel participavit, & ab reliquis entibus participatur. Hæc & verbis Dionyſii *l. c.* adductis plane ſunt conformia, &, cum emanationem ſubſtantiarum ſeparatarum ex DEO innuant, incautis quidem facile viam ad Spinoziſmum poſſunt ſternere, ab ipſa tamen impietate Spinozæ omnisque atheismi ſatis ſunt remota, unde præeunte PETAVIO

VIO monuimus, melius & magis chriſtiane ſenſiſſe Dionyſium, & dum Platonicas voces loquendique modos adamabat, καταχρηστικῶς fuiſſe locutum (*r*). Et profecto eandem cum viro celeberrimo fovemus ſententiam, ſobrie & caute in atheiſmi macula veteribus auctoribus inurenda verſandum eſſe, cum ſæpius quidem principia admiſerint, ex quibus prono alveo hæc peſtis fluit, & neceſſaria conſequentia evincitur, ipſas tamen conſequentias nec viderint, nec, ſi vidiſſent, aſſeruiſſent, vel ex ſuis principiis fluere conceſſiſſent, ut quotidie in eccleſia & orbe literario fieri videmus. Ita de Scholaſticis Realibus quoque, quos Atheiſmi non ſine magna veri ſpecie accuſavit P. Bælius, monuimus, Scotiſtas non vidiſſe, quæ ex ea ſententia, eandem rem eſſentialiter totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe individuis, nec eſſe individuorum diverſitatem, ſequerentur dogmata abſona & plane impia. Quæ cauſſa quoque eſt, cur *l. c. Sect. I. p. 51.* Platonem ab atheiſmo abſolverimus, etſi ejusmodi principia aſſeruit, quæ pronam ad eam viam muniunt. Ceterum omnino hac de re conferenda & probe notanda ſunt, quæ ipſe Vir πολυμαθέστατος de hac re eruditiſſime monet in *Biblio-*

(*r*) Quæcunque de duplicis generis ideis tradidit Pſeudo-Dionyſius, non atheismi quidem accuſari poſſunt, a quo abeſt ſyſtema emanativum, at nec excuſari tamen, tanquam in dicendi tantum modo & abuſu ſcriptor fanaticus peccaverit. Vt enim pſeudo-philoſophus ille & impoſtor ab ætate iſta haud procul abfuit, quod circa emanationes divinas definiendas, deſcribendas, ornandas prorſus inſanire cœpit, ut Procli & ſequacium exemplo conſtat, ita Orientalium, Gnoſticorum, Alexandrinorum nugas ſuſpiciendo, ad id potiſſimum reſpexit, ut ſub idearum nomine talium emanationum divinarum, quales æones & virtutes Gnoſticorum, & Sephiræ Cabbaliſtarum ſunt, introduceret, quo pacto non niſi putidus Deiſmus quidam potuit emergere, quem non niſi cum damno purioris doctrinæ excuſamus. Conf. quæ de hoc tenebrione & de Syneſio ejusdem commatis philoſopho, *hiſt. crit. phil. T. III. p.* 509. 511. diximus.

Bibliographia antiquar. c. VIII. ʃ. 7. p. 236. quibus omnino ſubſcribimus.

Ad pag. 195.

Ex Arabibus Averroi Ariſtotelicæ philoſophiæ ſectatori addendi ſunt, Avicenna, Alpharabius, aliique, de quibus legendus HORNIVS *Hiſt. philoſ. l. V. p. 291.* ſeqq. qui quoque elegantem COELII locum *A. L. l. II. c. 2.* de Avicenna affert, iis, quæ nos de Arabum in Ariſtotelem ſtudio diximus lucem fœneraturum. *Is* (Avicenna) ait, *in Hiſpania natus & Arabum idiomate imbutus cum Græcæ literaturæ ne apices quidem imbibiſſet, Ariſtotelis libros in barbarum ſonum non translatos quidem, ſed mutilatos, decurtatos perverſosque cum lectitaret, in iis, quæ altioris ſunt ſcientiæ & interioris ſenſus authorem eminentiſſimum, ſtudio brevitatis ita conciſum, ut ſenſuum acumina ſudantes philoſophos diſtineant, diu multumque minus minusque conſequi valuit.* Addendus IO. LEO AFER *de medicis & phil. Arab. c. IX. XX.* apud Cel. FABRIC. *Bibl. Gr. l. VI. c. 9. p. 268. 282. ſeqq.* & de Averroë quoque NIC. ANTON. *Bibl. Hiſpan. vet. Tom. II. p. 243.* Vener. WOLF. *Bibl. Ebr. p. 18. ſeqq.* aliique (*s*).

Ad pag. 197.

Quanquam Porphyrius tractationem de ideis in iſagoge ſua prætermiſit, alio tamen loco & tempore eam ſuſcepit, cujus ipſe nobis fecit notitiam in *vita Plotini c. 18.* Locum, quia prolixus eſt, latine tantum ex verſione Ficini damus. *Mihi*, ait, *Porphyrio idem accidit, cum primum audivi Plotinum, qua propter eum contra ſcribendo provocare tentavi, conatus oſtendere, ea, quæ intelligantur, extra intellectum*

(*s*) Prolixa philoſophiæ Saracenicæ hiſtoria occupat *T. III. hiſt. crit. phil. p. 1. ſeqq.* Vbi etiam fanaticam idearum ſ. intelligibilium contemplationem Thophaili, ſcriptoris Arabici *p. 195. ſeqq.* expoſuimus, ex quo loco conſtare poteſt, ad quam impietatem doctrina iſta poſſit adhiberi.

lectum exſiſtere. Ille vero cum Amelio mea ſcripta legere præcepiſſet, illeque jam perlegiſſet, ſubridens ait: Tuum eſt, Ameli, dubitationes iſtas diſſolvere, in quas ille ob quandam ſententiæ noſtræ ignorantiam incidit. Poſtquam igitur Amelius librum non parvum adverſus meas objectiones compoſuit, egoque ſcriptis ejus iterum contradixi, rurſusque mihi reſcripſit Amelius, tertio jam gradu vix tandem Plotini mentem conſpicatus, mutavi ſententiam, ideoque palinodiam reſcribens in conventu omnium recitavi; etr. Scriptus vero hic liber ad illud Zoroaſtreum *v. 702. ſeqq.* ὄφραμάθης τὸ νοητὸν ἐπὶ νόου ἔξω ὑπάρχει, *ut cognoſcas intelligibile, quoniam extra intellectum exiſtit;* oppoſitusque PLOTINI *Ennead. V.* cujus titulus: ὅτι οὐκ ἔξω τοῦ νοῦ τὰ νοητὰ, *Quod intelligibilia extra intellectum non ſubſiſtant.* Tranſiit tamen Porphyrius in Plotini ſententiam, quod admodum diſplicuit Longino, ut ipſe PORPHYR. *l. c. c. 20.* auctor eſt, in epiſtola enim Longini, quam affert, hæc inter alia dicuntur, omnino in hiſtoria de ideis notanda: ἤδη μὲν ὄυν καὶ δὶ ἄλλων τουτὶ πεποιήκαμεν, ὥσπερ καὶ τῷ μὲν Γεντιλιανῷ περί τῆς κατὰ Πλάτωνα δικαιωσύνης, ἀντείποντες· Τοῦ δὲ Πλωτίνου τὸν περὶ τῶν ἰδεῶν ἐπισκεψάμενοι· Τὸν μὲν γὰρ κοινὸν ἡμῶν τε καὶ κακείνων ἑτεραῖον ὄντα Βατιλέα τὸν Τύριον οὐδ᾽ αὐτὸν, ὀλίγα πεπραγματευομένον κατὰ τὴν τοῦ Πλωτίνου μίμησιν, ὃν ἀποδεξάμενος μᾶλλον τῆς παρ᾽ ἡμῖν ἀγωγῆς ἐπεχείρησε διὰ συγγράμματος ἀποδεῖξαι βελτίω δόξαν περὶ τῶν ἰδεῶν τῆς ἡμῖν ἀρεσκούσης ἔχοντα μετρίως τῇ ἀντιγραφῇ διελέγξαι δόκουμεν οὐκ ἓυ παλινωδήσαντα. *Iam vero per alia effecimus idem, quemadmodum, ubi Gentiliano quidem de juſtitia apud Platonem poſita contradiximus; & ubi Plotini librum de ideis tractantem conſideravimus; communem profecto noſtri illorumque amicum, Tyrium dico Baſilium,* (Por-

(Porphyrium ſive Malchum, id eſt, regem) *qui & ipſe non pauca Plotinum imitando tractavit: atque Plotinum ipſum magis, quam viam regulamque noſtram probans, libri cujusdam compoſitione conatus eſt opinionem de ideis Platonicam veriorem eſſe, quam noſtram, hunc inquam reſcriptione quadam oppoſita mediocriter arguiſſe videmur, ut qui non recte ſcilicet recantaverat.* conf. LVC. HOLSTEN. *de vita & ſcript. Porphyr. c. X. p. 76.* ed. Rom. IO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. IV. c. 27. p. 191. ſeqq. c. 31. p. 444.* Longini tamen de hoc argumento ſcripta deſiderantur (*t*).

Ad Sect. II. §. 4. p. 198.

Quamvis haud indiligenter h. l. in Nominalium & Realium ſecta deſcribenda verſatos nos eſſe judicaverit B. BVDDEVS *comp. hiſt. phil. c. V. ſ. 7. p. 352. & Iſagog. in theol. hiſt. l. II. c. 4. p. 231.* fatemur tamen nonnulla adhuc in ea narratione jure deſiderari. Quare ad hoc argumentum in hiſtoriæ philoſophicæ medii ævi deſcriptione devoluti, diligenter reliqua, quæ huc pertinent, momenta excuſſimus, ut ex *T. III. p. 674. 738. 847. 904. ſeqq.* conſtat. Etiam his nonnulla adjecimus, nonnulla mutavimus, rectiora interim edocti in *inſtit. hiſt. philoſ. Per. II. P. II. l. II. c. 3. ſ. 2. p. 439.* quæ ſupplementi loco eſſe poſſunt.

Ad

(*t*) Fuſiorem hic locus explicationem poſtulat doctrinæ de ideis, qualis in Eclecticorum ſchola perſonuit. Quam ſubtili at obſcura tractatione tradidit PLOTINVS *Enn. V. l. I.* ubi multa occurrunt, de quibus ipſe idearum parens Plato non cogitavit: eſſe in uno multa, intellectum Dei eſſe multiplicem compoſitionem quandam præ ſe ferentem: intellectum ſimul eſſe omnia, & nihilominus tamen ea inter ſe diſtingui; quot mundus rationes ſeminales habeat, totidem ſingulas animam poſſidere, tot ideas eſſe in intellectu divino: quod intelligatur intimum eſſe, id unum quiddam eſſe, & ſpeciem & ideam, intellectum & intellectualem eſſentiam & ideam quamlibet ab

Ad Sect. III. §. I. p. 229.

Innumera fere ſunt, quæ recentior ætas in doctrina de ideis immutavit, unde ampliſſima hoc loco illis ſupplementa adiici poſſent, quæ tunc ſcripſimus. Aſt hæc non niſi tota hac ſectione refecta & novo habitu induta dari poſſunt, & ſcriptionem hanc hiſtoricam in logicam facile commutare apta ſunt. Itaque cum ubivis obvia & plerisque nota ſint, hoc quidem loco ea, velut prolixiora, omittimus.

intellectu non differre &c. Sequi ex his ideas ab intellectu divino non eſſentialiter differre, at his recte opponi, Deos intelligibiles & intellectuales horum philoſophaſtrorum eſſe easdem ideas, in *hiſt. crit phil. T. II. p.* 402. monuimus & quantæ in ea re ἀκυρολογίαι & παραδοξολογίαι lateant, manifeſtum fecimus. In his autem Plotini ſententiam conſpirare monuimus: eſſe ideas entia vera, divina intelligibilia, ſed adhuc in una eſſentia comprehenſa, nec adhuc inter ſe aliter, niſi forma, ſeparata, non vero eſſentiæ ſecretione. Ex quo concluſimus: homines hos emanationis notionibus occupatos res emanantes ex fonte, antequam prodirent ex eo, ut ſingularia quidem entia, at in uno fonte, ceu rivulos in uno flumine conſideraſſe: id quod apud eundem *c. 9. p.* 351. legitur, qui cum de modo divino imprimendi ideas in materiam *Enn. VI. l. V. c. 8. p.* 665. *ſeqq.* differit, obſcuritate ſe ipſum tegit & non intellexiſſe videtur: lumen tamen his tenebris *l. c. p.* 404, accendimus, quæ, ſi placet, conſuli poſſunt.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Exhibens epiſtolam ad cel. Schelhornium de providentia Stoica (*).

Ex quo, optime Schelhorni, cum nuper tua præſentia, qua mihi nihil unquam accidit jucundius, frui liceret, inter alios ſermones de providentia ſectæ Stoicæ vel aſſerta vel negata colloquendi facta fuit copia, inter pauciſſimas, quas mihi ſupereſſe probe noſti, horulas ea de re paulo altius cogitando, ad ANTONINI Imperatoris commentarios de vita ſua, vel de officiis potius vitæ ſuæ atque regulis delapſus, in non contemnendum & ſolito clariorem locum incidi, quem hac quidem occaſione referre, & ita materiæ huic ad amplificandam revelatæ veritatis gloriam & detegendas regni ſatanici profunditates tantopere facienti lucem aliquam affundere, tu pro tua inter nos amicitia ægre non feres. Ipſe vero probe noſti, quanto labore Stoicos in veritatis divinæ aſſenſum traxerint non maleſani tantum inter tenebras & lucem conciliatores STEVCHVS, PANSA, PFANNERVS, HVETIVS, quibus non immerito adnumerandus vir cetera diligentiſſimus & prolixæ eruditionis TH. GATAKERVS, aliique, ſed pro aſſerta quoque ab iis ſano atque pio ſenſu providentia pugnaverit Stoicæ philoſophiæ vindex IVST. LIPSIVS *Phyſiol. Stoic. l. I.*

(*) Dedimus hanc epiſtolam ad amiciſſimum nobis virum, maxime reverendum Schelhornium, qui eam *Amœnit. liter. T. VIII. p.* 443. integram inſeruit. Probavit hanc providentiæ Stoicæ explicationem, quam dedimus, B. BVDDEVS in *iſag. in hiſt. theol. ſuppl. p.* 37. Summam vero totius diſceptationis, num Stoici providentiam Dei liberam agnoverint nec ne, expoſuimus, remque omnem ex intimo ſyſtematis Stoici nexu confecimus in *hiſt. crit. philoſ T. I. p.* 925. *ſeqq.* quæ cum his comparanda ſunt, & quæ exſcribere h. l. opus haud eſſe exiſtimamus. Conf. quæ in *Otio Vindel. mel. II.* §. 10. *p.* 165. *ſeqq.* adduximus, & quæ infra in diſſ. *de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus* occurrent.

l. I. Diſſ. XI. p. m. 57. ſeqq. in cujus ſententiam & partes alios quoque hodie video concedere. Quod profecto mirum videri queat, poſtquam recentiori ætate plures eruditi viri Stoicæ philoſophiæ *βδελύγματα* detexere, & imprimis vir in his literis ſummus IAC. THOMASIVS *Diſſ. XIII. de exuſt. mundi Stoica pag. 166. ſeqq.* Chryſippo præcipuo auctore (de quo pervulgatum illud:

εἰ μὴ γὰρ Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά.

Niſi fuiſſet Chryſippus, non eſſet Porticus.

Refert DIOG. LAERT. *l. VII. ſ. 183.* laudante quoque LIPSIO *Manud. ad phil. Stoic. l. I. Diſſ. XI. p. m. 57.*) tam ſolide Stoici fati, providentiam omnem ſubvertentis, malignitatem oſtendit, ut meo quidem judicio contra ſolem loquatur, quisquis Aethiopi huic alborem inducere conetur. Et negari quidem non poteſt, tam ſplendide paſſim de providentia locutos fuiſſe Stoicos, tam egregia verborum pompa Deo ſuo cauſſarum directionem tribuiſſe, ut falſiſſimam & ad decipiendum natam factamque eorum linguam, ambiguas voces & ſplendida mendacia non intus & cute, quod ajunt, noſcenti facillime imponant, ut vel *l. II.* CICERONIS *de nat. Deor.* vel *l. VII. ſ. 138.* LAERTII legenti erit manifeſtum. Sed comparatum tamen ita eſt cum toto illorum hominum ſyſtemate, potiſſimum vero cum hujus univerſi phyſiologia, ut, ſi cuncta rite ponderentur, & ex domeſticis & primis principiis concluſiones & aſſertiones eorum explicentur, appareat, neceſſitati cuidam abſolutæ, id eſt fato cæco omnia eos tribuiſſe, & per providentiam nihil aliud, niſi obſequium Dei iſti neceſſitati præſtitum, immo ſi rem clare eloqui fas eſt, univerſi hujus, non enim alium agnoſcebant Deum, conſtantem ad ſuam naturam & neceſſarium tenorem, & imperturbatam omnium rerum, & materiæ tum craſſioris,

tum

tum ſubtilioris, id eſt, Dei ſeriem, & concatenata vincula intellexiſſe. Quod etſi multis iisque genuinis Stoæ decretis poſſet probari, hoc tamen labore cum in Otio Vindelico, aliisque in locis ut res ferebat, defunctus jam ſim, unicum, ad quem ſupra digitum intendi, ANTONINI locum, pace tua, afferam, præſertim cum alio tempore, cum de hoc argumento ſcriberem, is me fugerit. Ita vero Imperator στωικώτατος *l. VII. ſ. 9.* Πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ ἡ σύνδεσις, καὶ σχεδὸν οὐδὲν ἀλλότριον ἄλλο ἄλλῳ· συγκατατέτακται γὰρ καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. Κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ Θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελειότης μία τῶν ὁμογενῶν καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου μετεχόντων ζώων. *Omnia ſunt ſibi invicem implexa, & vinculo quodam ſacro ita ſibi invicem devincta, ut nihil alterum ab altero ſit alienum. Coordinantur enim ſimul, eundemque mundum cohoneſtant, etenim & mundus unus, & Deus unus eſt in omnibus, & eſſentia una, & lex una: ratio nempe animantium intelligentium omnium communis, & veritas una: ſiquidem & perfectio una animantium ſibi invicem congenerum ejusdemque rationis participum.* Tam clara hæc ſunt omnia, & tam aperte ipſa impietatis Stoicæ fundamenta patefaciunt, & larvis ſuis denudant, ut ſine commentario cuivis prona intellectu eſſe, mihi habeam perſuaſiſſimum. Lubet tamen paucis ea expendere. Statuit vero Antoninus I. VINCVLVM SACRVM, quo omnia ſibi invicem ita implexa & concatenata ſint, ut dato uno ſequatur alterum, quod ſine eo ex neceſſaria ſequelæ lege eſſe non poteſt, adeo ut unum inevitabili ſerie poſt ſe trahat alterum. Egregia philoſophia! quæ omnem prorſus libertatem, & cum ea quoque omnem providentiam, quæ eſt actionum

liberarum ſapientiſſima directio, tollit, & abſolutam quandam neceſſitatem inducit. Et tamen tam ſacrum ipſi viſum fuit hoc vinculum, ut ſæpius repetierit; audi quæſo *l. IV. ß. 38.* ipſum diſſerentem: Πολλάκις ἐνθυμοῦ τὴν ἐπισύνδεσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ σχέσιν πρὸς ἄλληλα· τρόπον γάρ τινα πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ πάντα κατά τοῦτο φίλα ἀλλήλοις ἐστί. Καὶ γὰρ ἄλλο ἑξῆς ἐστι τοῦτο, διὰ τὴν τοπικὴν κίνησιν, καὶ σύμπνοιαν, καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς οὐσίας. *Perpende tecum jugiter, rerum omnium, quæ in mundo ſunt, connexionem mutuam, quamque ad ſe invicem affectionem habeant: ſunt enim omnia quodammodo ſibi invicem implexa, atque ea ratione ſibi invicem amica, alterum enim alterius conſequens eſt, & per connexionem localem, & per conſpirationem mutuam, & per materiæ (eſſentiæ) continuitatem.* Alia loca *l. IV. ß. 40. 45. l. VII.* paſſim non exſcribo. Germaniſſime Stoica cuncta, nihilque aliud quam συμπλοκὴ ἀπαράβατος, *indeclinabilis rerum ſeries* Chryſippi, apud GELLIUM *noct. Att. l. VI. c. 2.* Luculenter præ cæteris SENECA *de provid. c. 5.* *Scio omnia certa, & in æternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt: & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit, cauſſa pendet ex cauſſa, privata ac publica longus ordo rerum trahit.* Sed & reliqua, una cum antecedentibus legenda ſunt, verbis Antonini lucem fœneratura. Immo non Antonini tantum & Senecæ, ſed totius ſectæ Stoicæ ejusque anteſignanorum eſt hæc doctrina, quam Chryſippo, Poſidonio, Zenoni, Boëtho tribuit DIOG. LAERT. *l. VII. ſ. 149.* additque ἐστι εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται, *fatum eſt connexa rerum ſeries, ſive ratio per quam mundus adminiſtratur.* Non vero hæc ratio libera eſt, ſed neceſſitate connexionis cogitur & cogit, ita ut aliter evenire

nire proiſus nequeat, unde PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. I. c.* 27. οἱ Στωικοὶ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητον φασὶ αἰτίαν καὶ βιαστικὴν, τὴν δὲ εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένων, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ ἡμᾶς ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δ' ἀνειμάρθαι, ex quo certe loco haud obſcure patet, *non coactivam tantum, ſed & inſuperabilem & immobilem cauſarum inque ſe connexam neceſſitatem actionum noſtrarum moderatricem fatum continere.* Hæc vero omnia iam miſere cum providentia ſano ſenſu ſumta cohærent, ut vel ego omnino fallar, vel quid ſalvis his decretis, liberum, quid neceſſarium, quid providentia, quid fatum ſit, explicari non queat. II. Vltra progreditur ANTONINVS, & non arctiſſime & inſolubiliter connexam tantum rerum, eſſentiarum & actionum ſeriem, tanquam concatenatum quoddam vinculum proponit, ſed & ſacrum illud eſſe ex eo probat, quia mundus unus, & Deus unus in omnibus & materia, ὀυσία potius, eſſentia una omnibus. His aſſertis plane concidit providentia Stoica, modo recte intelligantur. Placuit ſcilicet genti impiæ, omnia ex una materiæ compage, quam „chaos vocabant, orta eſſe atque extitiſſe, & hanc „quidem univerſalem materiam, ſive univerſum, „ſua natura, ſuis legibus, motuique neceſſario ſibi „parentem & imperantem, quandoque Deum vo„cabant. Hanc vero materiam iterum in duas diſ„peſcebant claſſes, quarum uni tribuebant mate„riam ſubtiliſſimam, id eſt ignem cœleſtem & puriſ„ſimum, alteri materiam craſſiorem; illam Deum, „hanc mundum ſtricte ſic dictum (nam& univer„ſum illis mundus eſt) vocabant: illam faciebant „activam, hanc paſſivam, illam ſtatuebant hanc „ubique permeare, vivificare, animare, utramque „vero connexis univerſi legibus parere.„ Hanc magno Stoicorum conſenſu probare eſſet, niſi poſt ipſum LIPSIVM *l. I. Diſſ. V.* IAC. THOMASIVS *l. c. p. 172.*

p. 172. ſeqq. rem confeciſſet, nosque alio loco ſatis amplum inſtituiſſemus ſpicilegium. Ne tamen abeam ἀσύμβολος, en ipſum Imperatorem noſtrum, qui ſane luculenter *l. IV. ſ. 40.* ὡς ἓν ζῶον τὸν κόσμον (κρινέτω) μίαν ὀυσίαν καὶ ψυχὴν μίαν ἐπέχον, συνεχῶς ἐπινοεῖν· Καὶ πῶς ἐις ἄισθησιν μίαν τὴν τούτου πάντα ἀναδίδοται. Καὶ πῶς ὁρμῇ μιᾷ πάντα πράσσει, καὶ πῶς πάντα πάντων τῶν γινομένων συναίτια καὶ ὅια τὶς ἡ σύννησις καὶ συμμήρυσις. *Cogita mundum eſſe animalis unius inſtar, quod materiam (eſſentiam) unam, animamque unam obtineat, item quomodo ad ſenſum hujusce unum & illum omnia referantur, unoque quaſi impetu ferantur univerſa, & ad omnia producenda cooperantur, quis denique rerum nexus & contextus ſit.* Paria paſſim deprehenduntur notata GATAKERO *ad marg. h. l.* & apud SENEC. *ep. 65. de provid. c. 5.* LAERT. *l. VII. ſ. 145.* CICER. *de nat. Deor. l. II.* PLVT. *de pl. phil. l. I. c. 7.* aliosque. Cum itaque una tantum omnium rerum eſſentia ſit, una materia, una anima, & ille ipſiſſimus quidem Deus, per quem internum Deum omnia permeantur, uno impetu omnia feruntur, prona conſequentia inde colligere licet, Stoicos per providentiam nihil aliud intelligere poſſe, quam neceſſariam ſequelam rerum ex iſto inhabitante Deo fluentem, qui cum id in nobis & omnibus rebus neceſſario agat, quod ex natura univerſi, id eſt, ſua, agere debet, id efficit, ut omnes illius univerſi partes naturam totius neceſſario ſequantur. Vnde intelligere licet, cur Stoici finem philoſophiæ dixerint, *naturæ convenienter vivere*, & quam miſera ſit eorum providentia, cum nec Deus nec homo libertate vera gaudeat, quicquid ſplendide mentiantur philoſophaſtri impientiſſimi. III. Ex dictis jam clarum, quid communis illa ratio & una lex ſit, ſecundum quam uno naturæ impetu omnia ſimul

mul feruntur, quæque ipſiſſima Stoicorum providentia eſt? Scilicet Deus mundum inhabitans, permeans, & informans, quam vocem non incommode ex Peripato in Porticum tranſtulit THOMASIVS, quam recte animam mundi, cum anima mundi Platonica, hac meliore, non confundendam dixeris. Ait enim diſerte *Imperator l. IX. §. 8.* Εἰς μὲν τὰ ἄλογα, μία ψυχὴ διήρηται, εἰς δὲ τὰ λογικὰ μία νοερὰ ψυχὴ μεμέρισται, *in animalia irrationalia anima una diſtribuitur, in rationalia vero una anima intellectiva dividitur.* Plura non addo, videnda apud LIPSIVM *Phyſiol. Stoic. l. II. Diſſ. VI. p. 152. Diſſ. X. p. m. 177.* Quoties igitur de providentia ſermo eſt apud Stoicos, ſtatim de illa univerſi anima ejusque impetu, qua voce uſus ſupra Imperator, cogitandum, qui nihil liberi habet. Quod vel ex ſolo LAERTIO *l. VII. ſ. 138.* diſci poteſt, qui auctoribus Chryſippo & Poſidonio ait, τὸν κόσμον οἰκεῖσθαι κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν, εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ, καθάπερ ἐφ' ἡμῶν τῆς ψυχῆς. *Mundum adminiſtrari ſecundum mentem & providentiam: mente per omnes illius partes pertingente, ſicut & in noſtra anima contingit:* & ad hanc normam quoque ea, quæ apud CICERON. *l. c.* diſputantur, exigenda ſunt. Ex dictis itaque, niſi me omnia fallunt, longe eſt clariſſimum, providentiam Stoicorum inane nomen eſſe, & luſiſſe hac voce peſſimos philoſophos, ἐν τῇ αὐτῶν σοφίᾳ μωρανθέντας, ut Apoſtoli voce utar, & in libertatem humanam pariter atque omnipotentiam & ſapientiam divinam maxime injurios, quorum deaſter, ipſiſſimus Spinozæ Deus, providet, quia non aliter poteſt & cogitur, nec providere poteſt, niſi, quod æterna lege ipſum quoque cogente præſcriptum eſt. Habes hic ὦ φίλτατε aſſerti mei breves rationes, Antonini præſertim effatis nixas; quem etſi in Stoicorum ſcho-

la præ ceteris philoſophi nomen conſecutum & genuina Zenonis ac Chryſippi placita tradentem, in explicatione tamen philoſophiæ Stoicæ a plerisque etiam ſummis in his literis viris negligi, mirari ſatis nequeo. Adderem facile plura, nec invitus quoque ad eos deſcenderem, qui ex hoc primo falſo ſequuntur errores, ſed prolixa ſcriptione nec tibi gravis eſſe, nec epiſtolæ tranſilire limites conſtitutum eſt. Quapropter cum feliciſſimorum fatorum, ex divinæ ſapientiæ benigniſſima & liberrima providentia tibi concedendorum voto, me tibi, Amice optime, trado. Vale. Scr. Kaufbyræ Non. Nov. cIↄIↄccXXVII.

Observatio VI.

De Stratonis Lampſaceni atheiſmo, Diſſertatio Epiſtolaris (*).

INter eos, de quorum impietate erga Deum mentionem in tuis feciſti, clariſſime Zimmermanne, Strato quoque eſt, a patria Lampſacenus, a ſtudiorum genere & excellentia Phyſicus dictus. Huic non heri demum vel nudius tertius atheiſmi notam fuiſſe

(*) Dedimus olim hanc epiſtolam ad virum venerandum *Ioannem Iacobum Zimmermannum*, canonicum & profeſſorem Tigurinum, virum longe eruditiſſimum, & non literarum magis ornamentis, quam humanitate, amicitiæ fide & virtutis cultu a multis annis nobis amiciſſimum. Is enim cum dudum apologiam pro viris magnis atheiſmi accuſatis meditatus eſſet, eo, quo eſt animi candore veritatisque amore, expiſcari prius virorum doctorum animum de illis, quibus ea labes affricari ſolet, voluit, & de nonnullis quoque veterum philoſophorum placitis, quibus impietati faviſſe pleriſque videntur, per literas nobiſcum egit. Enatæ inde diſſertationes epiſtolares duæ, una *de Parmenidis atheiſmo*, quam Gallico ſermone vir quidam doctus in *Bibliotheca Germanica Tom. XXI. art. 3. p. 90.* exhibuit. Qui tamen cum in rei ſumma mentem noſtram non ſatis aſſecutus ſit, maluimus eam, nec Latino nec vernaculo ſermone expreſſam, ſed habitu peregrino indutam in hac colle-

fuiſſe inuſtam, vel ſolo CICERONIS teſtimonio conſtat, qui *Acad. Q q. l. II. vel l. IV.* potius *p. m. 48. T. III. Opp. edit.* Dion. Godofr. de Stratone: *is*, ait, *negat opera Deorum ſe uti ad fabricandum mundum, quæcunque ſint, docet omnia effecta natura - - -. Sic ille & Deum magno opere liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cum exiſtimet a Deo ſe curari, non & dies & noctes divinum numen horrere? & ſi quid adverſi acciderit, quod cui non accidit? extimeſcere, ne id jure evenerit?* Quibus verbis vir in veterum philoſophorum ſententiis pernoſcendis feliciſſimus Stratoneo potiſſimum ariete providentiam divinam infringi, & ſine aſſertione operantis in naturalibus Deitatis totum tamen philoſophiæ ſyſtema conſiſtere poſſe infert. Ex recentioribus inter peſtilentiſſimum hominum genus Stratonem retulerunt non gregarii in exercitu literario milites, ſed præſtantiſſimi anteſignani & æternitati inſcripta nomina, LEIBNIZIVS, CVDWORTHVS, BAYLIVS, BVDDEVS, at quanti viri! & quam digni in his rebus arbitri! Aſt diverſo id quoque a ſingulis factum modo diverſoque reſpectu. Illuſtris enim LEIBNIZIVS Stratonem Spinozæ & Hobbeſio quoque jungit, qui rebus neceſſitatem quandam cœcam adſcribunt, quod docuerit, res omnes exiſtere ſine intelligentia & eligendi libertate, adeoque ſine Deo,

ctione omittere, quam totam refingere, & novam dare, quod poſt ea neceſſe minime putamus, quæ *hiſt. critic. phil. T. I. P. II. l. II. c. 11. §. 9. p.* 1161. de atheiſmo Parmenidis diximus. Accuratius enim ſyſtema Parmenideum expendendi materiam cum ſuppeditaſſet eruditiſſimi commentatoris ad CVDWORTHI *ſyſt. intell. p.* 463. diligentia, paulo preſſius & curatius quoque rem omnem excuſſimus, mentemque noſtram de theologia Parmenidis enarravimus. Alteram epiſtolarem *de atheiſmo Stratonis* diſſertationem, ad eundem V. C. perſcriptam *Amœnitatibus literariis Tom. XIII. art.* 6. *p.* 311. *ſeqq.* inſeruit doctiſſimus SCHELHORNIVS, quod tamen argumentum prolixius & ex inſtituto exploravimus, telamque eam refinximus in *hiſt. crit. philoſ. T. I. P. II. l. II. c.* 17. §. 6. *p.* 846. quæ cum hac diſſertatione comparanda ſunt, ut mens noſtra clarius conſtet.

Deo, quo opus minime ſit, quia neceſſitate rerum ita cogente, omnia ex propria exiſtunt natura & eſſentia, ut neceſſario duo & tria quinque faciunt, *reflex. ſur le livre de Mr. Hobbes*, *Theodic. p. m. 428.* edit. Gall. recentiſſ. CVDWORTHO vero eo potiſſimum nomine Strato vapulat, quod materiæ animam licet brutam adſcribendo atheiſmum hylozoicum invexerit, *Syſtem. intellect. c. III. ſ. 4. p. 100.* cujus epitomen dedit cel. CLERICVS *Bibl. choiſie T. II. art.* I. *ſ. 7. p. 29.* non diſſentiente ipſo hoc viro doctiſſimo. PETRVS vero BAYLIVS *Dict. hiſt. crit. T. IV. art. Spinoſa not. A.* (*a*) ideo inter atheos Stratonem refert, vel eos ſaltim, qui Spinozæ impietati præluſerunt, quod non alium Deum, quam ipſam naturam, ſive hoc univerſum agnoſcat, quem quoque ſequitur Vir ſummus, & nunquam nobis ſine honore nominandus IO. FR. BVDDEVS in diſſ. *de Spinoziſmo ante Spinozam ſ. 6. Analect. Hiſt. philoſ. p. 316. ſeqq. & theſ. de Atheiſmo c. I. ſ. 16.* qui tamen poſt Baylium more ſuo egregie monet, differre ejus ſententiam a Spinozæ, quod cum Epicuro materiam in plurimas particulas diſcerpat, cum Spinoza contra unam hujus univerſi ſubſtantiam agnoſcat: præterea Strato initium mundo huic dederit, ex temerario fortunæ impetu illud cum Epicuro accerſens, cum Spinoza contra vi ſuæ hypotheſeos non poſſit non æternum perpetuumque mundum aſſerere (*b*). Has quis non graviſſimas accuſa-

(*a*) add. *reſp. ad Qq. provinc. T. III. p. 1237. Cont. cogit. de cometis T. II. p. 520.*

(*b*) IENKINI THOMASII, & AVCTORVM *hiſt. univ.* quam Britanni ediderunt loca, quibus eandem impietatis notam Stratoni inurunt *l. c. not. X.* indicavimus. Quæ vero ARGENSIVS marchio in *philoſophia juſti ſenſus*, quam vocat *refl. III.* §. 3. *p.* 329. attulit, ut evinceret, inter animæ mundanæ patronos Stratonem referendum eſſe, ut ſyſtema Stratonis aliena mente induunt, & evertunt, ita inter iſtos philoſophos eum magis numerant, qui enthuſiaſmo phyſiologiam ſuam commacularunt, quam inter atheos.

cuſationes eſſe vel auctorum teſtiumque auctoritate magnum præ ſe pondus ferente conceſſerit?

Verum non auctoritate ſolum graviſſimorum virorum, ſed rationibus quoque magnam ſpeciem præ ſe ferentibus Strato premitur, quas paucis delibabimus. Primum enim, quod ſupra monuimus, & ex adducto quoque Ciceronis loco ſatis patet, providentiam divinam ex rerum natura ſuſtulit. Deum vero tollere videtur, qui providentiam negat; vid. viri magni IO. FR. BVDDEVS *theſ. de Atheiſmo cap. III. ſ. 1.* & IO. ALB. FABRICIVS *Syllog. ſcr. de V. R. C. c. XVII. p. 409.* & quos hic fuſe laudat. Sed ſecundo quoque ipſam divinam mentem ex rerum natura proſcribit, qui *dat*, monente CICERONE l. c. *Deo immunitatem magni quidem muneris; negat ſe Deorum opera uti ad fabricandum mundum, quæcunque ſint, omnia effecta eſſe natura; nec ut ille, qui aſperis & lævibus & hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc eſſe dicat, interjecto inani; ſomnia hæc cenſet eſſe Democriti non docentis ſed optantis; ipſe autem ſingulas mundi partes perſequens, quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe ponderibus & motibus.* Immo tertio, quod majus atque pejus, teſte eodem CICERONE *de nat. Deor. l. I. p. m. 278. omnem vim divinam in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſſas gignendi, augendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu & figura.* Quibus verbis non aliam divinitatem admittere videtur, quam naturam rebus ipſis impreſſam, quam cum plaſticam omniaque formantem faciat, non incommode hylozoiſmi auctor vel aſſertor cenſeri poteſt. Quibus ſuccinit AVGVSTINVS *de Civ. Dei l. VI. c. 10.* ubi eum *Deum facere ſine animo*, id eſt rebus corporeis vel materiæ ſaltem divinitatem adſcribere ſenſu & ratione carentem obſervat. Quibus quarto id adjungi quoque poſſe putamus, ſi res omnes per ſe ſolæ ex natura ſua ſe ipſam formante oriantur & fiant, & ex ſe ſuaque eſſentia exiſtant, quod

Stratoni

Stratoni adſcribit Cicero, inde ſua ſponte conſequi, omnia per abſolutam quandam fieri neceſſitatem, quod non poteſt non peſſimis atheiſmi radicibus annumerari. Quam neceſſitatem quoque per definitionem τοῦ ὄντος, quod ſit διαμονὴ τῶν ὄντων, *permanentia vel ſubſiſtentia entium* inſinuaſſe videtur apud PROCLVM *l. IV. in Timæum p. 242. 243.* Salva enim iſta hypotheſi non poſſunt non entia inde entitatem, ut barbare loquar, habere, quod perpetuo & neceſſario maneant & ſubſiſtant, cum aliam ſubſtantiam non admiſiſſe videatur, quam formas, accidentia, πάθη, qualitates, vel, ut recentiorum voce utar, modos, materiæ congregata invicem ex particulis (*c*) & conflata, & ex ſe ſuaque natura combinata ſuum exiſtendi modum operantia & formantia. His omnibus PLVTARCHI tandem accedit quoque auctoritas, qui *adv. Colot. T. II. pag. m. 418.* Stratonem refert *mundum animal eſſe negare, velleque naturam ſequi temerarios fortunæ impetus; initium enim rebus dare ſpontaneam quandam naturæ vim, & ſic deinceps ab eadem natura phyſicis motibus imponi finem* (*d*).

Capita

(*c*) Malim, ex frigido & calido, quod diſerte Stratoni tribuit AVCTOR *recognit. Clem. l. VIII. c. 15.* & STOBAEVS *eclog. phyſic. c. 13. p. 27.* conf. FABRIC. *ad Sext. Emp. pyrrh. hypot. l. III. ſ.* 32. a particulis enim Democriti abhorrebat Strato, Peripatetica notione materiæ occupatus, easque ſomnia non docentis ſed optantis eſſe contendebat.

(*d*) Quo ſenſu fortunam & temerarios ejus impetus neceſſitati intrinſecæ, quam materiæ ſecundum certas leges motusque naturales ineſſe Strato contendebat, junxerit, nempe gryphos equis, & ἀσύστατα inter ſe, luculenter, niſi fallimur, *hiſt. phil. l. c. p.* 548. oſtendimus. Cum vero vis in materia latens, & pro conditione qualitatum, nempe frigidi & calidi ſe movens, formans, moderans, excitetur a caſu antecedente fortuito, ut interna virtute ſecundum certas proportiones ſe perficiat, recte inde infertur, Stratonem ab omni prorſus concurſu cum materia formanda Deum removiſſe. Quod equidem non magnopere mirandum eſt, cum nobilem locum in cathedra Peripatetica Strato obtinuerit. Quamvis enim certum

Capita hæc ſumma ſunt accuſationis contra Stratonem, quibus magna eum ſuſpicione Atheiſmi premi, quis non ultro fateatur? Nondum tamen ita mihi comparatum cum iis eſſe videtur, ut nihil contra ea excipi & ad defendendam Stratonis cauſſam afferri queat. Nam quod primo loco dictum eſt, providentiam Dei ex mundo eum ſuſtuliſſe. id recte intelligendum eſt. Non tollebat enim Strato omnem divinitatis providentiam, ſed in moralibus eam admittebat, quod non abſurde ex eo colligas, quod apud DIOG. LAERT. *l. V. ſ. 58. ſeq.* ejus libri *de juſtitia, de bono, de felicitate, de divina afflatione, de injuſto* enumerentur, quorum argumenta ſine providentia concipi non commode poſſunt (*e*); unde caute & non niſi relative intelligenda, quæ CICERO *de finibus l. V.* innuit, *perpauca de moribus eum dixiſſe.* Quod vero ad phyſica attinet, duplici modo tolli vel removeri potius poteſt providentia; vel ut omnia caſu fortuito concurſuque atomorum ſine provida mentis directione orta dicantur, quæ ſententia Democrito & Epicuro placuit; vel ut mens quidem divina

ſit, Peripateticos poſt Theophraſtum, libris Ariſtotelis privatos acroamatica ejus dogmata non ſatis perſpexiſſe, & ob eam rem ſibi propriam quemlibet, quod hiſtoria Peripatetica teſtatur, phyſiologiam effinxiſſe; dubitandum tamen non eſt, κυρίας δόξας Ariſtotelis eos non ignoraviſſe. Inter quas cum & materia a Deo ejusque providentia immunis fuerit, facile inde colligi poteſt, propiorem Deo locum in formanda materia, (quam ab æterno formatam ſecundum ſpecies in ea latentes Ariſtoteles dicebat, & cui τύχην opponebat Strato) non aſſignaviſſe.

(*e*) Hæc Peripatetice intelligenda ſunt. Nempe animam non ineſſe homini ſed foras accedere, Lycei dogma fuit, unde emanationis beneficio, quod ex infima intelligentia derivabat Ariſtoteles, anima rationalis agit, & immiſſa in corpus ſenſibus velut inſtrumentis utitur, quod ipſi quoque Stratoni viſum eſt. Quibus poſitis facile erat Stratoni ſalva phyſiologia ſua, quandam afflationem divinam admittere, quæ tamen in phyſicis locum nullum habet. Tacemus incertum eſſe, num in eo, ad quem Laërtius *h. l.* provocat, libro Strato ejusmodi afflatum aſſeruerit vel oppugnaverit.

divina rebus omnibus, vel particulis potius, vim, capacitatem, naturam ſe ipſam formandi, quæ divinitas Stratonis in poſteriori Ciceronis loco eſt, dederit, eamque providentiſſime ad fines ſuos diſpoſuerit, poſtea eas vero ſuis legibus conformiter agere permittat, & ita de rebus amplius naturalibus providentia & influxu ſpeciali non diſpiciat, quæ ſententia Durando olim & Aureolo Cardinali placuit, quem priorem vide *l. II. Sent. diſt. 1. q. 5. diſt. 37. q. 1.* immo Pelagianos huic ſententiæ præluſiſſe poſt Hieronymum pluribus probat PAUL SLEVOGT. *diſſert. acad. p. 361. ſeqq.* quibus ex recentioribus quoque hujus ſententiæ patronos addit illuſtris LEIBNIZIVS Ludovicum Pererium & Bernicrium, *Theodic. P. I. ʃʃ. 27. pag. m. 89.* quibus nos merito adjicimus NIC. TAVRELLVM *de rerum ætern. pag. 2.* & V. C. IO. CLERICVM, *Pneumatol. Sect. III. c. 6. ʃʃ. 10. ſeqq. p. m. 123. ſeqq. & Logic. P. I. c. 10.* qui communem in eo Arminianorum ſententiam ſequitur: Conferendaque ſunt, quæ inter viros ſummos Neutonum, Clarkium & Leibnizium diſputata ſunt, vid. *Recueil des diverſes pieçes de la philoſophie &c. T. I. p. 2. ſeqq.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, quæ ea tantum fini attulimus, ut conſtaret, iſtam ſententiam arriſiſſe viris, quos inter atheos numeraverit nemo. Poſteriori vero tantum ſenſu Stratonem providentiam & concurſum ſive influxum Dei ſuſtuliſſe, allatus Ciceronis locus ipſe ſuadere videtur admodum, quia non tantum in ejus hypotheſi particulæ a Democriti confuſo & fortuito concurſu removentur, ſed Deus non obſcure quoque ſupponitur, quem non negaſſe Stratonem, ſed magno tantum opere (perpetui influxus, concurſus & directionis, contra quod in antecedentibus Vellejus diſputat) liberaſſe, eique operis immunitatem dediſſe Cicero affir-

affirmat (*f*). Et ex his facile, quid ad ſecundum quoque & tertium accuſationis caput reſponderi queat, colligitur; ſcilicet, permiſiſſe quidem naturæ ſuæ plaſticæ materiæ particulas Stratonem, ſine interventu mentis divinæ, ita tamen, ut a Deo iſtam divinitatem, iſtam agendi ſecundum pondera & motus proprios facultatem acceperint, ſemelque primitus motæ a prima cauſſa ſe ipſas porro moverint, rationalique modo, licet ſine ſenſu & intelligentia, coaluerint, & ita aſpectabilis orbis facies enituerit. Hæc enim haud abſimili quoque modo BVRNETIO, quique eum ſecuti ſunt, theoriæ telluris conditoribus placuere, quos tamen nemo ideo inter atheos retulerit, etſi de eorum quoque opinione fatendum ſit, quod de Democriti Strato dixit, ſomnia hæc eſſe non docentis, ſed optantis. Naturæ verò plaſticæ, ſi a ſuprema cauſſa conditæ, materiæque inditæ ſtatuantur, num atheiſmum hylozoicum involvant, videat ipſe CVDWORTHVS, qui in reducendis iſtis naturis plaſticis tantopere ſibi placuit. Et ex his

(*f*) Liberalius hæc nos olim pro Stratone conceſſiſſe, fatemur, ideoque mentem ea de re noſtram *l. c. p.* 849. emendavimus. Et vero quidem ſimile eſt, Stratonem materiam formatam ab æterno, mundumque nunquam genitum rejeciſſe, id enim τύχη, caſusque fortuitus, quo excitata vis interna materiæ eſt ad formationem recipiendam, evincit; aſt indidiſſe Deum materiæ iſtam vim, legesque & virtutem formandi, non potuit Strato, admiſſis ſemel principiis, affirmare, cum non Deo, ſed naturæ materiæ omnem vim divinam, cauſſasque gignendi, augendi minuendique teſte CICERONE *de nat. Deor. l. I. c.* 13. tribuerit. Quod ſi inditam ejusmodi animam materiæ crediidiſſet, non ſenſu privaſſet, non animal eſſe negaviſſet mundum; immo motum ſpontaneum materiæ non vindicaſſet. Naturam enim, quæ unicum in phyſiologia Stratonis principium activum eſt, opponi providentiæ, adeoque, ejus quoque a Deo originem tolli, accuratius ejus mentem inſpicientibus erit manifeſtum. Itaque hanc quidem, quam pro ſuſtinendo in definienda atheiſmi Stratonis quæſtione aſſenſu attulimus rationem, jam abjicimus. Ex his vero corruunt ea quoque, quæ pro excuſanda neceſſitate phyſica Stratonis diximus.

his quoque non neceſſitatem quandam abſolutam, ſed hypotheticam, Spinozæ admodum contrariam, oriri manifeſtum eſt; quia ſcilicet providenti ſupremæ menti hæc via optima viſa, ideo omnia ita diſpoſuit, naturamque hanc plaſticam, rationabiliter ſine ratione, ut ita dicam, agentem, particulis indidit, ut ita elegans, via ſimpliciſſima & maxime naturali, rerum omnium enaſceretur ordo. Quæ certe illuſtri Leibnizio adeo non abſurda videri queunt, ut potius l. c. ipſe neceſſitatem hypotheticam magno niſu defendat, cujus ſcilicet difficultate ingenioſum harmoniæ præſtabilitæ ædificium premitur. Plutarchi vero teſtimonium tantam quidem, quantam videtur habere, vim non habet. Vti enim, ſi adductum ſyſtematis Stratoniani explicationem admittamus, recte Strato negavit; mundum eſſe animal, ſenſu ſcilicet Platonico, de quo loquitur c. I. Plutarchus; ita παχυλῶς ſcripſiſſe hic, ut ſæpius, cenſendus eſt, quando aſſerit, voluiſſe Stratonem, naturam ſequi temerarios fortunæ impetus (*g*). Ciceronis enim teſtimonio aliquoties jam laudato conſtat, Democriteo ſyſtemati, fortuito fortunæ impetui cuncta adſcribenti, ſuum oppoſuiſſe Stratonem, cunctaque ponderibus & motibus naturalibus facta eſſe aſſeruiſſe, quæ cum temerario fortunæ impetu conſiſtere non poſſunt. Vides, vir clariſſime, non minora ſuppetere ad excuſandum & defendendum Stratonem argumenta, quam ad eum accuſandum afferri poſſunt (*h*). In quam vero ad ferendam tandem

(*g*) Salvus eſt locus Plutarchi, ſi obſerves, primo loco poni fortuita, id eſt fortuitum caſum, quem demum ſequitur, quod naturale eſt, nempe vis illa interna & materiæ eſſentialis; adeoque fortunam non pertinere ad ipſam materiæ formationem, quæ ex interna ejus natura neceſſario ſecundum affectiones rerum naturalium perficitur, nihilque cum fortuna commune habet, ſed ad antecedentia.

(*h*) Satis ex his patet, non plus nosmet jam tunc his rationibus tribuiſſe ponderis, quam ad aſſenſum in hac quæſtione retinendum. Quo ſenſu omnes eatenus hic locum habere poſ-

dem inter utramque partem ſententiam diſcedere queamus, via nobis haud facile patet. Audit quidem noſter *Peripateticorum ſummus* PLVTARCHO *l. c. optimus* SIMPLICIO *l. III. φυσ. ἀκρ. c. 23.* immo tertius poſt Ariſtotelem & Theophraſtum in Peripato Doctor, teſte LAERTIO *l. V. ſ. 58.* ſed cum *multa in Phyſicis innovaverit*, monente CICER. *de fin. l. V. p. m. 143. Q q. acad. l. I. p. m. 48. & ab Ariſtotele in multis rebus diſſentiat*, teſte PLVT. l. c. ex Peripato ejusque doctoribus nulla ſententiæ hypotheſiosque hujus hauriri poteſt illuſtratio. Quod ſi libri ejus, qui a LAERT. *l. c. ſ. 58. ſq.* & poſt eum a TH. STANLEIO *hiſt. philoſ. T. I. P. V. p. 498.* & partem quoque a IO. IONSIO *de ſcript. hiſt. phil. l. II. c. 2. p. 121. ſeq.* & alibi enumerantur, imprimis quos *de Diis*, *de Spiritu*, *de cælo &c.* conſcripſit, ſupereſſent, facile forte de ejus mente nobis conſtaret. Sed periere iſti omnes injuria temporis, nec Stratonis quisquam fœtus ſupereſt; librum enim περὶ χρωμάτων, qui inter Ariſtotelis opera comparet, Stratonis eſſe, quod HERM. CONRING. in *Ep. ad Rachelium*, & FR. PATRICIO *diſcuſſ. peripatet. p. 44.* viſum eſt, leviſſima tantum conjectura nititur, qua eadem probabilitate Theophraſto cum MERCVRIALI *Var. Lect. l. III. c. 13.* adſcribi poteſt, monente viro ſummo IO. ALB. FABRICIO *Bibl. Gr. l. III. c. 6. ſ. 20. p. 136.* Non alii itaque nobis fontes ſuppetunt, nec propiores Stratoni teſtes Cicerone & Plutarcho, qui tamen & ab ejus ætate ſatis ſunt remoti, & obſcuri atque ambigui in ſua relatione. Penſitatis itaque utriusque partis argumentis, recte nobis feciſſe videtur ὁ πάνυ IAC. FRID. REIMMANNVS *in hiſt. univ. atheiſmi c. XXVII. ſ. 3. p. 186. ſeqq.*

L 2 quod

ſe conſtat, quatenus mitiorem interpretationem Stratoneis hypotheſibus affricant.

quod ſententiam ſuſpenderit; & de tota hac, de qua hucusque diſceptavimus, quæſtione hoc non injuſte damus judicium:

NON LIQVET (*i*).

OBSERVATIO VII.

De ſecta Elpiſtica (*)

§. I.

Secta Elpiſtica obſcura.

INter δυσνόητα hiſtoriæ, quæ humani intellectus cogitata pandit, veterumque philoſophorum ſententias enarrat, jure meritoque refertur, SECTA ELPISTICORVM, ſive SPERANTIORVM, uni ex veteri-

(*i*) Monuimus in *hiſt. crit. phil. l. c. p.* 846. nondum nos pœnituiſſe, quod in definiendis Stratonis doctrinis ad Pyrrhoniſmi ancoram confugerimus. Ejus autem rationes paulo valentiores, quam in diſſertatione hac attulimus, quæ ex diverſo explicandæ phyſiologiæ Stratoneæ modo ſenſuque depromtæ ſunt, afferri poſſunt, nempe ab obſcuris & incertis veterum narrationibus, quæ non niſi ex legentis & judicantis ingenio nexu inter ſe quodam jungi poſſunt; tum a librorum Stratonis defectu, ſine quibus certi nihil dici poteſt, & omnia ad meras ſuſpiciones redeunt, in quibus ſatius eſt, monente cel. MOSHEMIO *l. c.* ignorantiam fateri, quam pro certis incerta lectori obtrudere. Interim conjecturas & ſuſpiciones haud leves Stratonem premere, quod non ſatis pius erga Numen fuerit, quamvis primi ordinis atheis adſcribendum eſſe non puterimus, lubentes largimur, in hac tamen macula veteribus affricanda lente cauteque incedendum eſſe, ſubinde inculcamus. Et ex his facile dijudicari poſſunt, qui ex parte quoque aſſenſum ſuſpendunt, æquiores Stratoni hunc in modum cl. SCHLOSSERVS in diſſ. *de hylozoiſmo Stratonis*, & B. REIMANNVS *hiſt. ath. ſect. II. c.* 27. §. 3. *p.* 186.

(*) Inſerta eſt hæc diſſertatio *Miſcellaneis Berolin. Tom. V. p.* 223. *ſeqq* & difficillimæ quæſtionis hiſtorico-philoſophicæ, paulo prius a celeberrimo HEVMANNO l. citando propoſitæ ſolvique tentatæ ſolutionem exhibet, quam nec illuſtri, ad quam ſcripta eſt, ſocietati, nec viris paſſim doctis, qui eam recenſuere, diſplicuiſſe, non recularum noſtrarum paupertatem, ſed argumenti jucunditatem & probabilitatem in cauſſa eſſe arbitramur.

veteribus, PLVTARCHO his verbis (*a*) memorata: οἱ προσαγορευθέντες Ἐλπιςικοὶ φιλόσοφοι συνεκτικώτατον εἶναι τοῦ βίου τὸ ἐλπίζειν ἀποφαίνονται. Quæ GVIL. XYLANDER ita tranſtulit (*b*): *Philoſophi, qui a ſpe, quam unice deprædicabant, Elpiſtici dicti ſunt, nihil eſſe pronunciaverunt, quod vitam magis contineat, atque ſpes:* paraphraſten magis, quam interpretem verborum agens, qui ad præteritum tempus minus accurate retulit, quæ de ſuo tempore dixit Plutarchus. In cujus verbis ad vocem συνεκτικώτατον quam maxime attendendum eſt, quæ ſpem tanquam certiſſimum & firmiſſimum vinculum deprædicat, quo tota humanæ vitæ ratio ita continetur, & colligatur quaſi, ut eo tanquam præcipuo nervo nitatur, & quod Symmachus apud PLVTARCHVM (*c*) ſubjicit, *ea vitam non condiente, animumque inter moleſtias vitæ erigente, vita fere ſit intolerabilis,* ita, ut quicquid vita amabile & jucundum, continet, ſpe potiſſimum abſolvatur. Ita enim τὸ συνεκτικὸν illud quod naturam rei quaſi colligat, & in ſtatu ſuo conſervat, ſignificare, veterum ſcriptorum loca facile obvia teſtantur (**). Nec male CICERO αἰτίαν συνεκτικὴν *cauſſam cohibentem in ſe efficientiam*

(*a*) Qq. Conviv. L. IV. q. 4. (*b*) T. VI. p. m. 301. Opp. Plut. (*c*) l. c. (*d*) *Pyrrhon. hyp. l.* III. *ſ.* 15. *p.* 132. (**) Vnum, ne nimii ſimus, ſcriptorem Græcum, at doctiſſimum pariter & φιλοσοφώτατον, vadem damus SEXTVM EMPIRICVM, qui *Pyrrh. hypot. l. III. ſ.* 15. τὰ αἴτια dividens in τὰ μὲν συνεκτικὰ τὰ δὲ συναίτια, τὰ δὲ σύνεργα, continentes, concauſſales, & adjutrices, addit: τὰ συνέκτικα, ὑπάρχειν, ὧν παρόντων, πάρεςι, τὸ ἀποτέλεσμα, καὶ αἰρομένων αἴρεται, καὶ μειουμένων, μειοῦται, *continentes cauſſas eſſe, quibus præſentibus adeſt effectus, & quibus ſublatis tollitur & minutis minuitur.* Ita injectionem laquei cauſſam continentem eſſe dicit ſuffocationis. Deſumſit autem totam iſtam de cauſſis tractationem Sextus Empiricus ex ſchola Stoica, ex quo apparet, in hac de ſpe velut cauſſa συνεκτικῇ diſquiſitione potiſſimum ad Stoicæ ſectæ placita reſpiciendum eſſe. Quam dixiſſe τὰ συνεκτικὰ etiam προκαταρκτικὰ, ex SVIDA *T. I. v.* αἴτιον *p.* 664. facile colligas.

entiam naturalem interpretatus eſt, id eſt, quæ in actu poſita effectum ſtatim ponit, adeoque eum in ſe quaſi continet, ut accurate obſervavit celeberrimus FABRICIVS ad SEXTVM, qui & alibi (*e*) circulum quoque vocat θεώρημα συνεκτικώτατον *theorema omnium generaliſſimum*, quod ſuo ambitu ſuaque natura reliqua fere omnia continet & abſolvit.

Indicta viris doctis. §. II. Etſi vero nulla veterum ſectarum indictabilit viris doctiſſimis, qui in eruenda veteris philoſophiæ hiſtoria deſudarunt: nemo tamen vel veterum vel recentiorum de hac Elpiſtica ſecta certum quid diſſeruit, quod lucem Plutarchi loco accendere poſſet, immo ipſa præſtantiſſimorum criticorum diligentia nihil nobis de hac ſecta detexit. Dum enim viri ſupra vulgi modum eruditiſſimi, & in veteris philoſophiæ doctrinis atque fatis detegendis longe exercitatiſſimi, ejus mentionem faciunt, nihil nobis recitant, niſi locum hunc Plutarchi, ſatis hoc ipſo teſtati, ſe in profuſiſſimæ lectionis promtuario nihil inveniſſe, quod rei majorem lucem fœneretur, unde hæc ſecta inter obſcuras & nemini intellectas manſit. Teſtes volo triumviros in hiſtoria philoſophiæ magni nominis IVSTVM LIPSIVM (*f*), AEGIDIVM MENAGIVM (*g*), & IOANNEM ALBERTVM FABRICIVM (*h*). Vnus CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, vir celeberrimus, qua eſt animi ſagacitate, & in ſolvendis veteris hiſtoriæ philoſophicæ difficultatibus felicitate, eruditam de Elpiſticorum ſecta conjecturam attulit (*i*).

§. III.

(*e*) *adv. Mathem. l.* III. *ſ.* 65. (*f*) *in not. ad* SENEC. *ep.* 13. *p. m.* 234. Mirum autem videri queat, LIPSIVM totum admiratione Stoicæ philoſophiæ captum, & ad ſpem lectorem invitantem Stoicorum decretis firmandam, dum *Manud. ad phil. Stoic. L. III. diſſ. I. T. IV. Opp. p. m.* 747. ad Elpiſticos philoſophos provocat, nec eos damnare audet, non vidiſſe, ex porticu ipſum ad teſtes peregrinos non abiiſſe. (*g*) ad LAERT. l. I. ſ. 17. p. 11. (*h*) *Bibl. Gr. Vol. II. p.* 823. (*i*) *act. Phil. Vol. III. p.* 9. 11. *ſeqq.*

§. III. Non is ego ſum, qui poſt tantos viros certiora & meliora dare vel audeam, vel has tenebras diſpellere ſuſtineam: licebit tamen & mihi meas hac de re conjecturas afferre, ut in medio poſitis argumentis videant, quid maxime probabile ſit, viri quibus *Tentata explicari.*

de meliore luto finxit præcordia Titan.

§. IV. Ita vero ſe habet eruditiſſimi Heumanni conjectura, ut non negem, eam magna ſe probabilitatis ſpecie probare, præſertim elegantiſſima eruditione ornatam. Obſervat ille, indictam veteribus, præter Plutarchum, eſſe hanc ſectam, etſi dubitari vix liceat, certos homines ita fuiſſe appellatos. Nec vero ſimile videri, vel Tibullum vel Ovidium ex hac ſecta homines intelligi, quorum uterque ſpem magnifice deprædicavit, quam vetus Roma Deam coluit. Sibi vero a vero non videri abludere, ſi dicamus, reſpexiſſe Plutarchum ad chriſtianos, qui, dum gentes poſt hanc vitam ſpe carebant (*k*), ſpe futuræ vitæ omnes cruciatus hujus vitæ ſuperabant, deriſi ideo a gentilibus philoſophis, quod adductis TERTVLLIANI, MINVCII FELICIS, & THEOPHILI ANTIOCHENI locis probat, quorum primus (*l*) refert ideo noſtros ab hoſtibus chriſtianæ fidei *Præſumtores* dictos fuiſſe, quod vanam poſt hanc vitam ſpem melioris vitæ præſumerent. Rectum utique, ſi ad rem ipſam, certiſſimam ſanctiſſimæ fidei ὑπόςασιν reſpiciamus; quæ nobis alterius vitæ ſpem, ſi felices eſſe debeamus, proponit (*m*), & certiſſima brabeia promittit, cum gentilibus *ſpes incerti boni ſit*, fatente SENECA (*n*). Dubito tamen valde utrum ad chriſtianos reſpexerit, & chriſtianorum ſacram futuræ beatitatis ſpem riſerit Plutarchus. *Heumanni explicatio.*

L 4 §. V.

(*k*) 1. Theſſ. IV. 13. (*l*) *de teſtimon. animæ c.* 4. (*m*) 1. Cor. XV. 19. (*n*) ep. 10. p. m. 224. conf. GATAKER ad ANTONIN. L IV. §. 21. p. m. 143.

Examinatur. §. V. Ejus dubitationis argumentum haud unum eſt. Oſtendit enim verborum Plutarchi ſeries, eum non de religione cultuve quodam Deorum, ſed de philoſophis ſermonem facere, certamque ſectam denominare, quæ a primario quodam doctrinæ ſuæ capite characterem nomenque accepit, & Elpiſtica dicta fuit. Talem ſectam philoſophicam chriſtianam religionem fuiſſe habitam Plutarchi tempore, vix idoneis evincetur argumentis & teſtimoniis. Non ignoro, ſectam fuiſſe dictam ſanctiſſimam religionem noſtram, verum hoc ad religionem cultusque divini partes ſpectabat, non ad philoſophiam. Hoc reſpectu gentiles chriſtianos, non in verborum & ſapientiæ humanæ apparatu, ſed in demonſtratione veritatis & ſpiritus divina ſalutis conſilia annunciantes, homines putabant non ἀφιλοσόφους tantum, ſed & illiteratos, immo cum ratione inſanientes. Cujus vel unus ſacer hiſtoricus D. LVCAS teſtis eſt, qui (*o*) refert, ſanctum Paulum futuræ reſurrectionis ſpem annunciantem ab Epicureis potiſſimum deriſum eſſe, tanquam ſannionem & deſipientem; nec ipſe divus Paulus diffitetur, Chriſtum crucifixum gentibus ſtultitiam viſum fuiſſe (*p*), id eſt doctrinam abſurdam & philoſophiæ contrariam. Hinc convitium philoſophorum, chriſtianos ἰδιώτας, id eſt, homines rudes & illiteratos vocantium. Cujus teſtimonia pluſcula congeſſit SEBAST. KORTHOLTVS (*q*), qui inter alia hæc affert: *Philoſophaſtro illi apud* LACTANTIVM (*r*) *noſtri audiunt homines imperiti ac ſimplices; Cæcilio Natali, apud* MINVCIVM *iidem ſunt ſtudiorum rudes & literarum profani, indocti, impoliti, aggreſtes, quibus non datum intelligere civilia, multo magis negatum diſſerere divina: profanoque irriſori* LVCIANO (*s*) *ἰδιῶται ἄνθρωποι dicuntur, quemadmodum apud* ISIODORVM

(*o*) *Act. XVII.* 32. (*p*) 1. *Cor. I.* 23. (*q*) In *pagano obtrectat. l. I. c. XI.* §. 1. (*r*) *L. IV. c.* 2. (*s*) In vita Peregrini.

RVM PELVSIOTAM (*t*) ἰδιῶται ἄνδρες, *apud* ORIGENEM (*u*) οἱ ἐπὶ ἰδιωτίᾳ ἐξουθενούμενοι, *apud* HIERONYMVM (*x*) *ruſticæ ſimplicitatis homines vocantur.* Addi plura facile poſſent, & adjiciendus imprimis IVSTINVS MARTYR (*y*), immo ipſe D. LVCAS (*z*), niſi res ipſa ſatis nota eſſet, nec a quoquam, quod ſcio, vocata in dubium (***). Vnum tamen, quod in hoc argumento præcipue conſiderari meretur, adjicio: vocem ἰδιώτης non illiteratum tantum in genere, ſed in ſpecie quoque ἀφιλόσοφον denotare, & cognitioni humanarum divinarumque rerum opponi. Ita enim DAMASCIVS in *vita Iſidori* apud SVIDAM (*aa*) ſignificanter: πάντων τῶν καθ' ἑαυτὸν τῶν ἰδιώτων ὁμοίως καὶ φιλοσόφων ἐχέμυθος, & ORIGINES non minus appoſite (*bb*): οἱ Πυθαγόρειοι κενοτάφια ᾠκοδόμουν τοῖς μετὰ τὸ προτραπῆναι ἐπὶ φιλοσοφίαν πάλιν δρομήσασιν ἐπὶ τὸν ἰδιωτικὸν βίον. Quæ cum ita ſe habeant: ratio non patet, quomodo Plutarchus chriſtianos, imperitiæ in philoſophia publice accuſatos, philoſophorum Elpiſticorum nomine vel laudare vel traducere potuerit.

§. VI. Non tacebo tamen, quod huic potiſſimum argumento poteſt opponi. Scilicet monebit celeberrimus hujus ſententiæ auctor, non ita rarum eſſe, quod chriſtiana religio philoſophia dicatur; non patribus tantum eccleſiæ ſolennem hanc vocem fuiſſe, ut chriſtianam religionem philoſophiam nominarent, cujus exempla copioſe collegere IONSIVS (*cc*), SVICERVS (*dd*), & ipſe cl. HEVMANNVS *Objectio.*

(*t*) *L. X. ep.* 27. (*u*) *contra Celſ. L. III.* (*x*) de S. E. (*y*) *Apol. II. p.* 78. (*z*) *Act. V.* 13. (***) Plura dabit prorſus ad ſcopum ferientia eruditiſſimus LAMIVS in elegantiſſimo libro *de eruditione Apoſtolorum c. VI. ſeqq. p.* 106. *ſeqq.* (*aa*) *T. II.* v. ἰδιώτης *p.* 97. *Ed. Kuſt.* (*bb*) *contra Celſ. l. II. p.* 69. *ed. Hoeſch.* (*cc*) *de ſcr. H. Phil. l. III. c.* 4. *p.* 227. (*dd*) *in theſ. Eccl.* v. *philoſophia.*

NVS (*ee*), ut alios taceam, ſed & doctam fuiſſe & veriſimilem conjecturam STEPHANI LEMOYNE (*ff*), chriſtianam religionem apud ATHENÆVM (*gg*) vocari χρηστὴν φιλοσοφίαν. Ita enim ſcriptor elegantiſſimus: ὥσπερ νηστείαν ἄγοντες καὶ περιμένοντες τὸ ἀνατέλλον ἄστρον, ὃν φασὶ μὴ φανέντος οἱ τὴν ταυτὴν φιλοσοφίαν χρηστὴν εὑρόντες, νόμιμον εἶναι μηδενὸς γένεσθαι, i. e. *Sicut ii, qui jejunant, expectantes, dum oriatur ſidus, nam qui optimam iſtam philoſophiam excogitarunt, nefas eſſe exiſtimant, quicquam guſtare, priusquam illud appareat*: quæ non commodius ulli ſectæ applicantur, quam chriſtianorum cœtui. Immo ipſum divinum ſanctiſſimæ religionis noſtræ auctorem Chriſtum philoſophum habitum fuiſſe a gentilibus philoſophis, & ut talem commendatum, cujus confirmandi otium nobis fecit, elegantiſſima ſumme venerabilis MOSHEMII eruditio, qui id nuper plane confecit (*hh*): quibus nihil addo, niſi LVCIANVM Deorum hominumque irriſorem (*ii*), Peregrino pſeudo-philoſopho Chriſtum comitem adjungere, quod καινὴν πάντην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον, quibus verbis ad Orphicas & Pythagoricas teletas & myſteria alludit, quibus infenſiſſimus erat homo Epicurea de Diis ſententia totus occupatus, ex quorum cenſu noſtrum ſervatorem fuiſſe impie & abſurde putavit, Apollonio & Alexandro impoſtoribus, quos falſe ridet, ſimilem. Ex quibus facile inferre quis poſſit, non inſolitum ipſis gentilibus philoſophis fuiſſe chriſtianos philoſophorum nomine non tam cohoneſtare, quam traducere.

§. VII.

(*ee*) *Act. Phil. Vol. I. p. 80. ſeq.* (*ff*) *Obſ. SS. p. 967.* (*gg*) *Deipnoſoph. L. IV.* (*hh*) in diſſ. *de turbata per Platonicos recentiores Eccleſia* ad Calc. CVDWORTHI §. 23. *p.* 23. add. *hiſtor. crit. philoſ. T. II. p. 273. ſeqq.* (*ii*) In vita Peregr. *T. IV. opp. p. m.* 220.

§. VII. Speciem fateor hæc ſibi prima fronte conciliant, profundius tamen examinata parum ad rem faciunt. Doctoribus enim eccleſiæ, quibus ſanctiſſima religio philoſophia audit, longe alia ſedit ſententia. Hi enim ad ſpolia Ægypti, quæ Auguſtini vox eſt, id eſt, ad ſurreptas Hebræis, quod quidem credebant & jactabant, a gentibus doctrinas reſpicientes, hasque ſibi, tanquam reliquias divinioris ſapientiæ vindicantes, divinum ſyſtema perfectam philoſophiam, Hebræorum ſcilicet & antiquiſſimam, referre putabant, hocque ſenſu *ματαιολογίᾳ* gentili opponebant, hanc tanquam diaboli opus vehementer culpantes quod prolixius oſtendit FR. BALTUS (*kk*), ſuccinente GODOFR. ARNOLDO (*ll*), quo ſenſu Plutarchum ad vocem philoſophiæ reſpexiſſe, eaque chriſtianæ doctrinæ illuſiſſe dici ulla probabilitatis ſpecie non licet (†). Athenæi vero locus ita dubius eſt, ut ipſe doctiſſimus Monachius fateatur, eum de gentilibus recte quoque poſſe intelligi, quibus jejunare mos usque ad ortum veſperis, quod vel unius TERTVLLIANI fide adſtruitur, qui ita (*mm*): *fidem abſtinentiæ affectant, & ſtellæ auctoritatem demorantis ſuſpirant.* Quod ſi inter ſectas philoſophicas ejusmodi jejunia quærere libet, a Chriſtianis ſacris remotas, exhibebit PHILO celebratiſſimam apud Ægyptios Therapeutarum ſectam, quo teſte (*nn*), *σιτίον ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αὐτῶν προσενέγκατο, πρὸ ἡλίου δύσεος, ἐπιδὴ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους τε τὰς σωματικὰς ἀνάγκας, nec cibum, nec potum quisquam eorum ſumit ante ſolis occaſum, quod philoſophari*

Soluta.

(*kk*) *defenſe des Ss. Peres accuſez de Platoniſme l. II. ch. 12.* (*ll*) *delin. Chriſt. primævi l. VI. c. 5. §. 10. p. 102.*
(†) Accurate, niſi fallimur, poſt hæc, quæ h. l. ſcripſimus, quo ſenſu philoſophiæ nomine Chriſtianam religionem inſigniverint veteres, expoſuimus in *hiſtor. crit. phil. T. III. p. 242. ſeqq.* quæ, ſi placet, cum his comparari poſſunt. (*mm*) *de jejun. c. 16.* (*nn*) *de vita contempl. p. 894.*

ſophari luci convenire, corpus vero curare tenebris dignum judicent. Nec id alienum a moribus Pythagoreorum philoſophorum, quorum propago illi fuerunt; ii enim magiſtrum quadraginta dierum jejunium ſervaviſſe jactantes, ad jejunii rationem ita ſe componebant, ut ad formandam animo abſtinentiam haud raro impranſi abirent. Rem alio loco, ubi de victus ratione Pythagorica diſſerui, indictam mihi notabili DIODORI loco (*oo*) illuſtrare liceat, ita vero ille: ὅτι ἐποιοῦντο καὶ τῆς ἐγκρατείας γυμνασίαν τόνδε τὸν τρόπον παρασκευασάμενοι πάντα τὰ κατὰ λαμπροτάτας ἑστιάσεις παρατιθέμενα πολλὺν αὐτοῖς ἐνέβλεπον χρόνον εἶτα διὰ τῆς θέας τὰς τῆς φύσεως ἐπιθυμίας πρὸς τὴν ἀπόλαυσιν ἐκκαλεσάμενοι τὰς τραπέζας ἐκέλευον αἴρειν τοὺς παῖδας καὶ παραχρῆμα ἄγευστοι τῶν παραθέντων ἐχωρίζοντο. *Iidem* (Pythagorei) *ad abſtinentiam ſe ipſi formabant hujuscemodi exercitatione. Apparato enim omni genere cupediarum, quæ in ſolemnioribus conviviis apponi ſolent, cum diutiſſime oculos ſuos paviſſent, eoque ſpectaculo cupiditates natura inſitas adeſum provocaſſent, ſtatim menſam tolli jubebant, & ita impranſi abibant.* Quem veterum Pythagoreorum morem imitati recentiores Platonici, magnum quoque in re ſacra jejuniis ejusmodi pretium ſtatuerunt. Cujus rei exemplum luculentum eſt, haud infimi inter eos nominis philoſophus Proclus; qui, narrante MARINO (*pp*), ἰδιαίτερον τινὰς ἐνήστευεν ἡμέρας ἐξ ἐπιφανείας, *certis diebus jejunavit circa apparentias lunæ.* Ex quibus facile, ſi res exigeret, augendis, ſatis ſuperque conſtat, fruſtra Monachium Athenæi locum ad chriſtianos ἀφιλοσόφους traxiſſe, quæ multo probabilius ad ipſos gentilium philoſophos, vel ſi mavis, ad Judæos φιλοσοφοῦντας, pertinent. Tandem nec illud rem hanc valde juvat, Chriſtum inter philoſophos, adderem ego,

(*oo*) in *Excerptis Peireſc. p.* 245. (*pp*) in *vita Procli c.* 19.

ego, inter philoſophorum principes & heroas relatum eſſe a gentilibus. Vti enim id ſerius forte Plutarchi ætate factum eſt: ita originem potiſſimum debet ſectæ Platonicæ, quæ in Ægypto Eclecticum philoſophandi genus erexit. Illa enim, cum orientalis ſapientiæ titulo ſuperbiret, & magnorum heroum nominibus ſua philoſophemata ornaret, cautius agere, & chriſtianæ religionis incrementis obicem ponere melius non poterat, quam ſi Chriſtum, cujus inſignem miraculorum multitudinem & divinam doctrinam penitus negare non audebat, ſuæ familiæ heroibus adſcriberet, & ejus animam ſanctam fuiſſe, & ex cœlo in terram demiſſam, Pythagoræ, Apollonio & aliis hujus generis ſimilem aſſereret: facile ita divinitatem filii DEI ſubrutura. Ne tamen id chriſtianis faveret, ſtudioſe cavebat, inque eo quam maxime occupata erat, ut oſtenderet, quam longo itinere chriſtiani a magiſtro diſceſſiſſent, quod prolixius probantem cel. MOSHEMIVM (*qq*) legere juvat. Quæ omnia ut minime evincunt chriſtianos philoſophos habitos fuiſſe a gentilibus philoſophis, ita ad Plutarchum quoque trahi non poſſunt, ante conditam Eclecticam ſectam fato functum.

§. VIII. Relinquendi itaque chriſtiani, ſpe licet optima fulti, & Sperantiorum nomine præ tota gentilium philoſophorum cohorte digni, & inter gentiles Elpiſtici quærendi ſunt. Quorum nomen Græcum ſatis nobis indicio eſt, inter Græcos ignotam hanc ſectam quærendam eſſe. Index nobis viæ ſtatuendus ipſe ille eſt, qui nomen illi ſectæ indidit character, a ſpe totam vitæ rationem vinculo quaſi coarctante, illiusque dulcedinem in ſe continente deſumtus (††). Eum vero inter Græcos poëtas facile quis quæſiverit. Dabo *Græci Poëta Elpiſtici.*

(*qq*) *l. c.* (††) Dignus, qui hic comparetur cum dictis eleganti ſſimus GASSENDVS *Phyſ. ſect. III. m. II. l. X. c. 6. T. II. Opp. p.* 497. *ſeqq.*

Dabo unum itemque alterum locum, ut aſſerto ſua conſtet veritas; EVRIPIDES (*rr*)

> Ἐν ἐλπίσιν χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
> *Spe decet ſapientes vitam continere.*

& alibi (*ss*)

> Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσιν
> Πέποιθεν ἀεὶ, τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ.
> *Optimus autem ille vir eſt, qui ſpe*
> *Semper fretus fuerit, deſperare vero mali viri eſt.*

THEOGNIS (*).

> Ἔλπις ἐν ἀνθρώποις μούνη Θεῶ, ἐσθλὸ ἔνεστι
> Ἄλλοι δ' οὔλυμπόν δ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

Quod ita vertit OVIDIVS (*tt*)

> *Hæc Dea, cum fugerent ſceleratas Numina terras*
> *In Diis inviſa ſola remanſit humo.*

THEOCRITVS (*uu*),

> Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
> *Spes eſt inter vivos, mortuorum vero nulla ſpes eſt.*

Plura non addo, invenienda apud STOBAEVM (*xx*) & florilegos alios, in ejusmodi ſententiis colligendis diligentes. Dubito tamen vehementer, an quis oculatus poëtas Græcos in verbis Plutarchi deprehendere queat. Nominat is enim philoſophos, id eſt, tales, qui doctrinæ certum ſyſtema condunt, idque vel ſpei inædificant, vel ad ſpem tanquam ultimam metam (utrumque enim patitur vox συνεκτικὸς) referunt. Deſeramus itaque poëtas quoque, nec congeremus anxie hiſtoricorum ſententias ſpem deprædicantes. Quis enim ſcriptorum ſpei, ubi occa-

ſio

(*rr*) in *Inone.* (*ss*) In *Herc. fur.* (*) *Gnom. v.* 113. conf. omn. *v.* 638. & ſubjunctæ diverſorum gnomæ, *Gnomographis vet. p.* 211. (*tt*) de Ponto *l.* 1. *eleg.* 6. (*uu*) in Idyl. (*xx*) *Eclog. Ethic. Ser. CCXI. p.* 853. ed. Wechel.

ſio tulit, laudis tabulas non ſuſpendit, & quot ita habebimus philoſophos? Græcanicæ itaque philoſophorum ſectæ peragrandæ ſunt, & videndum, num inter eas ſyſtema aliquod inveniatur, quod a ſpe, quæ vitam quaſi continet, & ejus miſerias demulcet, tanquam a fine philoſophiæ Elpiſticorum nomini originem atque natales dedit.

§. IX. Antequam vero curioſo oculo philoſophorum Græcorum caſtra perluſtramus, juvabit admodum hanc rem, obſervare, quod hiſtoriæ philoſophiæ veteris peritis ſatis notum eſſe puto, ſectas Græcanicas, non a conditoribus tantum ſuis eorumque patria, & a loco, ubi docebant, accepiſſe nomen Ionicorum, Socraticorum, Platonicorum, Ariſtotelicorum vel Peripateticorum, Eleaticorum, Stoicorum, Epicureorum, ſed & a varia ſyſtematis conditione, ſcopo, argumento modoque philoſophandi ſortitas eſſe appellationes & nomina. Malo id veterum verbis, quam meis, exprimere, etſi in re ſatis nota teſtimoniis vix opus ſit. Eleganter LAERTIVS (*yy*): Τῶν φιλοσόφων οἱ μὲν ἀπὸ πολέων προσηγορεύθησαν, ὡς οἱ Ἠλειακόι - - οἱ δὲ ἀπὸ τόπων, ὡς οἱ Ἀκαδημαϊκοὶ καὶ Στωϊκοὶ, ἀπὸ συμπτομάτων δὲ ὡς οἱ Περιπατητικοὶ, καὶ ἀπὸ σκομμάτων, ὡς οἱ Κυνικοί. οἱ δὲ ἀπὸ διαθέσεων, ὡς οἱ Εὐδαιμονικοί, τινὲς ἀπὸ οἰήσεως ὡς οἱ Φιλαλήθεις, καὶ Ἐκλεκτικοὶ, καὶ Ἀναλογητικοί· ἔνιοι δὲ ἀπὸ διδασκάλων, ὡς οἱ Σωκρατικοὶ, καὶ Ἐπικούρειοι, καὶ τὰ ὅμοια, καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσιν πραγματείας Φυσικοί· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς περὶ τὰ ἤθη σχολῆς Ἠθικοί· Διαλεκτικοὶ δὲ ὅσοι τὴν τῶν λόγων τερθρείαν κατατρίβονται. *Philoſophorum alii a civitatibus ſunt appellati, ut Eliaci, Megarici, Eretriaci, Cyrenaici; alii a locis, ut Academici, Stoici; quidam ab accidentali circumſtantia, ut Peripatetici; nonnulli a cavilla-*

Sectarum cognomina unde hauſta.

(*yy*) *l. I.* 17.

villationibus, ut Cynici; alii ab affectionibus ut Eudæmonici; quidam ab arroganti opinione, ut Phialethes Eclectici & Analogici. Sunt & quidam a præceptoribus dicti, ut Socratici, Epicurei; itemque alii, qui de natura diſſeruerunt, Phyſici, alii qui circa hominum mores occupati erant Ethici, cæteri a diſſerendo verborumque Dialectici vocati ſunt. Accuratius SIMPLICIVS (zz), appellationes philoſophorum in ſeptem claſſes diſtribuit, nomine ſectæ deſumto *vel a conditore, ut Platonici, vel a patria conditoris, ut Eleatici, vel loco ubi philoſophabantur, ut Stoici, vel ab accidentali operatione, ut Peripatetici, vel a judicio in philoſophando adhibito, ut Ephectici, vel a fine philoſophiæ, ut Hedonici, vel a genere vivendi, ut Cynici.* Verba græca habes apud MENAGIVM (*a*), qui & ſimilem AMMONII locum (*b*) exhibet, cum his conferendum. Ex his vero philoſophicarum ſectarum nominibus clare patet, unam eandemque ſectam duo vel plura etiam tuliſſe nomina, & Platonicos a conditore quidem nomen, a loco vero Academicorum appellationem accepiſſe; Ariſtippi vero ſequaces tum a conditoris patria Cyrenaicorum, tum a ſcopo medioque philoſophiæ ſuæ Hedonicorum nomen fuiſſe ſortitos: ſicque in ceteris rationem appellationis etiam a ſyſtematis atque doctrinæ ſumma, medio, modo, fine fuiſſe ductam. Recte itaque in hac noſtra diſquiſitione, niſi fallor, pedem promovebimus, ſi non aliam, niſi jam cognitam & celebratam aliquam Græcorum ſectam ſub Elpiſticorum nomine quæramus; cui ſcilicet præter nomen ſolitum atque celebre, aliquod minus celebratum quoque hæſit. Nihil enim ita nos impediet, quod Elpiſticorum appellatio uni Plutarcho uſurpata ceteris taceatur. Ejusmodi enim cognomina, ſecundaria quaſi, ſectis data ſæpe dedecoris & ridendi cauſſa, & ἀπὸ

σκωμμά

(zz) *Præf. Cat. Ariſt.* (*a*) *ad l. c. Laërt.* (*b*) *ad Categ. Ariſt.*

σκομμάτων, quæ ſupra LAERTII vox fuit, indeque uſu non ſatis adhibita (**) Philalethes, Analogicos, Eudæmonicos nobis propinavit Laërtius: quis vero non obſcura hæc & incerta nomina eſſe fatebitur, hærebitque, cui potiſſimum ſectæ adſcribat?

§. X. Agedum itaque, accedamus propius Græcanicos philoſophos, & luſtratis eorum ſyſtematibus latentem, ſi qua licet, protrahemus ſpem ex tenebris. Vbi vero ad antiquiſſima philoſophorum genera reſpicimus, nihil tale invenimus in Ionicorum ſecta, nihil in Eleatica. Illa enim ad naturales rationes hujus univerſi ſola attenta, de efficiente & finali cauſſa, liceat ita loqui, parum fuit ſollicita, hocque ipſo atheiſmi notam a plurimis meruit, jure vel injuria? hic non dixerim. Quæ cauſſa quoque eſt, cur Socrates ex horum ſchola ortus, philoſophiam a cœlo ejusque contemplatione ad terram & animum humanum deduxit, ut felicitatis humanæ ratio eo magis in philoſophia haberetur. Eleatici vero ad Leucippum usque, dum univerſale principium adhibuere unum, totum, infinitum, ſibi ſimile, immobile, immutabile, quod omnia comprehendit, ſpem quoque mutationis & reſtituendæ felicitatis homini promittere non poterant, quippe qui & ipſe jam hujus univerſi pars eſt, nec ſperare poteſt, quod non actu ipſe jam poſſideat. Idem fere de Heraclito dixerim, qui animam Dei particulam cum aliis fecit, rationibusque univerſi ita implicuit, ut extra ſe nihil homo habeat, quod ſperet; & in homine quoque dum finem voluntatis ſummumque bonum in *εὐαρεστήσει* ſive beneplacito conſtituit, quod in ipſo homine jam reſidet, ad ſpem futuram, doctrinæ ſcopo, reſpicere non potuit. Nec meliorem locum in ſyſtemate

Secta Græc. an Elpiſtica.

(**) Etiam philoſophos quosdam ſeveriores hujus generis nominibus fuiſſe uſos, ut pſeudo-philoſophiam ſectarum quarundam contemnerent, memorabili CEBETIS loco in *tab. p. m.* 27. ed. Salm. conſtat.

mate Leucippi, Democriti (***) & Epicuri ſpes tenet, qui philoſophi, ut erant illis inſenſiſſimi, qui rationes ſenſibus non pervias rerum naturæ explicandæ adhibebant, ita totum ſyſtema ſuum ſic adornabant, ut poſt mortem nulla homini ſpes remaneret, immo ipſa hæc ſpes a doctrinæ ſuæ œconomia prorſus exularet. Quid enim ſpes, ſi fortuito atomorum concurſu, ſine mente, ſine directione omnia oriuntur & fiunt, ſubitaque reſolutione fortuitoque caſu extinguuntur? Omnia hic ad præſentem vitæ confidentiam & acquieſcentiam referuntur: interpretem volo ſenem Gargettium, qui κυρίας δόξας ita claudit: ὅσοι τὴν δύναμιν ἔσχον τοῦ τὸ θαῤῥεῖν μάλιστα ἐκ τῶν ὁμοϱοῦντον παρασκευάσασθαι, οὗτοι καὶ ἐβίωσαν μετ᾽ ἀλλήλων ἥδιστον. *Qui iis viribus fuere, ut certiſſimam ex finitimis confidentiam compararent, ii jucundiſſimam inter ſe vitam transegere*; referente LAERTIO (*c*). Idem facile dixeris de Ariſtotelis ſyſtemate, qui dum ethicam ſuam parabili & civili inter Græcos felicitati accommodavit, virtutemque in mediocritate poſuit, locum vix habuit, ut ſpem majoris felicitatis futuro hominis bono ponat, qui ſummam jam in ſe felicitatem ex mente Stagiritæ poſſidet, ubi ad hanc metam in hac vita pervenerit. De futura enim ſollicitus non erat Ariſtoteles.

Elpiſtici in genere. §. XI. Reſtat adhuc haud deterior philoſophorum pars, Pythagoræ ſcilicet & Socratis ſchola, quique ex his prodiere Platonici, Cynici & Stoici, inter quorum doctrinas ſpes ita emicat, ut

lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Pythagoras enim ad maximam ſpem erexit diſcipulos; & poſtquam eos docuit:

Μήτε

(***) Dixit quidem Democritus: ἐλπίδας τῶν ὀρθὰ φρονέοντων, ἐφικταὶ, *ſpes recte ſentientium obtinere*, apud STOBAEUM *ſerm.* 261. *p.* 854. verum hoc nihil ad philoſophiam horum philoſophorum eſotericam ſpectabat, ſed de vita hominum, quæ ſpe regitur, vulgarem ſententiam proponebat. (*c*) *l. X. ſ.* 154.

Μήτε ἄελπτ' ἐλπίζειν μήτε τὶ λήθειν.

Non ſperanda non ſperare, neque quicquam habere latens,

tandem hunc philoſophiæ finem erecto digito oſtendit:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερος ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

quod ita vertit CHALCIDIVS.

Corpore depoſito cum liber ad æthera perges
Evades hominem, factus DEUS ætheris almi.

Quæ verba aureum carmen magnifica voce claudunt, & ſigillo quaſi, quæ Senecæ vox eſt, muniunt, ſi non ab ipſo Pythagora, quod lubens concedo, ab aliquo tamen genuinorum diſcipulorum profectum, forte ab ipſo Empedocle, qui in eundem ſenſum apud SEXTVM EMPIRICVM (*d*) & LAERTIVM (*e*):

Χαίρετ' ἐγὼ ὑμῖν Θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς
Πωλῶμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος.

Salvete, ipſe Deus vobis ego, mortis & expers
Sum cunctos inter decoratus.

Quam Pythagoreorum ſpem, tanquam ultimum philoſophiæ finem, defendit Pythagoreiſmi incruſtrator Apollonius. Tyaneus apud PHILOSTRATVM (*f*). Non itaque doctrina abludit ab Elpiſticorum nomine ſecta Pythagoreorum: videntur tamen mihi verba Plutarchi commode ad hanc ſectam trahi non poſſe; ea enim diu intermortua inter Græcos aſſeclas non inveniebat: Plutarchum vero de ſecta recentiore, & adhuc ſuo tempore vigente loqui, ſeries verborum ſatis luculenter evincit.

M 2 §. XII.

(*d*) *adv. Math. l. I. ſ.* 302. (*e*) *l. VIII. ſ.* 64. (*f*) *l. VIII. c.* 7. *ſ.* 6. *p.* 315.

Socratis ſchola. §. XII. Propius itaque accedere ad Plutarchi tempora neceſſe eſt, & celebriores examinare philoſophos. Inter quos ſi Platonis ſcholæ primum locum dedero, nihil faciam a judicio veterum alienum. Quid vero de ſpe, maximo humanæ vitæ vinculo & fulcro Plato? Iudicabimus de philoſopho ex præceptoribus. Vſus eſt vero tum Pythagoræ diſcipulis, tum Socrate: ab illis ſpem futuræ vitæ, hujus ſatis amplum præmium, potuiſſe diſcere, jam evictum eſt, nec ex alio fonte deducendus ultimus philoſophiæ ejus finis, qui eſt Deo quantumpote aſſimilari; quod quia alibi prolixe probatum dedi, hic pluribus adſtruere ſuperſedeo. Socrates vero, quid hac de re docuerit, nemo elegantius expoſuit, quam ipſe Plato, qui in celebratiſſimo dialogo, quem *Phædonis* nomine inſignivit, & in quo ultima Socratis elegantiſſime expoſuit, in eo totus eſt, ut oſtendat, magiſtrum de immortalitate animæ perſuaſum, hac unica ſpe, non præteritæ tantum vitæ, ſed & præſentis miſerias, inſtantisque mortis metum ſuperaviſſe. Totum deſcribendum eſſet præſtantiſſimum colloquium, ſi plenis plauſtris congerere vellemus, quæ de magna hac futuræ vitæ ſpe ibi dicuntur: libabimus tamen pauca Latino FICINI calamo, ut brevitati conſulamus. Ita vero philoſophus inter Græcos maximus: *Niſi me migraturum putarem: primum quidem ad Deos alios ſapientes & bonos, deinde ad homines defunctos, his, qui hic ſunt meliores, injuſte agerem, non moleſte ferens mortem. Nunc certum habetote*, ſperare *me ad viros bonos iturum, ſed hoc quidem haud omnino aſſeverarem. Quod vero ad Deos dominos valde bonos iturus ſum, certum habetote, ſi quid aliud ejusmodi, & hoc utique me affirmaturum. Propterea haud ſimiliter mortem moleſte fero: ſed bono animo ſum*, ſperoque *ſupereſſe aliquid his, qui defuncti ſunt, atque ut jam diu dicitur, multo melius bonis fore, quam malis.* In ſequentibus mox rationem hujus ſpei dare juſſus, promittit, ſe

ratio-

rationem redditurum, ob quam ſibi videatur *vir, qui per omnem vitam incubuerit philoſophiæ, merito magna cum* fiducia *imminentem expectare mortem; atque* bona ſpe eſſe, *ſe ibi, poſtquam hinc migraverit, maxima bona reportaturum.* Sentiebant ſatis diſcipuli Socratis, ad hanc ſpem pleraque totius philoſophiæ capita collineare, unde Cebes ſermone ſuſcepto hanc potiſſimum optimo magiſtro objectionem formavit: *Profecto ſi eſſet anima alicubi collecta in ſemetipſam, & ab his malis, quæ tu modo narrabas, liberata, multa nimirum bonaque* ſpes eſſet, *o Socrates, vera, quæ dicebas fore: Cæterum ad id fortaſſe perſuaſione fideque non parva opus eſt, ut credatur, animam ſupereſſe poſt interitum hominis, atque aliquam vim atque intelligentiam habere.* Quam objectionem ita probat Socrates, ut addat, probabilitatem hujus ſpei futuræ vitæ animorum ex veteri ſermone ſatis conſtare, quam deinde rationibus quoque munit, quas apud ipſum Platonem legiſſe, neminem pœnitebit: hic ſane adducendæ non ſunt, ne limites excedat diſſertatio. Satis enim, quæ allata ſunt, evincunt, quæ ſpes animo magni philoſophi inſederit, qua moleſtiſſima & triſtiſſima vitæ fata emollivit. Fluctuabat aliquantum Socrates, ut patet ex fine dialogi, & pridem notavit GATAKERVS (*g*): verum hoc Elpiſticum, ut ita dicam, Socratis ſyſtema non evellit, ſed roborat. Ducebatur potiſſimum Socrates ad credendam futuram animorum vitæ ſpem, veteri traditione rationibusq; confirmata; quod cognitionis genus, uti ab omni metu contrarii philoſophum liberare non poterat, ita tamen ſpem excitabat, quæ eſt probabilis perſuaſio de propinquitate futuri boni: alias, ſi invictis & indubitatis prorſus rationibus id eviciſſet Socrates, ſpes non fuiſſet amplius, ſed certitudo. Non errabimus itaque, ſi Socratem, ut plerarumque Græcanicarum ſectarum, ita Elpiſticæ quoque, fontem parentemque faciamus.

(*g*) ad ANTONIN. *l. IV.* §. 21. *p.* 143.

Plato. §. XIII. Socrate ita vitæ miſerias ſpe melioris poſt hanc vitæ condiente; mirum non eſt, ex hoc fonte ad philoſophos, qui ex ejus ſchola prodierunt, hanc quoque doctrinam dimanaſſe; ex quibus diſpiciendum jam eſt, cui potiſſimum ſectæ nomen Elpiſticorum conveniat. Et quod ad Platonem quidem attinet, is haud uno loco ſpem hanc condimentum hujus vitæ atque ſcopum eſſe prodidit. Inter alia admodum luculenter (*b*), Cephalus ad Socratem de commodis & incommodis ſenectutis diſſerens, *certe ſcias*, inquit, *quod poſtquam eo devenit aliquis, ut brevi ſe moriturum opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum, quæ in ſuperiori vita neglexit: etenim fabulæ, quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos, qui injuſte egerunt, pœnas illic dare oporteat, irriſæ hactenus movent tum animum, ne forte veræ ſint, ſuſpicantem: atque ipſe ſive propter ſenectutis debilitatem, ſive quod alteri vitæ propinquior illa acutius videt, ſollicitudine & timore plenus redditur, atque reputat examinatque, ſi quem injuria aliqua affecerit. Qui ergo invenerit multas ejus in vita iniquitates, ex ipſo ſomno tanquam puer frequenter excitus extimeſcit, & peſſima in ſpe vivit: qui autem nullius injuriæ ſibi conſcius eſt, huic jucunda ſpes ſemper adeſt, optima ſenectutis nutrix, quemadmodum Pindarus ait, recte namque o Socrates cecinit. Quicunque videlicet juſte ſancteque vitam exigit, dulcis eum ſpes comitatur, cor nutriens, ſenectutemque fovens, quæ maxime hominum volubilem gubernat animum.* Nihil poterat dici magis ad rem aptum, quám jucundam ſpem vitam ſanctam juſtamque comitari, corque nutrire & ſenectutem fovere, quod Elpiſticum ſyſtema maxime comprehendit. Non vero Plato ſolus ita ex ſchola Socratis, ſed & Cynici ab Antiſthene Socratis poſteritas. Inter quos appoſite admodum Diogenes interrogatus: τί τῶν κατὰ

τὸν

(*b*) de Rep. *l. I.*

τὸν βίον ἀκρότατον, *quidnam in vita extremum*, i. e. quis ſummus atque ultimus finis ſit, reſpondit: *ſpes* (*i*).

§. XIV. Nemo vero majori apparatu magnam hanc futuræ felicitatis ſpem adſtruxit quam Stoici: quorum conditor Zeno, ut Cynicum ex ſchola Socratis magiſtrum habuit, ita philoſophiæ ſuæ ſyſtema Pythagoreo Socraticoque admodum attemperavit, ut alibi fuſe docui. Et hæc quidem ſecta non paria tantum habet iis, quæ ex Socratis ore percepimus, ſed & majora quoque & talia, quæ ſatis manifeſte evincunt, ad ſpem futuræ poſt hanc vitam felicitatis erexiſſe animos, hacque potiſſimum medicina feſſam cura & ſollicitudine mentem fuiſſe conſolatam, ſic ut vitæ condimentum, vinculum atque ſummam futuræ vitæ ſpem eſſe cenſuerit. Non ignotum eſt phyſiologiæ Stoicæ gnaris, philoſophos hos, qui ex Jove & materia omnia eduxerunt, docuiſſe, rediturum poſt mortem ad Jovem animam, & virtutis quidem alumnorum ad ſidera elatam cum Diis triumphaturam, & inter ſidera collocandam eſſe. Huc præcipuæ Stoicorum ſententiæ de animæ ſede poſt fata ſuperſtitis, etſi verbis magis, quam re, inter ſe variant, quas tamen enarrare hujus loci non eſt, videndas apud IVSTVM LIPSIVM (*k*). Etſi ſedem quoque ad tempus infra lunam intermediam purgandis & eluendis a ſordibus animis aſſignavere, de qua re videndus SENECA (*l*), ubi ita Stoicorum ſpem exprimit: *Integer ille nihilque in terris relinquens, paulumque ſupra nos commoratus, dum expurgat inhærentia vitia, ſitumque omnem mortalis ævi excutit, deinde ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cœtus ſacer, Scipiones Catonesque. Pater tuus, Marcia, illic nepotem ſuum applicat*

In ſpecie Stoici.

M 4

(*i*) STOBAEVS *ſerm. eth. CCLXI. p. m.* 814. (*k*) Phyſiol. Stoic. *l. III. diſſ. XIV. p. m.* 328. *ſqq.* (*l*) Conſolat. ad *Marc. c.* 25.

applicat ſibi & vicinorum ſiderum meatus docet. Quæ ut appoſite ad ſyſtema Stoicum & congruenter dicta ſunt, ita potiſſimum lucem capiunt ex iis, quæ de ſtatu animarum poſt mortem, magis φιλοσοφικῶς, ex mente ſuorum habet ANTONINVS (*m*), *αἱ εἰς τὸν ἀέρα μεθιστάμεναι ψυχαὶ ἐπὶ πόσον συμμείνασαι, μεταβάλλουσι καὶ χέονται, καὶ ἐξάπτονται εἰς τὴν τῶν ὅλων σπερματικὸν λόγον ἀναλαμβόμεναι.* *Animæ in aërem translatæ, ubi aliquandiu ibi perſtiterint, mutantur, funduntur, ſuccenduntur, in ſeminalem univerſi rationem* (qui ipſiſſimus ſtatus chaoticus vel ſi mavis, ipſe Deus, Jupiter, natura, univerſum, &c. Stoicorum eſt), *receptæ.* Hæc illa ſpes, hæc converſatio cum Diis, immo cum ipſo Jove, hæc vicinitas ſiderum eſt, quam tanquam maximam ſpem hominibus propinabat Stoica familia (*n*). Vbi non poſſum, quin adſcribam magna verba SENECÆ ad Lucilium ſuum (*o*): *cum venerit ille dies, qui mixtum hoc divini humanique ſecernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam; ipſe me Diis reddam, nec nunc ſine illis ſum, ſed gravi terrenoque detineor - - alia origo nos expectat, alius ſtatus, nondum cœlum niſi ex intervallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Dies iſte, quem tanquam æternum reformidas, æterni natalis eſt. Depone onus, quid cunctaris, quaſi non prius quoque relicto, in quo latebas, corpore, exieris. Hæres & reluctaris? - - æquo animo nunc membra ſupervacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu pone: ſcindetur, obruetur, abolebitur; quid contriſtaris? ita ſolet fieri, pereunt ſemper velamenta naſcentium: quid iſta ſic diligis quaſi tua? iſtis opertus es. Veniet, qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi & olidi ventris educat. Hinc nunc quoque, quantum potes, ſubvola;*

(*m*) ad ſeipſum *l. IV.* §. 21. (*n*) conf. SENECA ad Polyb. *c.* 28. *ad Helv. c.* 17. (*o*) *ep.* 102.

ſubvola; jam hic altius aliquid ſublimiusque meditare : aliquando tibi naturæ arcana detegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux undique clara percutiet. Et hujusmodi quidem decretis ſcatet Seneca. Spem vero omnem in hac vita ad beatam ejusmodi animæ reſolutionem retuliſſe Stoicos, idem nobis diſſertiſſimus teſtis eſt. Ita enim (*p*) : *Nulla cauſſa vitæ eſt, nullus miſeriarum modus, ſi timetur, quantum poteſt. Hic prudentia proſit, hic robore animi evidentem quoque metum reſpue; ſi minus, vitium vitio repelle, ſpe metum tempera.* Ad quem locum ipſe LIPSIVS convenientiam ſectæ Elpiſticæ cum Stoicis obſervavit, eam tamen ſectam denotari non vidit. Luculentius vero alibi (*q*) & appoſite ad hanc rem, ut Elpiſticum facile cognoſcas, ait: *Iuvabat de æternitate animarum quærere immo me hercle, credere, credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me* ſpei tantæ; *jam eram faſtidio mihi, jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immenſum illud tempus, & in poſſeſſionem omnis ævi tranſiturus.* Plura in hanc ſententiam facile liceret colligere, niſi hæc jam ſufficerent, ut oſtendatur, ad parandum hoc omnis vitæ vinculum & totius philoſophiæ moralis curſum quaſi cohibendum, ſpem futuræ felicitatis vitæque melioris præ reliquis ſectis Stoicos adhibuiſſe.

§. XV. Rationibus itaque per omnem illam de Sperantiorum ſecta diſquiſitionem ſubductis, vero mihi videtur ſimillimum, Elpiſticos dictos fuiſſe philoſophos Stoicos, tantæ ſpei quam maxime patrocinantes, traducta illa ex Socratis, Platonis & Cynicorum ſcholis in porticum. Objicies; cur vero Plutarchus Stoicos ſibi intus & in cute cognitos, non nominavit? cur inſolitam appellationem retinuit? Dicam, quod ſentio: Iocularem appellationem & in *Cauſſa appellationis.*

M 5 dedecus

(*p*) *ep.* 13. (*q*) *ep.* 102.

dedecus huic ſectæ datam eſſe, facile ſeries verborum apud Plutarchum evincit. Qui cum Stoicos pungere ſæpius ſoleat, hic ubi lepido exemplo illos exagitare poterat, ad ſcomma hoc philoſophicum alluſiſſe videtur. Vti enim Hedonicorum nomen Ariſtippi ſectatoribus ignominiæ cauſſa hæſit, & Heraclito σκοτινοῦ appellatio, immo & Cynicis nomen ἀπὸ τοῦ σκόμματος teſte LAERTIO (*r*): ita & Elpiſticorum nomen Stoicæ familiæ ridendæ excogitatum eſſe facile quis ſuſpicari poterit. Abſurdum fateor, tantam tamque dulcem ſpem iſto nomine derideri, ut facile quis miretur, ignominiæ cauſſa Elpiſticorum nomen excogitatum dici. Deſinet vero mirari, qui hæc duo cogitaverit, quae rem extra dubitationem fere ponunt. Vnum, Epicureos, Stoicorum infenſiſſimos hoſtes, in hac ſpe ridenda & refutanda potiſſimum contrarios fuiſſe, quibus ſcilicet poſt mortem nihil ſumus (*s*), & ab his quoque appellationem hanc ortum accepiſſe videri, ut Stoicis aegre facerent, quemadmodum e contrario Stoici eos tanquam voluptatis ſervos & de grege Epicuri porcos traducebant. Alterum eſt, Stoicos, ſibi non ſatis conſtantes, & de magna hac ſpe non ſatis convictos, poſt jactabunda verba in mortis hora trepidaviſſe, & incertos haeſiſſe. Specimen ſi cupis: lege SENECAM (*t*) & ANTONINVM (*u*), & mirare homines, a ſemetipſis ita diſſidentes parumque praeſidii ſuis praeceptis ſtatuentes. Quod ut ſemper Epicureis ridendi Stoicos occaſionem praebuit, ita in hoc ipſo quoque argumento ſcomma hoc ſectae Elpiſticae generaſſe eſt veriſimillimum. Certe inter omnes Graecanicas ſectas nulli nomen tam apte convenit, quam Stoicae; etſi propter famae celebritatem & ſectae patronos ignominioſa iſta appellatione pleroſque iſtis peperciſſe facile credam, & hinc rationem

(*r*) l. ſupra cit. (*s*) LVCRET. *L. III.* PLIN. *hiſt. nat. L. VII. c.* 55. (*t*) *ep.* 54. 63. 76. 82. 117. (*u*) *l. c.*

nem deducendam putem, cur non alibi quoque ſectae Elpiſticae nomen occurrat.

TANTVM.

OBSERVATIO VIII.

De veſtigiis philoſophiæ Alexandrinæ in libro Sapientiæ (*).

§. I.

Quantis ſententiarum divortiis auctor libri, qui ſub Sapientiae Salomonis nomine codici ſacro adjectus legitur, & inter libros dubiae & incertae auctoritatis referri ſolet, expoſitus ſit, nemini ignotum eſſe poteſt, qui literariam ſacrorum voluminum hiſtoriam tenet. Cum enim auctor ſapientiſſimi inter Orientis reges nomen ſcriptioni ſuae praefixiſſet, pia hac, ſectaeque, cui adhaerebat, ſueta fraude auctoritatem ſibi apud eos conciliaturus, qui magnum Salomonis nomen rectiſſime ſuſpiciebant, temporis tamen, quo ſcribebat, circumſtantiis, elocutionis modo & genere, rerumque, quas proponebat, argumentis & hypotheſibus, aetate ſe & doctrina Salomone longe inferiorem doceret, non potuit non criticorum curioſa inveſtigatio ſubodorari, perſonam tantum Salomonis autorem induiſſe, ita tamen, ut facile larva detrahi, & fœtus alienigena agnoſci queat. Quod jam inter veteres eccleſia Iudaica agnovit, locum huic libro inter canonicos ſacrarum pandectarum libros non concedens, & ex priſcis quoque eccleſiae chriſtianae doctoribus eruditiſſimus HIERONYMVS (*a*) inter Hebraeos eum non inveniri confeſſus, rectiſſime Graecam eloquentiam redolentem, fruſtraque Ebraico calamo adſcriptum pridem

Auctoritas canonica libri Sap. nulla.

(*) Inſerta eſt hæc Diſſertatio Tomo *VI.* miſcell. Berolin. *p.* 150. *ſeqq.*

(*a*) *Præfat. ad librum Sapientiæ.*

pridem animadvertit. Recentiori vero aetate tam ſedula fuit praeſtantiſſimorum virorum in hoc argumento tractatio, ut iliada poſt Homerum ſcribere merito cenſendi ſimus, ſi eorum ſcrinia compilare, & argumenta latius diducere inſtituamus, quibus liber Sapientiæ Salomoni abrogatur, & ita ex numero quoque librorum a Spiritu S. viris ſanctis divino afflatu dictatorum ejicitur. Videant, qui hæc latius noſſe cupiunt, excitatos a virorum eruditiſſimorum FABRICII (*b*), BVDDEI (*c*), WOLFII (*d*) diligentia, & plenis cyathis haurient, quæ animum in dignoſcendo auctore ὑποβολιμαίῳ errare non patientur.

aſſerta tamen. §. II. Miramur itaque non immerito, non ſolum veterum quosdam, & inter recentiores quoque aliquos, ſuæ ſectæ patrocinium in iſto libro quærentes, & ad ejus placita & hypotheſes examen criticum de auctore libri Sapientiæ inſtituentes, Salomoni librum ipſum adſcripſiſſe, & ſententiæ ſuæ, probabilitate deſtitutæ, colores quæſiviſſe varios (*e*); ſed & recentiori ætate virum quendam haud obeſæ naris, & in criticæ artis regulis applicandis minime timidum, veteris item doctrinæ, &, quam hic imprimis requiri putamus, veteris philoſophiæ peritiſſimum (*f*) eo delapſum,

(*b*) *Bibliotb. Græc. Vol. II. p. 735. ſeqq.*

(*c*) *Hiſtor. Eccleſ. V. T. T. II. p. 647. ſeqq.*

(*d*) *Bibl. Hebr. Vol. I. p. 974. ſeq. Vol. II. p.* 199. add. WERENSDORFIVS *pec. Diſſ. Witt.* 1702.

(*e*) Vide nominatos MOLLERO in *Homonymoſcopia p.* 225.

(*f*) *Obſerv. Halenſ. Lat. T. V. obſ.* 13. cujus auctorem ſe profeſſus eſt illuſtris olim eruditione & fama NIC. HIERON. GVNDLINGIVS *biſt. phil. mor. P. I. p.* 73. Recuſa eſt inter *obſervationes ſelectas ad rem litterariam ſpectantes. Halæ Magd.* 1737. 8. iterata vice editas *T. II. p.* 189. in cujus tamen tomi præfatione doctiſſima paralogiſmi auctoris modeſte accurateque deteguntur. Tetigit etiam hanc objecti Platoniſmi cauſſam vir doctiſſimus, ita tamen, ut, cum hæc primum legeremus, vix oculis noſtris crederemus, ea ſcribi potuiſſe ab acerrimo veterum doctrinarum cenſore, qui vel minutis ſuſpicionibus alias ductus atheiſmi maculam & dogmata ineptiſſima ſcriptoribus veteribus

delapſum, ut magno conatu Salomonis genuinum opus eſſe contenderet, ſententiamque defenderet, ſuis ſemetipſam telis confodientem. Niſi καινοφιλία quædam, & ad paradoxas ſententias erudito orbi propinandas proclivitas viro præſtantiſſimo hanc opinionem ſuaſerit. Quam tamen hic operoſe refutare eo minus neceſſe putamus, quo magis ex dicendis conſtabit, fruſtra hæc omnia, & contra omnem veri ſpeciem agi & defendi.

Auctor Græcus, ſed incertus.

§. III. Facilius hæc omnia probari non negamus, difficilius tamen conjectura aſſequi nos poſſe putamus, ad quem potiſſimum auctorem liber Sapientiæ referri queat? etſi enim ad Philonem Judæum veteres quidam hunc librum jam retulerint, cujus teſtem habemus B. HIERONYMVM (*g*), facile tamen, Philoniana ſcripta ſcribendique genium & modum ad hunc librum aptantes, & cum eo diligenter conferentes deprehendent, eum alium longe auctorem, & paulo quidem vetuſtiorem agnoſcere. Nec id, noſtro quidem judicio, ſatis explicant, qui hunc librum ad Philonem quendam ſeniorem referunt (*h*); neſciunt enim, quis ille Philo fuerit, & virum nobis exſculpunt, antiquitati ignotum, ut alibi (*i*) pridem monuimus. Vnde rectiſſime illi agere putandi ſunt, qui aucto-

affricabat, quem Platoniſmi nec ignarum, nec in lectione Platonicorum peregrinum fuiſſe, tot ejus de Hippocratis, Platonis & Platonicorum atheiſmo contentiones eruditæ demonſtrant. Nempe levi manu & nugatoria reſponſione in tam gravi argumento verſandum non erat, ſed ponderandæ ſententiæ, quæ & dicendi ratione & argumento a Salomoneis, & omni Hebraica diſciplina diſtant, ut terra a cœlo. Vidit id nuper, & qua eſt perſpicacia & candore faſſus eſt vir doctiſſimus, ſobriæque inter Romanæ eccleſiæ addictos philoſophiæ in Germania vindex acerrimus, VDALRICVS WEISSIVS, monachus Benedictinus Vrſinenſis, librum Platonicis opinionibus repletum eſſe, in elegantiſſimo *de intellectu humano* opere, ipſe legendus.

(*g*) *l. ſupra laud.*

(*h*) Vid. MOLLER. *l. c.* CHR. KORTHOLT *de Can. ſ. Scr. c. XIII. p. 278. ſeqq.* B. BVDDEVS *hiſt. phil. Ebr. p. 76.* VOSSIVS *de LXX. interpp.* 396.

(*i*) *Hiſt. crit. phil. T. II. p. 693.*

auctorem quidem incertum, ſuppoſititio tamen nomine inclareſcentem, & eo quidem tempore ſcribentem conjiciunt, quo Græcanica eloquentia & eruditio ad Judæos quoque inter Græcos habitantes transmigravit. Quod ut Græcæ eloquentiæ affectatio, dictiones a Græcorum conſuetudinibus deſumtæ, resque ipſæ inter Græcos magis, quam Judaeos, notae, manifeſte probant, ita in Aegypto ſub Ptolemaeorum imperio factum fuiſſe, facile ſibi perſuaſerit, quem Judaicae gentis inter Graecas colonias habitantis fata, alibi (*k*) nobis enarrata non latent.

Prodita veſtigia philoſophiæ Alex.

§. IV. Nos his omnibus, quæ alium diſceptandi locum & inſtitutum aliud poſtulant, non immoramur, ſed id modo monemus, veſtigia invaleſcentis, inter Judæos Aegyptum incolentes, Pythagorico - Platonicæ philoſophiæ, ſuo modo a priſca Academiæ ratione ſenſim degenerantis, & ad orientis tum temporis increbeſcentia placita ſe attemperantis, qualem poſtea in Ammonii ſchola ad perfectionem quandam & juſtum ſectæ habitum emergentem Alexandria vidit, in hoc libro non obſcura apparere, & inde recte confici, fruſtra eos eſſe, qui nihil niſi Salomoneum in eo inveniunt. Etſi enim non inviti illis largimur, adhibuiſſe auctorem frequenter ſententias Salomoneas, multaque in egregia ſcriptione inveniri doctrina Salomonea, quam præ ſe fert, non indigna; faciemus tamen manifeſtum, paſſim, etſi ſubtilius & non tam palpabili modo, ac Philo fecit, adultioris jam inter Judæos Platoniſmi impurioris & corrupti alumnus, ſemina naſcentis & invaleſcentis Pythagoreo-Platoniſmi in hunc librum irrepſiſſe, unde certior aliquantum de tempore ſcripti libri ejusque auctoritate conjectura fieri poteſt. Latius itaque, & adductis Alexandrinæ ſcholæ Platonem potiſſimum ſequentis effatis ea probabimus, quæ paucis tantum indicaſſe alio loco (*l*) contentos nos eſſe inſtituti jubebat ratio. §. V.

(*k*) *Hiſt. crit. philoſ. T. II. p.* 684. *ſeqq.*
(*l*) *Qq. ex hiſt. phil. T. IV. p.* 20.

§. V. Age itaque, propius perſonatum Salomonem accedamus, audituri, quales nobis Sapientiæ propinet regulas, & curioſius rimaturi, quibus ex fontibus illæ hauſtæ ſint. Non vero animus eſt, omnes illas exhaurire ſententias, quibus paria dictis Pythagorico-Platonicis protulit Pſeudo-Salomo; exſcribenda enim eſſet magna pars elegantiſſimi libri, & afferenda ſæpe talia, quæ communi fonte hauſta peculiarem ſectæ ſententiam non exprimunt, quibus illud certe non evincitur, quod demonſtrandum ſumſimus: ſed ad ea potiſſimum provocabimus, quæ ſcholæ huic propria ſunt, & affinia magis, quam Salomonis oraculis, quæque doctrinæ Pythagorico-Platonicæ, Alexandrino habitu effictæ, veſtigia cautis rerumque gnaris ſatis produnt. *& quidem dogmatum propriorum.*

§. VI. Hujusmodi vero locum mox in limine libri deprehendimus, quando capitis primi commate ſeptimo auctor ita (*m*): ὅτι πνέυμα κυρίου ἐπλήρωσε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς. *Quoniam ſpiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Loqui quidem videtur prima fronte cum Hebræis, qui Spiritui divino immenſitatis & omnipræſentiæ attributum largientes, divinam majeſtatem non diſſimili modo expreſſerunt: utitur tamen more ſuo, & ex diſciplina, cui ſe attemperabat, ejusmodi verbis, quibus Platonicum facile ſuboleas. Vti enim Spiritum divinum univerſitati quidem rerum præſentem ubique eſſe divinus vates cecinit (*n*), ita neſcio, an unquam eum τὸ συνέχον τὰ πάντα, vinculum illud, quod omnia continet, & tanquam anima corpus, ſuſtinet, informat, & conjungit, vocaverit, vel vocare quoque ita potuerit? Quid enim aliud eſt Spiritus Dei totum mundum non replens tan- *De ſpiritu mundi.*

(*m*) Vtimur editione LXX. Interpretum Grabiana, & verſione vulgata, ſed ſæpius emendanda.
(n) *Pſ. CXXXIX. 7. ſeqq.*

tantum, ſed & continens, quam Deus anima mundi? quæ doctrina vetus quidem eſt, & pridem ante Platonem nata, ignota tamen Hebræis, & ipſi Salomoni, & ex turbidis gentilium lacunis hauſta; qua Deus ita per mundi partes diffunditur, ut eum tanquam cauſſa informans, quod ajunt, *contineat*. Hoſpes ſit in philoſophiæ veteris hiſtoria, oportet, qui hæc ignorat, & iſtam doctrinam non inter orientis populos Chaldæos, Aegyptios, Indos, & quos non? invenit, & inter Græcos quoque poſt alios, Stoicos hoc *Κύριον δόγμα* admiſiſſe neſcit (*o*). Nos inſtituti memores ſcholam tantum Pythagoreo-Platonicam adducimus, ut cum ea loqui appareat Pſeudo-Salomonem. In ea vero nobilis doctor TIMÆVS LOCRVS *de anima mundi* (*p*) ita locutus eſt, ut doceret, Deum eam medio mundo indidiſſe, & extra eduxiſſe, ipſumque univerſum illa contexiſſe & continuiſſe. *Τὰν δὲ τῶ κόσμω ψυχὰν μεσόθεν ἐξάψας ἐπάγαγεν ἔξω, περικαλύψαι αὐτὸ ὅλον αὐτᾶ.* Vnde & TIMÆO (*q*) mundus ſpirituum plenus dicitur, quia ſpiritu iſto mundus completur & continetur. Traduxit hæc in ſuam ſcholam PLATO, qui cum mundum ſtatueret animal intelligens, animam iſtam mundi ex Deo, ſive ex ratione potius divina, neceſſario mundo inditam ſtatuit, quia ſine ea mundus non poſſet contineri. Ita enim in Timæo (*r*): *λογισάμενος οὖν εὕρισκεν ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὁρατῶν οὐδὲν ἀνόητον τὸν νοῦν ἔχοντος ὅλον ὅλου κάλλιον ἔσεσθαι τὸ ἔργον, νοῦν δὲ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαί τω. διὰ δή τὸν λογισμὸν τόνδε νοουμὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι συνιςὰς, τὸ πὰν ξυνεκτάινετο,*

ὅ πως

(*o*) vid. HVETIVS Qq. *Alnet. l. II. c.* 2. §. 7. *p. m.* 81. *ſeqq.* PFANNER. *ſyſtem. theol. gent. purior. c. II.* §. 28. *p.* 105. & quæ paſſim in *hiſtoria critica philoſophiæ* hac de re monuimus.

(*p*) in TH. GALEI *opuſc. mythol. p.* 541.

(*q*) apud ARISTOT. *de anima l. I. c.* 3.

(*r*) *p. m.* 473. Verſionem damus M. FICINI.

ὅπως ὅτι κάλλιστον ἔπι κατὰ φύσιν ἄριστόν τι ἔργον ἀπειργασάμενος. *Cum excogitaſſet, nihil invenit eorum, quæ ſecundum naturam aſpectui ſubjecta ſunt, ſi expers intelligentia ſit, intelligente alio, totum toto pulchrius unquam fore, intellectum vero alicui ſine anima dari non poſſe, hac ratione mentem quidem animæ, animam vero corpori dedit, totumque ita mundum conſtituit, ut pulcherrimum natura opus optimumque foret.* In quibus Platonis verbis id imprimis notari meretur, univerſum iſta anima conſtitui atque contineri. Quid hoc aliud, niſi animam mundi per illum non diffuſam modo, ſed vinculum quoque eſſe, quod dividuum & individuum continet, & connectit? unde & animam mundi ex dividuo & individuo ſuo modo conſtare poſt Locrum Platoni quoque placuit. Verum non aliud dicit Pſeudo-Salomo, qui Spiritum Dei animam mundi ſatis manifeſte facit, quando Spiritum divinum non replere tantum mundum, ſed & omnia continere & conſtituere aſſerit. Errore ſatis quidem gentili, ſed quem Pſeudo-Salomo non ſolus erravit, ſed qui ex diſciplina Pythagorico-Platonica ad alios quoque ex Judæis & Chriſtianis dimanavit, qui in amando hoc Veneris pullo philoſophiæ Pythagorico-Platonicæ ad modum fuere ſeduli. Ex illis PHILO, *de gigantibus* (s) ita: νῦν δὲ τὸ ἐπ αὐτὸ πνεῦμά ἐστι τὸ σοφὸν, τὸ θεῖον τὸ ἄτμητον, τὸ ἀδιαίρετον, τὸ ἀστεῖον, τὸ πάντη δι' ὅλων ἐκπεπληρωμένον, ὅπερ ὠφελοῦ, οὐ βλάπτεται μεταδοθὲν ἑτέρῳ, οὐδ' ἂν πρόστεθεν ἐλαττοῦται τὴν σύνεσιν καὶ ἐπιστήμην καὶ σοφίαν. *Nunc autem Spiritus ille ſapiens, qui ineſt ei, (Moyſi) divinus eſt, inſecabilis, indiviſibilis, probus, qui ubique implet omnia, qui prudens eſt absque ſui detrimento impartitus alteri, ut nihil decedat ipſius intellectui, ſcientiæ & ſapientiæ.* Quibus verbis Iudæus in Platonicorum ſcholis formatus, hanc Spiritus Dei partem omnia replere

(s) *Opp. p. 287.*

ubique non alia ratione aſſerit, quam quod anima divina per totum mundum diviſa contineatur. Ex Chriſtianis vero, quot fuere quæſo, qui erroneo hoc dogmate ſeducti, & Platonicis hypotheſibus in tranſverſum rapti Spiritum ſanctum fecere animam mundi? Quod ne fuſius hic, ubi alia agendi ſunt, probemus, otium nobis fecit præſtantiſſima celeberrimi MOSHEMII eruditio, qui id luculenter confecit (*t*). Nec id mirum: amplexi enim ex ſchola PLOTINI, quod (*u*), πανταχοῦ ὄυσα ἡ ψυχὴ ὅλη, καὶ οὐ διειλημένη, τῇ τοῦ παντός κατὰ μέρος, *mundi anima ubique exiſtens, non diviſa per partes, ſed ubique tota ſit*; cum S. Spiritui omnipræſentiam in ſacris oraculis adſcribi viderent, in id prono pectore digreſſi ſunt, animam mundi eſſe Spiritum S. per omnia diffuſum, omnia continentem, omnia dirigentem, omnibus providentem. Vnus Latinorum loco loquatur ARNALDVS CARNOTENSIS, qui in ſermone *de cardinalibus Chriſti operibus* & quidem de Spiritu S. (*v*) ita: *Hujus ſempiterna virtus & divinitas cum in propria natura ab inquiſitoribus mundi antiquis philoſophis proprie inveſtigari non poſſet, ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt conjecturis compoſitionem mundi, compoſitis & diſtinctis elementorum affectibus præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundum genus & ordinem ſingulorum vitam præberet & modum & intransgreſſibiles figeret metas & ſtabilitatem aſſignaret & uſum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam animam mundi philoſophi vocarunt, putantes, cæleſtia corpora, ſolem dico, lunam & ſtellas, ipſumque firmamentum hujus animæ virtute moveri, & regi, & aquas, & terram & aërem hujus ſemine imprægnari. Qui ſi Spiritum & creatorem & Domi-*

(*t*) ad CVDWORTHI *ſyſt. intell. c. IV.* §. 36. *p.* 657.

(*u*) *Ennead. II. l. II. c. I. p* 108.

(*v*) qui falſo Cypriano adſcribi ſolet, & inter ſpuria hujus doctoris opera rejectus a viris doctis abbati huic bonæ vallis redditus eſt. Inter *opp. Cypriani app. p.* 60. ed. Oxon. cura FELLI.

Dominum & vivificatorem & nutritorem crederent omnium, quæ ſub ipſo ſunt, convenientem haberent ad fidem acceſſum. Ibi ſatis luculenter prodit, Spiritum S. ſibi eo loco eſſe, quo philoſophis anima mundi fuit. Ex Græcis vero ORIGENES (*x*), ejusdem Platonicæ ſcholæ alumnus, in eundem modum: *Sicut corpus noſtrum unum ex multis membris aptatum eſt, & ab anima CONTINETVR: ita & univerſum mundum velut animal quoddam immane opinandum puto, quod quaſi ab una anima virtute Dei ac ratione TENEATVR. Quod etiam a S. ſcriptura indicari arbitror, per illud, quod dictum eſt per prophetam: Nonne cælum & terram ego repleo; dicit Dominus.* Ex quibus omnibus larga manu allatis cuilibet attendenti perſpicuum eſt, hanc divini Spiritus deſcriptionem, quod omnia repleat, omnia contineat, indeque, quia συνέχει τὸ πᾶν, ſciat & intelligat omnia, deſumtam eſſe ex Platonicorum ſchola & deductam in ſcholas Iudæorum & poſtea Chriſtianorum, omnipræſentiam divini Spiritus cum anima mundi pertotum diffuſa miſere confundentium, eamque ab auctore libri Sapientiæ adhibitam haud obſcura Platoniſmi inter Iudæos jam tum radices agentis prodere veſtigia.

Ejus attributis.

§. VII. Ne vero vel ullus dubitationi locus ſuperſit, recte nos verba Pſeudo-Salomonis explicuiſſe, liceat & alium locum afferre, qui ex dictis miram ſibi lucem conciliat, allatis vero non minora lumina fœneratur. Ita enim *c. VII. comm.* 22. ἐςὶ γὰρ αὐτῇ πνεῦμα νοερὸν, ἅγιον, μονογενὲς, πολυμερὲς λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, ἀμόλυντον, σαφὲς, ἀπήμαντον, φιλάγαθον, ὀξὺ, ἀκώλυτον, ἐνεργητικὸν, φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλὲς, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, χωροῦν πνευμάτων νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων. *Eſt enim illa* (Sapientia) *ſpiritus intelligens, ſanctus, unicus,*

(*x*) περὶ ἀρχῶν *l. II. c.* 1. locum quoque affert CVDWORTHVS *ſyſtem. intell. c. IV.* §. 36. *p.* 657.

cus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nihil impeditur, beneficus: humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat (tranſeat) omnes ſpiritus intelligibiles, mundos, ſubtiles. Græca ipſa inſpicienda ſunt, a quibus vulgatus minus accurate abit. Ita vero illa comparata ſunt, ut valde hoſpes ſit oporteat in ſcriptis Platonicorum, præcipue eorum, qui Alexandriæ caput ex Ammonii & Plotini ſchola poſtea extulerunt, & quorum proavi jam in hoc cœno hæſerunt, qui Platonicum dicendi genus hic non manibus palpet. Vbi enim Salomo de ſpiritibus νοεϱοῖς, voce Platonicis ſolenni, puris, leviſſimis, i. e. puriſſimo & leviſſimo corpore & ὀχήματι veſtitis, quod dogma eſt celebratum ſcholæ Eclecticæ, & ante eum jam Alexandriæ auditum? ubi ſpiritum divinum per omnes mundi partes tranſeuntem diſtribuit, quod ſolent philoſophi Alexandrini, Platonici ſequiores ipſique hæretici ex Ægypti prodeuntes? Annon & ipſa doctrinæ ratio, & nomina quoque adhibita ſatis produnt, quibus ex fontibus iſta hauſta ſint? Non ea allatis Platonicorum effatis latius probabimus, quippe quæ in eorum ſcriptis verſato, & vel ſola oracula Zoroaſtrea (y) legenti notiſſima ſunt. Vnum, quod in præſenti e re noſtra eſt, monuiſſe ſufficiat, ſtatuere auctorem ὑποβολιμαῖον, ſpiritum ſapientiæ divinæ penetrare & transfundere ſe per omnes ſpiritus tum mere intellectuales, & puros, tum puriſſimo & leviſſimo corporis ætherei vehiculo amictos. Quæ doctrina ut Hebræis, & imprimis Salomoni inaudita fuit, ita ad Platonicam philoſophandi rationem tota exigenda eſt, ſecundum quam mens ſive ratio divina, ut ſe mediante anima mundi cum toto mundo & cum corporalibus quoque communicat, & illum regit, ita omnes ſpiritus in ſe continet, eosque ita penetrat, ut divinæ rationis fiant par-

(y) vid. *Orac. III.* apud STANLEIVM *hiſtor. philoſ. p.* 1180.

participes. Et ita Deus, juxta Platonicos quoque omnia eſt in omnibus, non in mundi tantum partibus ſed & in ſpiritibus. Rem a CVDWORTHO docte probatam, accuratius vero a præſtantiſſimo interprete illuſtratam (z) otioſe hic non repetimus. Ne tamen abeamus ſine ſymbola, Platonicum loquendi morem & phraſeologiam, non Salomoneæ quidem, Alexandrinæ tamen ſcholæ uſitatam, quam adhibuit Noſter, vel uno exemplo luculento probabimus. Ita enim in *quæſtionibus*, SECVNDO philoſopho tribui ſolitis (*aa*) quæque Platonicum recentiorem ſatis produnt, ad quæſtionem, quid eſt DEVS? reſpondetur: *ἰδιόπλαςον, ἀγαθὸν ὕψομα, πολυχάρακτον μόρφωμα, δυσνοούμενον ζήτημα, ἀθάνατος νοῦς πολυδιοίκητον πνεῦμα, ἀκόιμητος ὀφθαλμὸς ἰδία πάντων ὀυσία, πολυώνυμος δύναμις, παγκρατὴς χὴρ, φῶς, νοῦς, δύναμις. Bonum nativum, multiformis imago, altitudo inviſibilis, varie effigiata forma, quæſtio intellectu difficilis, mens immortalis, ſpiritus cuncta pervadens, pervigil oculus, propria omnium eſſentia, multi nominis poteſtas, manus omnipotens, lumen, mens, potentia.* Vbi præter Platonicum loquendi variisque epithetis divina principia deſcribendi modum a noſtro quoque auctore adhibitum imprimis ad id attendendum eſt, quod præcipua illa attributa ad rationem divinam in anima mundi per univerſum diffuſa cuncta redeant, quod ſatis proditur, quando Deus vocatur ſpiritus omnia pervadens. Ita vero & auctor noſter, qui ſpiritum Dei, divinam rationem & ſapientiam non ſpiritus tantum intellectuales pervadere aſſerit, ſed & ne incerti hac de re ſimus, ſub initio *capitis duodecimi* ſignificanter ait: τὸ γὰρ ἄφθαρτον σοῦ πνεῦμά ἐςι ἐν πᾶσι. *Incorruptibilis ſpiritus tuus eſt in omnibus.* Quod ut a Salomoneæ ſapientiæ alumno dici non poteſt, quæ ſcili-

(z) vid. *c. IV. ſyſtematis intellectualis.*

(aa) in GALEI *opuſc. mytholog. p.* 635.

ſcilicet ſpiritum divinum in malis non eſſe diſerte ſtatuit, ita Platonica lolia ſterileſque gentilium avenas inter tritica Salomonea manifeſte prodit.

Mundi bonitate. §. VIII. Eundem loquendi & ſentiendi cum Platone ejusque ſchola modum haud obſcure prodidit Pſeudo-Salomo, *primo* itidem *capite, verſiculo decimo quarto*, ubi ſatis Platonice: Ἔκτισε ὁ Θεὸς, εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου καὶ οὐκ ἔστι ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου· οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ τῆς γῆς. *Creavit Deus, ut revera eſſent omnia, & ſalutares fecit generationes mundi, neque eſt in iis venenum interitus, nec inferni regnum ſuper terram.* Vulgatus prorſus a Græco abit, hic non audiendus, quippe qui Platonicas phraſes non intellexit. Illæ vero ſe haud una ratione in hoc loco manifeſtant. Oſtenſurus enim, ex mundi generatione & conditi natura Deum peccati auctorem non eſſe, potiſſimum ad rationes in Platonicis ſcholis enatas provocat, & triplici quidem argumento id evincit: primo quia mundus eſſentialibus principiis ſuperſtructus a Deo eſt; ſecundo, quia in condendo mundo bono ſcopo uſus, optimum eum fecit; tertio quia corruptionis & deſtructionis ſedes, ᾅδην Græci vocant, non ſuper terra eſt. Nihil hic dicitur, quod non mere Platonicum ſuboleat. Hi enim philoſophi ex eo potiſſimum bonitatem & perfectionem derivavere, quod Deus in eo condendo æternas rerum eſſentias, quas ideas Plato vocabat, adhibuerit, quibus formam & τὸ εἶναι materiæ fluxæ & in omnes partes atque formas verſatili & mutabili largiretur. Rem alibi (*bb*) fuſe a nobis probatam hic non repetimus, nec ea faſtidioſe apponimus fercula, quæ primas Platonicorum menſas deguſtantes ſatis norunt, id monuiſſe contenti, unum PLATONIS Timæum omni exceptione majus teſtimonium offerre, quo dialogo Philoſophus inter alia

(*bb*) *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 4. p. 35. ſeqq.*

alia (*cc*): λέγωμεν δὴ, δὶ ἣν αἰτίαν γένεσιν ϗ τὸ πᾶν τό δε ὁ συνιςὰς συνέςησεν, ἀγαθὸς ἦν ἀγαθῷ δε οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. Τούτου δὲ ἐκτὸς ὢν πάντα, ὅτι μάλιςα ἐβουλήθη γένεσθαι παραπλήσια αὐτῷ - - - βουληθεὶς γὰρ ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν ἐιναι κατὰ δύναμιν, ὅυτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν οὐκ ἡσυχίαν ἄγον ἀλλὰ κίνουμενον πλημμελῶς ϗ ἀτάκτως ἐις τάξιν ἀυτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον. Θέμις δὲ οὔτ᾽ ἦν οὔτ᾽ ἔςι τῷ ἀρίςῳ δρᾷν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλισον. *Dicamus igitur, quam ob ciuſſam ille rerum auctor generationem & hoc univerſum conſtituerit? Bonus erat, bonus autem nulla unquam alia de re invidia tangitur: ergo cum livor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi, quantum fieri poterat, ſimillima fieri voluit. Itaque cum vellet Deus bona omnia fore, nihil vero, quoad natura pateretur, malum, quicquid erat, quod in cernendi ſenſum cadere poſſet, aſſumſit, non tranquillum & quietum, ſed temere agitatum & fluitans, idque ex inordinata jactatione redegit in ordinem. Hoc enim judicabat eſſe præſtantius. Fas autem neque erat, neque eſt, quicquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſt optimus.* His ſubjungit ea, quæ ſupra de anima mundi ſeminales rationes eſſentiarum largiente materiæ jam attulimus, & inde infert, cum mundus animali ſimilis ſit, non aliud animal ſimile intelligi poſſe, quam cujus animalia cetera partes ſunt. Illud ſcilicet, quod viventia omnia, quæ ſola mente percipiuntur, (ideas innuit) in ſe ipſo complectitur &c. Secutus eſt Plato more ſuo TIMÆUM, qui in libello *de anima mundi* (*dd*), eandem doctrinam his verbis complexus eſt: ἐπὶ τὸ πρεσβύτερον κάῤῥον ἐςὶ τω νεωτέρω, ϗ τὸ τεταγμένον πρὸ τῶ ἀτάκτω, ἀγα-

(*cc*) *p. m.* 98.
(*dd*) *p.* 545. *p. mythol.*

ἀγαθὸς ὢν ὁ Θεὸς, ὁρῶν δὲ τὰν ὕλαν, δεχομέναν τὰν ἰδέαν καὶ ἀλλιουμέναν, παντίως μὲν, ἄτακτος δὲ, ἔδεε εἰς τάξιν αὐτὰν ἄγεν, καὶ ἐξ ἀορίστων μεταβολᾶν εἰς ὡρισμέναν καταστᾶσαι - - - δηλεόμενος ὢν ἄριστον γέναμα ποιεῖν, τοῦτον ἐποίει Θεὸν γεννατόν κ. τ. λ. *Quandoquidem antiquius juniore præſtantius eſt, & id quod ordinatum, inordinato, Deus, cum nimirum bonus ſit, & videret, materiam recipere ideam formamque, & alterari varie quidem, ſed tamen inordinate, vidit quoque opus eſſe, ut eam ipſe in ordinem reduceret, & ex indefinitis mutationibus ad certam definitamque conſtitueret. - - - Qunm igitur Deus vellet pulcherrimum fœtum producere, hunc effecit Deum genitum &c,* Vides non mundi tantum generationes optimas a Deo inſtitutas dici, ſed hujus quoque bonæ conditionis originem accerſiri ex applicata idea ad materiam, qua eſſentia, ordo, forma inordinatæ materiæ collata, & ita mundus optimus conſtitutus eſt. Vnde quoque Plato, quod & nos alibi (*ee*) demonſtraſſe meminimus, a materiæ potius mala quadam natura, (animam brutam vocat PLVTARCHVS (*ff*) quam a Deo mali origenem arceſſit. Sequitur inde, regnum inferni non eſſe ſuper terra, nam & hoc Platonicum eſt, ſub terra tartara quærendum, ut παχυλῶς Plato; clarius, regnum inferni ſive ᾅδου eſſe in aëre tenebricoſo, quod dogma Platonicum ad alias quoque nationes & Iudæos quoque dilapſum ex Ægyptiaco Platoniſmo ita illuſtravere Angli doctiſſimi, ROBERTVS PARCKERVS (*gg*) & IACOBVS WINDETVS (*hh*), ut

(*ee*) *in hiſt. de ideis Sect. I. §. 4. p.* 47. Conſulenda hoc loco, ut pleniſſime cuncta conſtent, quæ *hiſt. crit. phil. T. I. p.* 682. *ſeqq.* in deſcribendo ſyſtemate coſmologico & phyſiologico Platonis occupati, ex inſtituto diſſeruimus, quæ huc tranſcribere non vacat.

(*ff*) *de Coſmogon. ſecundum Timæum.*

(*gg*) in rariſſimo libro *de deſcenſu Chriſti ad inferos.*

(*hh*) *de vita functorum ſtatu.*

ut non opus eſſe videatur, eos exſcribere, ſed ad ipſos hos fontes ſitientes ablegare, ut plenis cyathis hauriant.

§. IX. *Capite ſecundo* & ſequentibus longam pulchramque inſtituit auctor diſputationem adverſus atheos, ſapientiæ veræ inimicos, ſpemque ſuam in hujus tantum vitæ voluptatibus ponentes, iisque ſpem futuræ vitæ & recte inſtitutarum actionum certiſſima poſt mortem præmia opponit, inque hac *ἀντιθέσει* Græcam potiſſimum eloquentiam oſtentat, multa fateor, afferens egregia, & candidioris ſapientiæ alumno non indigna, multa tamen addens quoque, quæ a priſca Hebræorum ſimplicitate recedunt, & ambitioſi atque tumentis calami, qualis inter Græcos ſophiſtas vigebat, veſtigia produnt, & ad philoſophorũ quoque Græcorum placita alludunt. Non urgebimus voces e mediis Græcorum tricliniis deſumtas, & deſcriptas luxuriantium Athenarum vel Alexandriæ voluptates; quibus otium eſt, facile comparationem inſtituent eorum, quæ auctor *capitis ſecundi verſiculo ſeptimo, octavo & nono* dedit, cum illis, quæ de veterum Græcorum convivandi more docte affert illuſtriſſimus IOANNES POTTERVS in eruditiſſimo *Archæologiæ Græcæ* opere (*ii*) indeque manibus palpabunt phraſes & deſcriptiones ex media Græcia a Pſeudo-Salomone tranſſumtas, de quibus Hebræus non facile ſomniaverit, ipſeque Salomo, in commendandis vitæ commoditatibus alio loco diſertus, ſilet: id unicum monuiſſe contenti, ita hic voluptatis ſtudioſos depingi, ut jures, Polemonem induci ad Xenocratis januam temulento corpore bacchantem & ſevera philoſophi oratione graviter caſtigatum. Rem LAERTIO (*kk*) PLVTARCHO (*ll*) LVCIANO (*mm*) aliisque narratam, ne prolixi ſimus, uno

Diſputatione adverſus atheos.

(*ii*) *l. IV. c. 19. ſeqq. p. 746. ſeqq.*
(*kk*) *l. IV. ſ. 16. ſeqq.* (*ll*) *de diſcrim. adul. & amici.*
(*mm*) *in bis accuſato T. II. p. m. 675.* conf. HORAT. *l. II. ſat. 3.*

VALERII MAXIMI calamo (*nn*) deſcribemus, ut pateat, hæc ſibi potiſſimum voluptatis mancipia ſua, philoſophia expugnanda ſumſiſſe Platonicos. Ita vero ille: *Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemo neque illecebris tantummodo ſed etiam ipſa infamia gaudens, cum ex convivio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque repetens Xenocratis patentem januam vidiſſet, vino gravis, unguentis delibutus, ſertis capite redimito pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam ejus intravit, nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, ut clariſſimum eloquium & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſisque, de quibus diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit, cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemo, primo coronam capite detractam projecit, paulo poſt brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem depoſuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque ſaluberrimæ orationis medicina ſanatus ex infami ganeone maximus philoſophus evaſit.* Non puto ſimiliorem corvo corvum eſſe, quam luxuriantem Polemonem luxuriæ alumnis, quos deſcribit Pſeudo-Salomo, ſic ut facile quis ſibi perſuaſerit, eundem ſibi illum finem atque ſcopum propoſuiſſe, ut Xenocratis, ſcholæ ſuæ patriarchæ, imitator eos a turpi flagitiorum via ſapienti oratione revocaret. Quod ſi vero propius ad philoſophicas Græcorum, quas auctor Platonicus intuetur, doctrinas inſpiciemus, facile & hic Platonicum, ſuæ ſectæ adverſarios pungentem, ſubodorabimur. *Verſu* enim *vigeſimo ſecundo* manifeſte prodit, quo tota diſputatio tendat, quando fontem totius corruptionis infamis hominum generis ita detegit: οὐκ ἔγνωσαν μυςήρια τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ μισθὸν ἤλπισαν ὁσιότητος, οὐ-

δὲ

(*nn*) L. VI. c. 9.

οὐδὲ ἔκριναν γέρας ψυχῶν ἀμώμων. *Neſciunt myſteria Dei, neque mercedem ſperant ſanctitatis nec rationem habent præmiorum animarum inculpatarum.* Palpabit quilibet, hiſtoriæ philoſophicæ Græcæ non imperitus, hæc ad illos potiſſimum pertinere, qui præmia pœnasque poſt hanc vitam inter Græcos ridebant, quibus longa poſtea diſſertatione malorum dura & miſerabilia poſt funera fata, & exoptata bonorum præmia ſpei in hac vita ſanctæ commendata opponit. Tales ut omni fere tempore fuerunt, ita vel ex uno eoque elegantiſſimo PLATONIS *dialogo* (*oo*) quo ultima verba & fata Socratis edisferuntur, manifeſtum eſt, multos futuræ vitæ & præmiorum virtutis poſt hanc vitam ſpem pro re ficta habuiſſe, iisque ſeſe oppoſuiſſe Platonis ſcholam. Exſcribenda eſſet tota præſtantiſſima diſſertatio, & referendæ objectiones Cebetis, Simmiæ, Critonis, cum reſponſionibus Socratis, ſi omnia cumulanda eſſent, quæ in hanc rem dicuntur: quo tamen eo tutius ſuperſedere poſſumus, quo magis paucos ex veteris philoſophiæ ſtudioſis eſſe putamus, quibus pulcherrimus dialogus, ad emendandum animum plurimum faciens, & cui parem non habent tetralogiæ Platonicæ, lectus non eſt. Illud tamen notari volumus, Socratem contra voluptates Athenienſium potiſſimum ſuorum a philoſophia medicinam ſumentem ex ſeparatione philoſophica animæ a corpore, hujus ſeparatim a corpore exiſtentis veritatem & immortalitatem, & ex hac ingentem illam futuræ vitæ præmiorumque virtutis apud Dominos meliores ſpem colligere, ſuosque contra multitudinem eorum, qui hæc non credunt, ut ipſe ait, munire. Quæ omnia hoc quaſi epiphonemate (*pp*) claudit, iis ſimillimo quæ Auctor noſter in ſequentibus affert, quæ brevitatis cauſſa tantum Latino FICINI ore referimus: *Sed horum, quæ narrata ſunt gratia, o Simmia, omni ſtudio annitendum eſt, ut in hac vita virtutem &*

(*oo*) Phædone. *p. m.* 16. (*pp*) *p. m.* 46.

& prudentiam ſapientiamque conſequamur, præmium namque pulchrum eſt & ſpes ingens. Hæc igitur eo ſe pacto prorſus habere, quo ego diſpoſui, non decet virum ſanæ mentis aſſerere (ecce nec ipſum Socratem ſatis certum, in probabilem tamen partem valde inclinantem) *eſſe tamen vel hæc, vel talia quædam circa animos noſtros, eorumque habitationes, quandoquidem animus ipſe immortalis apparet, & decere mihi videtur, & dignum, quaſi periclitantes iſta exiſtimare: honeſtum enim periculum eſt, oportetque hæc quaſi carmina quædam magorum ritu mentibus noſtris infundere. Quamobrem hanc diu jam protraho fabulam. Sed horum gratia bonam ſpem de animo ſuo habere debet, quicunque voluptatibus & ornamentis corporis neglectis tanquam alienis ad diverſum declinantibus voluptates, quæ in diſcendo percipiuntur, ſtudioſe ſectatus fuerit, animum non alieno ſed ſuo decoraverit ornamento, temperantia, juſtitia, fortitudine, libertate, veritate ſic ex hac vita migrationem expectans, tanquam cum fatum vocaverit, migraturus.* Et talia quidem multa paſſim apud PLATONEM præſertim *libro decimo de Republica.* Et ex hujus ſchola ad Stoicos digreſſa eſt hæc philoſophia, immo vehementius defenſa, poſtquam Epicuri hortus illis adverſatus contendere cœpit, nos nihil eſſe poſt mortem, nec habendam præmiorum & pœnarum poſt mortem rationem, inque eo fortitudinem quærendam, ut ſuperato mortis & inferni timore, beatus ſua voluptate philoſophus vivat, quod alio loco (*qq*) adductis Epicuri & ſequacium verbis latius demonſtravimus. Hæc enim ad evertendos bonos mores & enervandam ingentem illam futuræ juſtitiæ ſpem atque metum pertinere rati Stoici in Epicureos tan-

(*qq*) *Hiſt. Phil. T. II. p.* 656. 659. Præivit Epicharmus vid. SEXT. EMP. *adv. Math. l. I. c.* 13. *ſ.* 237. conf. *l. c. p.* 105. addendus Cebes genuinus Socratis diſcipulus, in elegantiſſima *tabulæ* enarratione contra Hedonicos, Ariſtippi ſequaces, voluptatis magiſtros iisdem argumentis diſputans.

tanquam fœdiſſimi atheiſmi reos invecti ſunt, ſuam vero philoſophiam futuræ ſpei præmii, vitæque melioris & vindictæ de hoſtibus veritatis ſumendæ ſuperſtruxerunt, quod cum late & ex inſtituto docuerimus & adductis Stoicorum effatis probaverimus in diſſertatione *de ſecta Elpiſtica* (*r r*) non eſt, cur hic prolixiores ſimus, rati hæc ſufficere poſſe, ad oſtendendum, his capitibus imitari ſcholam Platonicam Noſtrum, iisque prorſus rationibus ſe ſecuritati & improbitati malorum oppoſuiſſe, quibus Socrates, Plato, Zeno & ſequaces Anelpiſticos ſuorum temporum philoſophos & imprimis Epicuri ſectatores oppugnaverunt. Quamvis enim ipſius argumenti dignitas a Salomonea ſapientia non abhorreat, qui & ipſe contra atheos in eccleſiaſtæ libro diſputavit, longe aliis tamen rationibus id agit, adeo a colore, quem quæſivit diſputationi ſuæ Auctor libri Sapientiæ, diſtantibus ut vel hoc ſolo argumento ſuſpicionum criticarum gnaro ſatis ſit, αὐθεντίαν hujus libri evertere.

§. X. Platonicum porro ſe prodit libri Sapientiæ auctor varia ſapientiæ commendatione, epithetis & deſcriptionibus Platonicæ ſcholæ ſolemnibus. Cumulanda eſſent plura, quam fert præſentis ſcriptionis modus, ſi adducenda eſſent omnia, quæ ex hoc libro in eandem rem faciunt. Conſtabit vero dicto fides uno alterove loco adducto. *Capite VI.v.13.* in pulchritudine ſapientiæ commendanda occupatus auctor, ita de ea: λαμπρὰ καὶ ἀμάραντός ἐστι ἡ σοφία, καὶ εὐχερῶς θεωρεῖται ὑπὸ τῶν ἀγαπώντων αὐτὴν, καὶ εὑρίσκεται ὑπὸ τῶν ζητούντων αὐτὴν, *Clara* (ſplendida) *eſt & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab iis, qui diligunt eam, & invenitur ab iis, qui quærunt eam.* Facilis & elegans ſententia, ſed Platoni ſæpius in ore, qui a pulchritudine ſapientiam quam maxime commendat. Teſtem volumus vel unum *Phile-*

De Sapientiæ commendatione.

(*r r*) *Miſcell. Berol. T. V. n.* 11. *p.* 222. *ſeqq.* quam ſupra recuſam dedimus.

Philebum longa inductione in id tendentem ut oſtendat, ſummum bonum, quatenus in mente reſidet, ex ſapientiæ & voluptatis mixtione oriri, & in ſapientiæ poſſeſſione & veritatis voluptatis & pulchritudinis commenſurationes reſidere. Cujus ſummam quaſi ita comprehendit (*ss*): Α῎ρ οὖν φρόνησιν μὲν ϗ νοῦν ὦ Σώκρατες, οὐδ᾽ εἷς πώποτε οὐθ᾽ ὕπαρ οὔτ᾽ ὄναρ αἰσχρὸν οὔτε εἶδεν οὔτε ἐπενόησεν οὐδαμῆ οὐδαμῶς, οὐδὲ γιγνόμενον οὔτε ὄντα, οὔτε ἐσόμενον. *Mentem quidem & ſapientiam o Socrates aut revera aut falſo deformem nemo vel vidit, vel aliquo pacto cogitavit, aut fuiſſe unquam, aut eſſe aut deinde futuram* (*). Et ex hoc fonte ſimilia ſapientiæ apud Platonem prædicata ejus claritatem excellentiamq; extollentia (*tt*) hauſta ex ſcholis Pygothari cis, cujus ſpecimẽ, ſi vis, habebis in eleganti fragmento *libri de ſapientia* ab ARCHYTA TARENTINO conſcripti, quod ſervavit nobis IAMBLICHVS, (*uu*) in quo prolixum habes hujus aliorumque locorum, in quibus auctor noſter Pythagoricis phraſibus ſapientiam commendat, commentarium. Nullo vero loco luculentius de ſapientia Pſeudo-Salomo noſter differit, ut Platonicum dicendi & philoſophandi genus Alexandrinis receptum ſequi palpes, quam cum *cap. VII. v. 17. ſeqq.* ſcribit: αὐτὸς γάρ μοι ἔδωκε τῶν ὄντων γνῶσιν, ἀψευδῆ, εἰδέναι σύστασιν κόσμου, ϗ ἐνέργειαν στοιχείων, ἀρχὴν ϗ τέλος ϗ μεσότητα χρόνων, τροπῶν ἀλλαγὰς ϗ μεταβολὰς καιρῶν, ἐνιαυτῶν κύκλους, ϗ

(*ss*) *p. m.* 175.

(*tt*) vid. *Gnomologia Platonis p.* 165. *ſeqq.* ubi plura cumulantur.

(*) Multum eſſe Salomonem γνήσιον in commendanda Sapientiæ pulchritudine non negamus, teſtis enim eſt proverbiorum liber. Aſt ſit id phraſibus longe aliis, ſententiis brevibus, & a moribus & pulchritudine Græcorum non petitis, quales verum Salomonem imitaturus auctor noſter adhibet ſe ipſum prodens.

(*uu*) in *Protrept. c.* 3. unde acceſſit *Opuſculis mytholog. p.* 32. *ſeqq.*

ϗ ἀστέρων θέσεις, φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, πνευμάτων βίας ϗ διαλογισμοὺς ἀνθρώπων, διαφορὰς φυτῶν ϗ δυνάμεις ῥιζῶν. *Ipſa enim dedit mihi eorum, quæ revera ſunt, ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & conſummationes temporum, converſionum mutationes atq; temporum & annorum curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & affectus beſtiarum, ventorum impetus & ratiocinationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum.* Non monebimus prolixe in præſenti, manifeſte hic prodere auctorem præjudicium, quod ſui jam temporis Iudæorum animis inſedit, ſapientiam Græcorum, cujus hic concinnam habemus deſcriptionem, ab Hebræis ortam ad Græcos deſcendiſſe, adeoque Salomonem quoque ceteris terrarum Orientis regibus ſapientiorem ad ideam philoſophi Græci effingendum eſſe; illud enim præjudicium, quod alibi jugulavimus, (*xx*) hic tam aperta fronte ſe manifeſtat, ut dialectica humanas ratiocinationes dijudicans, phyſica totius terrarum orbis naturam, elementa, vim, virtutes, & naturam delineans, aſtronomia ſiderum curſus & poſitiones enarrans, chronologia annorum periodos dimetiens &c. in ipſo limine orationis conſtitutæ ipſæ hac de re clamitent: ſed id modo adjicimus, nuſpiam Salomonem ſapientiam in ſcriptis genuinis in his Græcorum ſubtilitatibus quæſiviſſe, ſed Socratico more è cœlo in terram deduxiſſe ſcientiam, & ad mores formandos & cognoſcendam rerum humanarum vanitatem transtuliſſe: aliter vero Platonem feciſſe, & cum eo diſcipulos, qui ſapientiam his ſcientiis definientes a Socrate in eo defecerunt. Teſtem iterum excitamus

(*xx*) *hiſt. crit. philoſ. T. I. p.* 86. ad quæ legenda patientiam lectoris exoramus, certi palpaturum eum eſſe, quam egregie hic ex præjudicio Græcanico nugatus ſit auctor libri Sapientiæ, Salomonis philoſophiam cum Græca comparans, & miſere confundens.

mus *Philebum* in quo Plato longa diſſertatione per potiores matheſeos partes & alias ſcientias eundo tandem ad dialectices præ reliquis præſtantiam colligendam digreditur, & in ea virtutem, pulchritudinem, ſapientiam, ſummo bono maxime adjacentia & proxime vicina quærit. Ita enim notabili ſententia inductionem claudens, ad Protarchi quæſtionem: quæ illa dialectica ſit? reſpondet (*yy*): δῆλον ὅτι ἡ πᾶσαν τὴν γε νῦν λεγομένην γνώη, τὴν γὰρ περὶ τὸ ὂν καὶ τὸ ὄντως καὶ τὸ κατὰ ταυτὸν ἀεὶ πεφυκός τοῦτο ἔγωγε ὀιμαι ἡγεῖθαι ξυμπάντας ὅσοις νοῦ καὶ σμικρὸν προσήρηται μακρῷ ἀληθεςάτην ἐιναι γνῶσιν. *Manifeſtum eam, quæ omnem modo inductam peritiam noſcit. Hanc enim, cum circa id, quod eſt & vere eſt, & ſemper eodem modo ſe habet, verſetur, arbitror omnes, quibus modo aliquid ſanæ mentis adſit, longe omnium veriſſimam cognitionem eſſe protinus conceſſuros.* Diligenter hæc Platonis verba cum auctore noſtro conferri velim, manifeſte enim illorum veſtigiis inſiſtit noſter, qui huc omnem ſcientiarum, in Græcorum ſcholis perſonantium, apicem cum Platone retulit, inque eo comprehendi ſtatuit, ut habeat cognitionem τῶν ὄντων, *eorum quæ revera ſunt, & per ſe exiſtunt, & immutabilia cum ſint, ſola omnium ſcientiarum fundamenta exhibent, & ſupremum ſapientiæ culmen conſtituunt.* Vides, non rem modo, in Platonicorum ſcholis κύριον δόγμα ſed & ipſam Græcam Platonis vocem eamque ſolennem Salomoni ignotam, cui ideæ Platonicæ numerique Pythagoræ ſive ὄντα iſta ne per ſomnium quidem viſa ſunt, manifeſto indicio prodere, longe aliam ſapientiæ ideam Noſtrum ſibi effinxiſſe, quam habuit ipſe Salomo. Hic enim ad timorem Domini & mali a bono practicam diſtinctionem ſapientiam omnem retulit (*zz*), ille vero Græco glaucomate deceptus ſapientiæ veram effigiem

(*yy*) *p. m.* 172. (*zz*) vid. *Prov. II.* 5. 6. *VII.* 1. *ſeqq. IX.* 10.

giem in Platonis dialectica & cognitione τῶν ὄντων per omnes diſciplinas quærenda conſtituit, ſicque cum Platone & Platonicis ad inania τερετίσματα, quæ ARISTOTELIS de iis vox fuit *(aaa)* ſummo loco illis poſita, ut alibi obſervavimus *(bbb)* delapſus, adeo characterem Salomoneæ ſapientiæ obliviſcitur, ut mirandum eſſet, viros acutos & doctos in dignoſcendo fœtu ſuppoſititio cœcutiiſſe, niſi abſurdum illud præjudicium, Hebræorum ſapientiam Græcorum philoſophiæ ſimilem fuiſſe, viros cetera magnos faſcinaviſſet. Ex hoc enim fonte omnis ille error dimanavit, facile evitandus, ſi ad ingens illud diſcrimen attendatur, quod inter definitionem ſapientis Salomoneam, & Pythagorico-Platonicam intercedit. Illi enim ſapiens eſt, qui Deum timet, & ejus habet intelligentiam, cuſtodientem a mala via; his vero hominibus ſapientiſſimus eſt, θεωρῆσαι δυνατὸς τὰ ἔοντα, καὶ ἐπιστάμαν καὶ φρόνασιν λαβὼν ἐκ τῶν ἁπάντων παρ᾽ ὅ καὶ ἐκεχάραξε καὶ ἐπιστημήνατο τὸ θεῖον αὐτῷ τῷ τοῦ παντὸς λόγῳ σύστημα ἐν ᾧ τάδε εἴδεα πάντα τοῦ ἐνόντος ἐνδέδαται καὶ τὰ συμπᾶστάτε τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, *qui contemplari poteſt ea quæ exiſtunt, & ex omnibus ſcientiam atque prudentiam haurire. Prætérquam quod etiam inſculpſit numen & impreſſit univerſæ rationis ſyſtema, in quo omnes exiſtentium ſpecies diſperguntur, nec non ſignificationes rerum & verborum.* Quibus verbis ARCHYTAE ut multa cum verbis noſtri ſimilitudo ineſt, quæ ſcilicet non idem volunt modo, ſed & ipſis verbis dicunt, ita quo fonte hauſta ſint, manifeſto loquuntur indicio.

§. XI. Eandem tibiam Platonicam inflat noſter, quando *eodem capite* paulo infra *verſu vigeſimo quinto & ſequenti* ſapientiam his prædicatis ornat: ἀτμὶς γὰρ ἐστὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀποῤῥόια τῆς τοῦ παν- ***De mentis divinæ emanatione.***

(*aaa*) *Analyt. poſter. l. I. c.* 19. (*bbb*) *hiſt. de ideis ſect. I. §. 4. p. 35. ſeq. §. 6. p. 86. ſeqq. p. 110. ſeqq.*

τοκράτορος δόξης - - - ἀπαύγασμα γὰρ ἐςι φωτὸς ἀϊδιόν. *Reſpiratio eſt divinæ potentiæ, & particula effluens ex gloria omnipotentis, radius reſplendeſcens divinæ lucis.* Hic iterum Platonicæ ſcholæ ſe accommodat, quæ in eo tota fuit, ut intellectum, ſive mentem divinam, quam verbum quoque dixere, quamque divinam ſapientiam eſſe pridem CLEMENS ALEXANDRINVS monuit (*ccc*), ex Deo primo, immobili omnium fonte tanquam radium ex ſole, per emanationem ſive effluxum, eſſe doceret. Non hic laceſſemus Platonem, obſcurius, ut ſolet, de mente differentem, Timæique (*ddd*) ſui principia tria, Deum, ideam, materiam obſcuriſſimæ doctrinæ velo involventem, unde nec in iſtam diſceptationem digrediemur, utrum per iſtam ſapientiam & intellectum Plato intellexerit attributum tantum, poëtico imo gentili more perſonæ ſive ὑποςάσεως ſpecie indutum? an principium aliquod emanativum, ex Deo eſſentiam & lucem & ὑπόςασιν nactum (*eee*)? Audiant & dijudicent viros doctos, de hac re digladiantes, qui hæc curioſius obſervare cupiunt. Nobis ſatis eſt animadvertiſſe, Platonicam ſcholam Alexandriæ in novam formam effictam ita locutam eſſe, ut noſtrum alumnum habuiſſe facile pateat. Et hic exſcribenda eſſent omnia, quæ de origine mentis ex Deo ab his hominibus afferuntur, quæ vero cum prolixa nimis ſint, apud alios quærenda ſunt *: unus vero itemque alter Platonicorum Alexandrinorum locus ſatis loquetur, unde iſta ſapientiæ prædicata noſter hauſerit. Ex his vero primi ordinis philo-

(*ccc*) *l. V. p. m.* 547. (*ddd*) apud GALE *opuſc. mythol. p.* 544. *ſeqq.* ubi de origine ideæ ex Deo ſatis luculenter diſſeritur.

(*eee*) prius SOUVFRAINIVS *Platoniſme devoilé p. l. ch.* 5. *p.* 51. *ſeqq.* & poſt eum VITRINGA, poſterius CVDWORTHVS *ſyſt. int. c. IV.* §. 36. MOSHEM. *ad h. l.* & BASNAGIVS *hiſt. des Juifs. l. IV. c.* 9. *p.* 57. ſtatuunt.

(*) Conf. *hiſt. crit. phil.* T. II. p. 395. ubi Plotini ſyſtema ea de re ipſis ejus verbis enarratur.

philoſophus PLOTINVS dum oſtendit, qua ratione Deus ſummus abſque ullo voluntatis vel naturæ motu divinum intellectum tanquam verbum ſuum generaverit, inter alia ſolis ſimilitudine illuſtrat, huncque divinum intellectum vocat (*fff*) περίλαμψιν ἐξ αὐτοῦ μὲν, ἐξ αὐτοῦ δὲ μένοντος διον ἡλίου τὸ περὶ αὐτὰ λαμπρὸν ὥσπερ περὶ θεὸν, ἐξ αὐτοῦ ἀεὶ γενόμενον μένοντος. *Lumen undique circumfuſum ex ipſo dependens* (ortum) *ex ipſo penitus quieſcente, ceu fulgorem circa ſolem, quaſi circumcurrentem, ſic & circa Deum, ex ipſo ſemper quieſcente ortum.* Ex hujus ſchola in eundem modum IAMBLICHVS (*ggg*) Deum ex Deo genitum, id eſt ſapientiam divinam ex Deo primo emanaſſe docturus, ſcribit: ἀπὸ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψεν. *Ex hoc uno ente ſibi ſufficiens Deus, ſibi ipſi tanquam radius & fulgor lucis ortus auctor extitit*, id quod voce ἐκλάμπειν indicare voluit. Neque mirum tranſiiſſe hanc locutionem, vetuſtiorem Plotino, ad Iudæos, qui ut ex inſtituto Orientis & Ægypti allegorico ſermoni libenter aures dabant, ita Deum lucem eſſe, antiquiſſima parentum traditione audiverant, ſcriptura S. lucem Deo ipſa aſſignante. Vnde mature hæc de emanatione lucis divinæ doctrina ad Iudæos tranſiit, & ex Alexandrina ſchola inter eos ἐσοτερικῶς philoſophantes recepta fuit, filium primogenitum & divinam quæ in illo reſidet ſapientiam (Adam Cadmon & Sephiram Chochma nominant) emanationis lege ex luce illa infinita ortum ſuum habuiſſe: qua de re Cabbaliſtarum libri conſulendi ſunt, vel legenda, quæ hac de re alibi (*hhh*) fuſe ſatis attulimus.

§. XII. His cum noſter ſe attemperaverit ſententiis Pythagorico-Platonicis, mirum non eſt, in reliquis ſapien- *De ſapientiæ commodis.*

(*fff*) *Ennead. V. l. I. c. 6. p. 487.* (*ggg*) *de Myſter. Ægyptior. Sect. VIII. c. 2. p. 158.*
(*hhh*) *hiſt. philoſ. T. IV. p. 774. ſeqq.*

pientiæ encomiis, in quibus, fuſe *capite octavo* allatis, turgidum eloquentia ſophiſtica calamum exercet, Pythagoreo-Platonica lingua fuiſſe locutum. Promittit enim ſapientiæ cultori non ſtilo tantum Salomoneo divitias, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, ſed & ſcientiam præteritorum & futurorum, cognitionem dialecticam, ſolutionem ænigmatum, præſcientiam miraculorum & ſignorum, & futurorum fatorum inſpectionem. Ita enim: *ἐι δὲ φρόνησις ἔργαζεται τῆς ἀυτῆς τῶν ὄντων μᾶλλον ἐςι τεχνίτης. καὶ ἐι δικαιοσύνην ἀγαπᾷ τις, δι πόνοι ταύτης ἐισὶν ἀρεταὶ, σοφρωσύνην γὰρ καὶ φρονήσιν ἐδιδάσκει, δικαιοσύνην καὶ ἀνδρείαν, ὧν χρησιμότερον ὀυδὲν ἐςι εν βίῳ ἀνθρώποις. Ει δέ καὶ πολυπειρίαν ποθεῖ τις, ὁιδε τὰ ἀρχᾶια, καὶ τα μέλλοντα ἐικάζει, ἐπίςαται ςροφὰς λόγων, καὶ λύσεις ἀινιγμάτων, σημεῖα καί τέρατα προγίνωσκει, καὶ ἐκβάσεις καιρῶν καὶ χρόνων.* Non dubitamus, ſubolfacturum philoſophiæ Alexandrinæ Pythagorico-Platonicæ vel mediocriter gnarum, digredi noſtrum in hujus caſtra, eaque ſapientiæ alumno promittere, quæ in philoſophia activa & contemplativa apud hos homines utramque faciebant paginam. In illa enim cuncta reduxere hi philoſophi ad quatuor virtutes cardinales, prudentiam, fortitudinem, temperantiam & juſtitiam, in quo magiſtrum quidem ſecuti ſunt, per varias tamen claſſes ejus doctrinam deduxerunt, & inter eas politicas quoque virtutes poſuerunt, quod in vita civili & politica præſtantiſſimam utilitatem conferrent. Rem a Platone jam dictam (*iii*) & alibi probatam (*kkk*) prolixius Platonicorum allatis confirmare locis in re nota ſupervacaneum putamus; monemus vero, Platonicos Alexandrinos altius ſurgentes, inter claſſes ſupre-

(*iii*) in *Protag. l. IV. de Rep.*

(*kkk*) *T. II. hiſt. crit. phil. p.* 460. *ſeqq.* conf. *Obſ. Hal. c. IX. obſ.* 7.

ſupremas collocaſſe theoreticas & theurgicas, quibus non tantum τῶν ὄντων ſcientia & artificium, & intuitiva ſcientia comparatur, ſed & philoſophus aptus ſit ex converſatione cum Diis futura & præterita cognoſcere, miracula non intelligere tantum, ſed & perpetrare, & futurorum fatorum explicationes & exitus penetrare. Quæ ut obvia ſunt ubivis apud hujus generis philoſophos (*lll*): ita jam apud Apollonium, ejusdem commatis hominem, deprehenduntur, qui in *Epiſtolis* apud PHILOSTRATVM (*mmm*) in eundem fere modum philoſophiam deſcribit, ut ejus ſtudioſo promittat: artem condendi leges, geometriam, aſtronomiam, arithmeticam, muſicam, medicinam, univerſam divinationem: & quæ pulchriora adhuc, animi magnitudinem, gravitatem, conſtantiam, bonam famam, cognitionem deorum, ſcientiam dæmonum, amicitiam utrorumque, aſſiduitatem, frugalitatem &c. Accurate hæc cum verbis noſtri comparanda ſunt: vix enim ovum ovo deprehendes ſimilius. Nam & Pſeudo-Salomo promittit cultori ſapientiæ non virtutes tantum politicas φρόνησιν, prudentiam, δικαιοσύνην juſtitiam, σωφροσύνην temperantiam, ἀνδρείαν fortitudinem, notiſſimam in ſchola Platonis virtutum diſtinctionem; ſed & τέχνην τῶν ὄντων, artificium revera exiſtentium, id eſt, intellectualium ſcientiam, ex qua futurorum præſcientiam dependere credebant Platonici; immo & virtutes theurgicas, præterita & futura cognoſcere, miracula prævidere, exitus rerum temporumque, qua arte olim inclaruit Apollonius (*nnn*) prænoſcere. Quis hic Platonicum Alexandrinum

 non

(*lll*) vid. MARINI *vita Procli*, & FABRICIVS in *prolegom.* PROCLVS *in Alcib. hiſt. crit. phil. T. II. p.* 461. ſeqq. & citati ibi.

(*mmm*) *cap.* 52. *p.* 398. (*nnn*) vid. *hiſt. crit. philoſ. T. II. p.* 136. *ſeq.*

non palpabit, niſi manibus deſtitutus & oculis penitus captus ſit?

De animæ præexiſtentia.

§. XIII. Eandem cantilenam canit Salomoneæ ſapientiæ architectus, & non minori evidentia imposturam prodit, quando *c. VII. v. 19. 20.* Salomonis perſonam mentitus ſapientiſſimum Hebræorum regem ad Platonicorum placita efformat, & corruptis eorum hypotheſibus inſtructum ita loquentem introducit: Παῖς ἤμην εὐφυὴς ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον, *puer eram bonæ indolis, animam enim ſortitus bonam eram, quia vero melioris qualitatis eram, veni in corpus immaculatum.* Ita enim verba vertenda ſunt, quæ Platonicam ſcholam aperte ſapere poſt magnum GROTIVM (*ooo*) alibi monuimus (*ppp*). Recte vero nos pronunciaviſſe, fatebitur quilibet Platonicæ, imprimis quæ Alexandriæ florebat, philoſophiæ vel mediocriter peritus. Vti enim præexiſtentia animarum κύριον δόγμα hujus ſectæ fuit, quam hoc loco auctor aperte innuit, ita imprimis Platonica doctrina de deſcenſu animarum in corpus & varia earum ex anteriori vitæ fatique conditione diſtributio in varia corpora, & meliora quidem, quæ meliori ratione ante corporis inhabitationem ſe geſſerant, luculenter a noſtro expreſſa eſt. In hanc enim ſententiam delatus jam eſt Plato, in Pythagoreorum ſcholis ita ſine dubio inſtructus, animas ante deſcenſum in corpora neſcio quibus fati & neceſſitatis legibus conſtrictas varie peccaſſe lapſuque hoc defluentibus, quibus in ideali mundo detinebantur, alis in inferiora & corpora vel hominum, vel brutorum, decidiſſe, ita tamen ut varia vel meliora vel deteriora acciperent corpora, prout ratio & conditio prioris ſtatus requireret. Loca Platonis, quibus more ſuo obſcure ſatis hæc prodidit, quia alibi (*qqq*) excitavimus,

(*ooo*) [illegible] (*ppp*) *in Otio Vindel. Melet. I. p. 21.*
(*qqq*) *in* [illegible] *de ideis Sect. I. §. 6. p. 102. ſeqq.*

vimus, & prolixe adduximus, brevitatis ſtudio non repetemus; illud vero neceſſario addendum eſt, magnam accepiſſe celebritatem hanc doctrinam apud ſequiorum temporum Platonicos, eos imprimis, qui ad Ægyptium philoſophiæ habitum ſe attemperabant. Hi enim in eo operoſi fuerunt, ut oſtenderent, variam animarum ante deſcenſum in corpora fuiſſe conditionem, variam vivendi rationem & perfectionem, varium quoque inclinationis in deteriorem & corporeum ſtatum habitum; inde factum eſſe, ut meliores & perfectiores animæ in corpora puriora deſcenderent, deterioribus magisque lapſu depravatis in deteriora, immo brutorum quoque corpora detruſis. Quæ ſententia non unum monſtrorum genus in Platonicis ſcholis genuit: inde enim abſurdum transmigrationis dogma, inde internecinum erga corpus odium, inde perverſa purgandi animum ratio, inde aſcenſus ad Deum enthuſiaſmi parens & denique quid non? abſurdi originem habuit. Prolixus hic ſe aperit campus, exſpatiandi in deliramenta Platonicorum famoſiſſima, & quæ paucis dicta ſunt latius confirmandi (†): ſed ea alium & patentiorem locum poſtulant, diſſertationis hujus limitibus non circumſcriptum. Probabimus tamen ea, quæ apertam in lucem hoc Platonicorum dogma, quod ſecutus eſt noſter, ponunt. Neminem vero teſtem advocare poſſumus vel meliorem vel luculentiorem, quam Patriarcharum in ſchola Eclectica trigam celeberrimam, PLOTINUM, PORPHYRIUM, IAMBLICHUM, qui ut cathedræ & doctrinæ ſucceſſione ſe invicem ſecuti ſunt, ita celeberrimam hanc doctrinam mutuo conſenſu tradidere. Et PLOTINUS quidem, caput Alexandrinæ Platonicorum ſcholæ ita diſertus & prolixus circa hoc argumentum eſt, ut tota *Enneas quarta librorum ejus* exſcribenda

 eſſet,

(†) Conſuli poſſunt, quæ *hiſt. crit. phil.* T. II. p. 415. *ſeqq.* fuſe diximus.

eſſet, ſi cumulare vellemus, quæ in hanc rem faciunt. Non poſſumus tamen ſilentio præterire locum in hac materia vere claſſicum, etſi prolixiorem (*rrr*), quo acutiſſimus philoſophus ita: Ἰάσι δὲ ἐκκύψασαι (ἁι ψυχὰι) τοῦ νοητοῦ ἐις ὀυρανὸν μεν πρῶτον, καὶ σῶμα ἐκεῖ προσλαβοῦσαι δἰ ἀυτοῦ ἤδη χωροῦσι καὶ ἐπὶ τὰ γεωδέδερα σώματα ἐις ὅσον ἀν ἐις μῆκος ἐκταθῶσι, καὶ ἁι μὲν ἀπ᾽ ὀυρανὸν ἐις σώματα τὰ κατωτέρω, ἁι τε ἀπ᾽ ἄλλων ἐις ἄλλα ἐισκρινόμεναι, ἆις ἡ δύναμις ὀυκ ἤρκεσεν ἆραι ἐντεῦθεν, διὰ βάρυνσιν καὶ λήθην πολύ ἐφελκομέναις ὃ ἀυταῖς ἐβαρύνθη γίγνονται δέ διάφοροι ἡ σωμάτων, ἐις ἃ ἐνεκρίθησαν παραλλαγαὶς, ἢ καὶ τύχαις, ἡ καὶ τροφαῖς ἢ ἀυταὶ παῤ ἀυτῶν τὸ διάφορον κομίζουσιν ἢ πᾶσι τούτοις ἢ τισίν ἀυτῶν. καὶ ἁι μὲν τὰ πάντα ὑποπεπτώκασιν ἐιμαρμένη τῆ ἐνταῦθα; ἁι δὲ τὸ μὲν ὅυτως, ὅτε δὲ ἀυτῶν. Ἁι δὲ ὅσα μὲν ἀναγκαῖα ὑπομεῖναι συγχωροῦσι, δύνανται δὲ ὅσα ἐςιν ἀυτῶν ἔργα, ἀυτῶν ἔιναι, ζῶσαι, κατ᾽ ἄλλην τὴν τῶν συμπάντων τῶν ὄντων νομοθεσίαν, ἄλλο ἑαυτὰς θεσμῳδοῦσαι, πέπλεκται δὲ ἄυτη ἐκ τε τῶν τῆδε λόγων τε, καὶ ἀιτιῶν πάντων, καὶ ψυχικῶν κινήσεων, καὶ νόμων τῶν ἐκεῖθεν συμφωνοῦσα ἐκείνοις, καὶ ἀρχὰς ἐκεῖθεν παραλαβοῦσα καὶ συμφαίνουσα τὰ ἐξῆς ἐκείνοις. ἀσέλευτα μὲν τηροῦσα ὅσα δύνανται σώζειν ἑαυτὰ πρὸς τὴν ἐκείνων ἕξιν. Τὰ δὲ ἄλλα ἧ πέφυκε περιάγουσα, ὡς τὴν ἀιτίαν ἐν τοῖς κατελθοῦσιν ἔιναι. ὅτι ὅτως ἐις τὰ μὲν ὡδὶ τευθῆναι, τὰ δέ ὡδι κεῖσθαι. *Procedunt autem animæ a mundo intelligibili declinantes, primo quidem in cælum, ibique corpus* (ætherium & cœleſte, vehiculum animæ, cum corpore hoc terreſtri & craſſiori non confundendum), *accipientes, per ipſum jam in corpora magis terrena labuntur quatenus progrediuntur in longum. Et aliæ quidem*

(*rrr*) *Ennead. IV. l. III. c.* 15. *p.* 383.

quidem a cælo in corpora inferiora, atque viciſſim aliæ vero ab aliis in alia tranſeunt, quippe cum his facultas non ſuppetat ad ſe hinc attollendas propter pondus atque oblivionem, plurimum trahentes ſecum, quo trahente ad inferiora præcipitentur. Differentes autem animæ inter ſe fiunt, vel ob diverſitatem corporum, quibus inſinuantur, vel etiam ob fortunas, vel rurſus educationes, vel ipſæ præter ea ex ſeipſis differentiam ſecum ferunt, & omnino vel per hæc omnia, vel aliqua diſcrepant. Proinde aliæ omnino fato hic dominanti ſuccumbunt, aliæ autem tum fato cedunt, tum ſui juris vivunt. Sunt &, quæ, quotcunque neceſſaria ſunt, ſuſtinenda concedunt, poſſunt tamen, quæcunque ſunt proprii muneris, ſibi reſervare, viventes ſcilicet ſecundum aliam quandam conſtitutionem legum, cuncta ſimul entia complectentem, & alteri ſe regulæ committentes. Contexta vero hac eſt ex omnibus, quæ hic ſunt, rationibus & cauſſis, item motibus animarum, & legibus inde pendentibus, conſonans videlicet illis, & exordia inde ſuſcipiens, & illis conſequentia cuncta contexens, tum vero ſervans ea omnia inconcuſſa, quæcunque ad illorum habitum ſervare ſe poſſunt. Cætera vero, quæ fert natura, propria circumducens, adeo ut in deſcendentibus cauſſa ſit, propterea quod ita ſe habent, ut hæc quidem hic atque ita ponantur, illa vero ibi & aliter collocentur. Locus notabilis & illuſtrandis dictis Pſeudo-Salomonis eo magis aptus, quod non tantum diverſam animarum deſcendentium ſortem & meliorem vel deteriorem conditionem corporum, in quæ deſcendunt, explicat, ſed & rationem aperit, unde diſcere licet, quæ animæ illæ bonæ indolis meliorisque commatis ſint, & cur immaculatius corpus nanciſcantur, in eo felicioris ſortis & conditionis, quam quæ gravius lapſæ maculatum corpus acceperunt. Conſonantia præceptori diſcipulus PORPHYRIVS tradit, quando appoſite ad ſententiam noſtri ita (*sss*): ὡς ἂν ἐντεῦθεν

(*sss*) *Sentent.* XXXIII. *p. m.* 77. *ſeqq.* ed. Romanæ.

(ἡ ψυχὴ) ἑυρίσκει σῶμα τάξει καὶ τοῖς οἰκείοις διωρισμένον. διὸ καθότερον μὲν διακειμένη σύμφυτον τὸ ἐγγὺς τοῦ ἀυτοῦ σῶμα, ὅπερ ἐςι τὸ αἰθέριον· προελθούση δὲ ἐκ λόγου ἐις φαντασίας προβολὴν σύμφυτον τὸ ἡλιοειδεῖς θυληνθύση δὲ καὶ παθαινομένη πρὸς τὸ ἔιδος παράκειται τὸ σεληνοειδές. ὅταν κατὰ τὸ αὐτῆς ἄμορφον αὐτῆς τὸ ἔιδος, ἐξ ὑγρῶν ἀναθυμιάσεων συνεςηκότα, ἄγνοια ἕπεται, τοῦ ὄντος τελεία, καὶ σκότωσις, καὶ νηπιόδης. *Prout anima diſpoſita fuerit, ita corpus ſuo ordini proprietatibusque definitum invenit; ideo purius diſpoſitæ corpus quam proxime ad immateriale accedens, ætherium ſcilicet adjunctum eſt. Progreſſæ autem a ratione ad objectum imaginationis, corpus ſolare adnaſcitur, ſed effeminatæ & formarum amore captæ adjungitur corpus lunare, delapſam vero in corpora cum ſecundum informem ejus ſpeciem ex humidis vaporibus compoſita exſiſtant, perfecti entis ignorantia & caligo & infantia ſequitur.* Paria habet Porphyrii diſcipulus IAMBLICHVS (*ttt*) qui diverſam providentiæ divinæ diſpoſitionem circa animæ in corpore exſiſtentis & peregrinantis fata hominis injuſta ſæpe viſa inde potiſſimum derivat, quia varia peccantis ante ingreſſum in corpus animæ fuit prævaricatio nobis ignota, varia vita, varia conditio: ὀυδὲ ἐνταῦθα δύνανται ἀναλογίζεσθαι τις ὄυσα ἡ ψυχὴ, καὶ τινὰ ἔχουσα τὴν ὅλην ζωὴν, καὶ πόσα ἐν προτέροις βίοις διαμαρτήσασα τυγχάνει, καὶ ἐι ἄρα πάσχῃ ταῦτα, ἅπερ ἐποίησε πρότερον. *Non poſſunt intelligere animam ſuam, qualis ſit, qualem vitam in univerſum egerit, quod peccaverit in ſtatu antecedente, & utrum jam patiatur, quæ antea male fecit.* Quibus verbis non προϋπαρξιν tantum

(*ttt*) *de Myſter. Ægypt. Sect. IV. c.* 5. *p.* 109. & GALE *ad h. l. cont.* IDEM apud STOBAEVM *eclog. phyſic. pag.* 112. ÆNEAS GAZÆVS in *Theophr. pag.* 9.

tantum animæ ſtatuit, ſed & variam ex varia peccati admiſſi qualitate conditionem vitæ fatorumque vel meliorum vel deteriorum. Quam ſententiam ab Empedocle derivat PLOTINUS (*uuu*) certe in Pythagoreorum ſcholis frequens fuit, & inde ad Platonicos propagata. Similia paſſim invenies apud reliquos ſcholæ Eclecticæ, vel ſi mavis, Platonicæ magiſtros, multum enim in his nugis hæc ſecta ſibi placuit. Immo ad Iudæos pariter & Chriſtianos hoc dogma tranſiit. Inter eos enim Cabbaliſtæ de deſcenſu animæ veſtitum ætherium in paradiſo nactæ multa garriunt (*xxx*): ‹ inter hos vero ORIGENES (*yyy*), animis ad inferiora delapſis pro conditione naturæ & perfectionis vel imperfectionis ſuæ domicilia diverſa aſſignavit. Verum hæc alienæ indaginis ſunt, quæ non moramur. Nobis ſufficit oſtendiſſe, Platonicam de præexiſtentia animarum, earumque diverſo in corpora pro conditionis & qualitatis ſuæ ratione diverſa deſcenſu auctorem libri Sapientiæ adamatarum Platonicarum nugarum convincere.

§. XIV. Connectitur cum Platonico animarum deſcenſu arctiſſime dogma aliud de corpore animæ carcere & ergaſtulo, cujus vinculis ita impeditur, ut aſcendere ad originem ſuam nequeat, niſi vinculis corporis prius emancipata & liberata per mortem philoſophicam a corporis animam gravantis tyrannide. Decantata apud Platonem ipſum & Platonicos ſententia, & in vulgus adeo nota, ut parietem dealbare merito videamur, ſi prolixe ea probare contendamus, quæ vel per tranſennam Academiam intuito patent, quæque tam ab aliis (*zzz*) quam a nobis

De corpore animæ carcere.

(*uuu*) *Enn. III. l.* 2. *c.* 13.

(*xxx*) vid. R. MOSES CORDVERO *Pneum. Cabb. T. I. Cabbal. denud. P. III. p.* 128. *ſeq.*

(*yyy*) περὶ ἀρχῶν *l. III. conf.* HVET. *Origenian. Q.* 5. *p.* 68. *hiſt. crit. philoſ. T. VI. p.* 448. *ſeqq.*

(*zzz*) SCHEFFER *de philoſ. Italica.* HANSCH. *de Enthuſ. Plat.*

nobis (*a*) prolixe ſatis & adductis Platonis & Platonicorum locis probata & illuſtrata ſunt. Aſt eadem philoſophandi de corpore ratio Pſeudo-Salomoni placuit, qui, *C. IX. v. 15.* φθαρτὸν σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφρόντιδα. *Corruptibile corpus gravat animam, & terreſtre tabernaculum deprimit mentem curis multis diſtractam.* Loquitur & verbis Platonice, corpus corruptibile, quod in his terris anima nanciſcitur, opponens corpori ætherio cæleſtique & puro, quod in deſcenſus primo gradu nactum eſt, & de quo in antecedentibus diximus: & Platonicam ſententiam ſequitur, corporis gravi onere ita deprimi animum, ut per diverſas easque terrenas cogitationes diſtractus altius exſurgere & cœleſtia cogitare nequeat. Ita enim non Platonici tantum, ſed ipſe quoque Plato ad corpus potiſſimum cauſſam retulere cur animus philoſophando ad ſuperiora pertingere & evolare ad principium ſuum nequeat. Quod ne gratis dixiſſe videamur, uno eoque eleganti PLATONIS loco rem in aprico ponere juvat. Ita vero elegantiſſimus philoſophus in præſtantiſſimo *de animo* dialogo (*b*) diſputatione inter Socratem & Simmiam inſtituta, cujus verba Latino tantum ſermone brevitatis cauſſa excitamus. Soc. *Videturne tibi philoſophi officium eſſe, ſectare eas, quæ appellantur voluptates, quales ſunt epularum atque poculorum?* Simm. *Minime.* Soc. *Sed nunquid venereorum?* Sim. *Nullo modo.* Soc. *Quid reliquum corporis cultum an multi facere philoſophus tibi videtur? ut, habere veſtimenta egregia, calceosque & alia, quæ circa corpus ſunt, ornamenta? Vtrum multi facere tibi videtur, an nihili pendere, niſi quatenus magna cogat neceſſitas illis uti?* Simm. *Mihi*

(*a*) *hiſt. de ideis l. c.* Fundamentum dogmatis Platonici expoſuimus *hiſt. crit. phil. T. I. p. 715. ſeq.* & Eclecticorum ea de re voces *T. II. p. 459.* quæ his jungenda.

(*b*) in *Phædone p. m. 336.*

Mihi quidem videtur verus philoſophus hæc omnia flocci pendere. Soc. *Annon tibi videtur ejusmodi ſtudium haud ad corpus quidem declinare, ſed, quantum fieri poteſt, ab illo diſcedere atque ad animum ſe convertere?* Simm. *Mihi quidem videtur.* Soc. *Nonne igitur in ejusmodi rebus primum manifeſte apparet, philoſophum præter cæteros homines animum quam maxime poteſt, a commercio corporis ſegregare?* Simm. *Apparet.* Soc. *Putant vero, o Simmia, eum hominem, cui nihil talium dulce ſit, iisque minime fruatur, revera vivere exiſtimandum non eſſe, ſed pene mortuum, cum voluptates corporis non percipiat?* Simm. *Veriſſima narras.* Socr. *Quid autem circa ſapientiæ inquiſitionem? Vtrum impedimenti eſt corpus, ſi quis ipſum ſocium ad inveſtigandum aſſumſerit, nec ne?* Simm. *Tale utique aliquid dico.* Soc. *Habetne viſus & auditus veritatem in hominibus aliquam, an talia quæqam ipſi quoque poëtæ ſemper canunt, nihil nos audire nihil videre ſincerum. Atqui ſi ii corporis ſenſus ſinceri certique non ſunt, neque etiam alii, quippe cum ceteri omnes his deteriores ſunt. Annon tibi videntur?* Simm. *Prorſus.* Socr. *Quando igitur animo veritatem attingit, quando aliquid cum corpore tentat inveſtigare; procul dubio decipitur a corpore.* Simm. *Vere loqueris.* Socr. *Annon ſicuti proprie in ipſa ratiocinatione fit ſibi aliquid eorum, quæ vere ſunt, manifeſtum?* Simm. *Ita eſt.* Socr. *Ratiocinatur autem tunc optime, ubi nihil eorum eum perturbat, neque auditus, neque viſus, neque dolor, neque voluptas, ſed quam maxime in ſe ipſum recipiens deſerit corpus, neque quicquam, quoad fieri poteſt, cum eo communicans, neque attingens, ipſum, quod vere eſt, affectat.* Simm. *Eſt ita.* Socr. *Nonne & in hoc philoſophi animus maxime contemnit corpus, ab eoque aufugit, quæritque ſecundum ſe ipſum vivere.* Simm. *Apparet.* Habes elegantem commentarium eorum, quæ paucis dixit noſter, quique eo tendit, ut oſtendat, corporis commercio impediri & gravari animum, liberatum ab eo veri-

veritatem remque ipſam intueri, & ad ſapientiam cœleſtemque cognitionem ita aſcendere. Quæ omnia Platonis quidem deliramentis, non vero Salomoneæ ſapientiæ, corpus quoque a Deo conditum aſſerenti & corruptionem in ipſa anima quærenti conſona ſunt.

De Deo τῷ ὄντι. §. XV. Vidimus hactenus Pſeudo-Salomonem noſtrum in Platonicorum caſtris ita militantem, ut poſthabita ſapientiæ, quam a parentibus acceperat, Hebrææ puritate, impuras & heterodoxas gentilium ſententias ſequeretur. Quod ut manifeſtum facit, niſi vera falſis miſcere, diemque cum nocte comparare velimus, nec a Salomone, nec ab alio ſcriptore θεοπνεύςῳ librum ſapientiæ fuiſſe profectum; ita totam cauſſam perorare, & tractationi colophonem imponere facile ſinit. Antequam tamen campum hunc, quem ingreſſi ſumus, deſerimus, exemplum unicum eorum locorum afferendum adhuc eſt, quibus auctor noſter non a vera quidem ſententia & doctrina recta ſeceſſum fecit, Platonicis tamen vocibus & locutionibus uſus demonſtravit, qua ratione ipſam Hebræorum veritatem Platonica veſte exornari eaque ſuperbire cupiat. Illud vero maxime notabile eſt, quando *cap. XIII. v. 1.* Deum vocat τὸν ὄντα ſenſu abſoluto & κατ᾽ ἐξοχὴν ita nuncupatum. Ait enim: ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα: *Ex conſpectu rerum bonarum non potuere cognoſcere eum, qui revera & abſolute eſt.* Non ineptum, fatemur, nec a veritate prorſus Hebrææ philoſophiæ alienum, quæ adorandam rerum omnium cauſſam ideo voce יהוה appellat, quod ea nec aliam a ſe ipſa cauſſam ſui habet, & in exiſtentium genere prima cauſſa eſt omnium, quæ omnes realitates in ſe complectitur: vox tamen & locutio non Hebræa, ſed Platonica, & in horum philoſophorum ſcholis uſitata, qui in genere τῶν ὄντων, id eſt principiorum ſpiritualium per ſe exiſtentium & realem eſſentiam in ſe continentium, quæ entia ſenſu abſo-

luto

luto vocabant, & materiæ fluxæ ſemper & mutabili opponebant (*c*), Deum τὸ ὂν faciebant ſenſu primo & abſolutiſſimo. Nolumus in re nota eſſe prolixi, non poſſumus tamen præterire locum inſignem IAMBLICHI, quo mens & ſermo Platonicorum Alexandrinorum luculenter explicatur. Ita vero ille (*d*): πρὸ τῶν ὄντος ὄντων καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν ἐςὶ θεὸς εἷς πρῶτος καὶ τοῦ πρώτου θεοῦ καὶ βασιλέως, ἀκίνητος ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων. οὔτε γὰρ νοητὸν αὐτῷ ἐπιπλέκεται, οὔτε ἄλλο τι παράδειγμα δὲ ἵδρυται τοῦ αὐτοπάτορος, αὐτογόνου καὶ μονοπάτορος Θεοῦ τοῦ Ὄντως ἀγαθοῦ, μεῖζον γὰρ τι καὶ πρῶτον καὶ πηγὴ τῶν πάντων καὶ πυθμὴ τῶν νουμένον πρότων εἰδῶν ὄντων. *Ante eas res, quæ vere ſunt, & ante principia univerſalium eſt Deus unus, prior etiam primo Deo & rege, eſt ille immobilis, in ſolitudine ſuæ unitatis permanens, neque enim intellectuale illi permiſcetur, neque aliquid aliud, eſtque exemplar ſui ipſius, qui eſt ſui pater & de ſe genitus, & unipater Deus & exiſtenter* (eminenter) *bonus. Eſt enim majus quid & prius, fons omnium & radix intelligibilium idearum, primarum entium.* Ab hoc ente entium primam emanationem DEI noëtarcham, ſive principem ὄντων, alterum in divinis principium derivat, & in ſequentibus totum Orientalis philoſophiæ ſyrma Deorum, quod Gnoſticis, Valentinianis reliquisque hæreticis ſylvam æonum condendarum præbuit (*e*) inde derivat, manifeſto exemplo, qua ratione pater mendaciorum veritatem in injuſtitia detinuerit. Sed videndus quoque ſcholæ hujus anteſignanus PLOTINVS (*f*) & ipſa oracula ab his hominibus notiſſimis compilata, ex

(*c*) vid. SCHEFFER *de phil. Ital. c. VII. p.* 56. *hiſt. de ideis Sect. I.* §. 6. & imprimis IAMBLICHVS in *Nicomachi arithm. p.* 5. TENNVLIVS *ad h. l.*

(*d*) *Myſter. Ægypt. Sect. VIII. c.* 2. *p.* 158.

(*e*) *vid. hiſt. phil. T. IV. p.* 1052. *ſeqq.*

(*f*) *Ennead V. l. V. c.* 3.

ex præceptoribus vero Platonis ARCHYTAS TARENTINVS, (*g*) ut alios taceamus.

De aliis. §. XVI. Poteramus his ſimilia adjicere, quando ſcilicet animam a corpore morte ſeparatam παραληφθῆναι ſurſum recipi innuit (*h*) notiſſimo ἀνόδου Pythagorico-Platonicæ vocabulo uſus, vel cognitionem Platonicorum intuitivam tangit, ſummum felicitatis apicem (*i*) vel theurgorum Platonicorum more angelo mortis ſummum pontificem reſiſtentem inducit (*k*) & quæ hujus commatis alia ſunt; ſed pertexenda tandem tela eſt, & ſcriptioni imponendus modus. Satis enim, niſi fallimur, demonſtratum dedimus, auctorem libri Sapientiæ non vocibus tantum phraſibusque Platonicis uſum eſſe, ſed ſecutum quoque eſſe ſententias apud Platonicos in Alexandrinis ſcholis perſonantes & ex Ægypto ad Aſiæ incolas & Iudæos quoque translatas. His jam demonſtratis & ſuppoſitis prona conſequentia fluit, falli illos, qui librum hunc vel ad Salomonem, vel ad Salomoneas doctrinas referunt, & nihil in eo inveniunt, quod non ſatis cum cœleſti Hebræorum doctrina conveniat. Vnde fruſtra quoque agunt, lateremque lavant, qui de hoc libro inter θεοπνεύστους referendo multum ſibi negotii faceſſunt, & inanem ſudorem excitant. Patet quoque ex demonſtratis, a Iudæo Græcanico in ſcholis philoſophorum Ægyptiorum educato & quidem iis temporibus libellum, ſi hos nævos excipias, elegantiſſimum fuiſſe conſcriptum, quo Pythagorico-Platonica philoſophia ſenſim inter Iudæos Ægypti Aſiæque minoris incolas recipi cœpit. Quod cum Ptolemæorum temporibus demum evenerit, facile inde de antiquitate libri judicium fieri poteſt, qui ſi ſemina manifeſta Platonismi Ægyptii in eo occurrentia conſideramus, non adeo multum aſcendere videtur ſupra tempora Philonis, etſi facile largiamur, ſupra ejus tamen

(*g*) *de Sap. opuſc. myth. p.* 734. (*h*) *c. XVI. v.* 14. (*i*) *c. XV.* 3. (*k*) *c. XVI.* 21. *ſeqq.*

tamen ætatem paulo altius collocandum eſſe. Vt vero duobus ſeculis eum faciemus Philone ſuperiorem, quod illi faciunt, qui eum Philoni alicui ſeniori adſcribunt, nobis & adulta ſatis in hoc libro Platoniſmi reformati ratio, & ſtilus quoque eloquentiam junioris temporis ſophiſticam prodens obſtat. Sed in incerta re certi nihil definimus, contenti demonſtraſſe, Platonicos Alexandrinos fuiſſe ſecutum auctorem libri Sapientiæ.

καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Observatio IX.

De Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus.

Conſpectus Diſſertationis.

§. I. Gratulabundæ de ſuſcepto theologiam docendi munere preces ad ven. & cl. ZIMMERMANNVM. §. II. Argumentum & momentum diſſertationis. Cauſſæ, cur ejusmodi imitationes gentiles inſtituere: damnum rei ſacræ inde illatum. Illuſtratum id ex hiſtoria philoſophica. Eclectici & Pythagorei ejus ſtudioſi, non item Ariſtotelici & Epicurei. §. III. Inprimis vero Stoici; *quos ad id impulit Chriſtianæ religionis præſtantia publice laudata, & emendandum vel incruſtandum potius philoſophiæ ſuæ ædificium, ruinæ proximum. Inde multi virorum eruditorum in comparatione philoſophiæ Stoicæ cum Chriſtiana religione lapſus. §. IV. Demonſtrata imitatio ex* formulis loquendi *a Chriſtianis mutuum ſumtis.* χάρις Θεοῦ, πόλις Θεοῦ ἁγιωτάτη, *homines* πολῖται Θεοῦ, υἱοὶ Θεοῦ; *mundus pro malorum grege ſumtus, homines templum ſacri Spiritus, Deus in homine habitans; ex Deo, in Deo, ad Deum omnia; Sol malis oriens; homines membra unius corporis, ramus arbori avulſus & iterum inſerendus; alia. §. V. Ipſa* dogmata *Chriſtianorum imitati Stoici. Doctrina de Deo a* πολυθεότητι *revocata. DEVS bonus, juſtus, omnipræſens, beneficus. Providentia DEI contra mores veteris Porticus aſſerta. Alluſio facta ad S. Trinitatis dogma: de angelis ſplendide dicta: de homine imagine Dei; corruptio mentis agnita, poſtulata converſio, pugna, cordis evulſio. Cynicus ad ideam miniſtri eccleſiæ Epicteto effictus. Vltima hominis Chriſtianorum more depicta: vita cogitatio mortis; ſperata æterna beatitas; reſurrectio promiſſa, mundi incendium. §. VI. Imitati Chriſtianos Stoici in* Philoſophia

morali *emendanda. Officia erga Deum, ſe, & homines more Chriſtiano injuncta. Sanctitatis laus affectata Stoicis. §. VII. Doli in iſta imitatione latentes. Diſſentientes viri docti, ſed fruſtra; totius ſyſtematis Stoici ratio cognoſcenda. §. VIII. Fundamentales doctrinæ philoſophiæ Stoicæ, & germaniſſima principia, decade theſium Stoicarum expreſſa. § IX. Oſtenſus impius & abominabilis ſenſus formularum & doctrinarum ſupra allatarum:* Stoici *a* Spinozæ *impietate non procul remoti. DEVS univerſum, mundus DEVS, patria, homines membra & cives, etiam mali, & ſine pœna. Chryſippus apertior, ante Chriſtianos imitatione expreſſos, teſtis. Mens particula animæ mundi; Pelagianiſmus Stoicorum ante Pelagium; omnia ex eſſentia una & in unam: inde reſtitutio & converſio; omnes mundi partes Dii; providentia Stoicorum maxime impia, fatalis & ſine libertate. Trinitas Senecæ abominanda. Dæmones effluvia ex anima mundi, partes vel etiam modificationes, conflagrationi obnoxii; mens hominis divina & tamen mortalis. DEVS corporeus. §. X. Corruptio mentis materiæ adſcripta; ea inſita virtute divina vitanda, integra & ſine labe ſervanda: materia DEO inobſequens. Cynicus miniſter univerſi, mundi, naturæ, Dei, ſine affectu, totus atheus. Spes futuræ ſortis melioris inanis & incerta, ſolatium cruce dignum: conflagratio mundi periodica, omnia in Deum reditura. §. XI. Iisdem impietatis principiis moralis philoſophia Stoicorum inædificata. Fatalis neceſſitas omnia præcepta enervans. §. XII. Mala inde in eccleſiam redundantia. Stoici errores pro Chriſtianis doctrinis admiſſi, doctrina moralis μετωπίζοντα. Cautio inde in rebus veterum cognoſcendis adhibenda.*

§. I.

ETſi ſemper orbi literato de te gratulatus ſum, venerande ZIMMERMANNE, qui in te virum nanctus eſt, non eruditionis tantum radiis elegantiſſimam diſciplinis melioribus lucem inferentem, ſed & inſolita animi dexteritate ſine præjudiciorum nebula, qua doctiſſimos ſæpe viros in devia abripi & in errores duci videmus, veritati litantem: etſi, quod lætus addo, talem in te candorem & amorem ſemper colui, qualem rarius inter eruditos deprehendimus: nunc tamen, cum te in patrio Athenæo divinis literis docendis admodum totus cum Tiguro veſtro amicorum tuorum chorus lætetur, novam & literariæ reipublicæ, & ſanctioribus diſciplinis de te gratulandi occaſionem perſpicio. Satis enim, & multorum annorum experientia doctus novi, talem te in graviſſimo

mo munere præſtiturum, qualem non vanis auguriis in elegantiſſima, quam ſub auſpiciis novi muneris dediſti, oratione te fore promiſiſti, theologum veritatis in amore & pace ſtudioſum. Quam inſignem animi dexteritatem cum magno judicii acumine & prolixa eruditione ornes atque adaugeas, qui poſſim aliter, quam ut eccleſiæ, orbi erudito, patriæ tuæ, & doctæ juventuti, cui doctor præfectus es, optima & jucundiſſima quæque de te pollicear? Mihi vero, ut tua amicitia nihil eſt jucundius atque dulcius, ita preces quoque pro te atque votiva verba amor in te meus, isque candidiſſimus poſtulat. Vnde ſcriptionis hujus occaſionem nactus, ut & ego inter amicorum tuorum plauſus animum optime tibi cupientem probem, toto pectore candidas pro omnigena felicitate & exoptatiſſimis in munere ſuſcepto fatis preces perſolvo, & uberrima animi ex divina Spiritus S. unctione dona, robur & fortitudinem, cum amore & pacis ſtudio in veritate certantem, victorias de vitiis & erroribus plurimas, quæque alia theologo neceſſaria atque jucunda ſunt χαρίσματα, ex abundantiſſimo patris luminum gremio in te redundatura, totus precor.

§. II. Ne vero vel te ſolidis meditationibus aſſuetum, vel lectorem quoque nuda offendat gratulatio, pietasque in te mea privato tantum argumento moleſta ſit, placuit pauca tecum *de ſubdolo Stoicorum philoſophorum poſt N. C. ſtudio Chriſtianos imitandi* confabulari, ratus, neque tibi in ejusmodi materiis hactenus feliciſſime verſato, & ad talia argumentorum genera excutienda nato atque vocato, injucundam, neque prudenti lectori ingratam, nec a mea vocatione & munere nimis alienam fore tractationem. Noſti enim egregie, optime ZIMMERMANNE, qui hiſtoriæ ſanctioris & philoſophicæ forulos toties excuſſiſti, quam mire ſe in omnes partes gyrosque converterit & torſerit coluber infernalis, ex quo divinus victor Ieſus caput ejus conculcavit, & divinæ lucis radiis

diis animis illuxit, ut ſanctiſſimis Chriſtianæ religionis doctrinis nocere, earumque incrementis obicem ponere valeret. Hoc cum perſecutionibus, odiis, calumniis contemtuque efficere ſatis ſe non poſſe perſpiceret, & ſanctitatem pariter atque ſoliditatem cœleſtis doctrinæ omnem ſuperſtitionem peſſundare atque evertere cerneret, alia via rei medicinam afferendam ratus, eo compulit gentilis doctrinæ & eruditionis antiſtites, ut ſanctiſſimam totique fere orbi jam probatam Chriſtianorum doctrinam imitarentur, & inprimis, quæ ad mores formandos & emendandos a vitiorum ſqualore animos faciunt, juxta diſciplinam Chriſtianorum, tantopere tunc effulgentem, ſe componerent. Ita enim ſperabat fore hoſtis callidiſſimus, ut & illi, qui doctrinas gentiles tanquam impias, vanas & animorum felicitati non pares reſpiciebant, auremque Chriſtianis doctoribus præbere incipiebant, ad avitam religionem ſaniori habitu exornatam revocarentur, & doctoribus Chriſtianis, propudioſam gentilis ſuperſtitionis faciem toties exprobrantibus, os obſtrueretur. Quod tamen, ut in dolis ſtruendis plane eſt μυριοτέχνης, ita inſtituit, ut ſalva omni verborum & dogmatum Chriſtianorum imitatione peſſimarum tamen doctrinarum ſanies conſervaretur, quo ſcilicet animi ad veritatem cœleſtem oculos aperire deſinerent, & ſub fallaci doctrinarum caſtiorem faciem præ ſe ferentium larva ipſa cœleſtis doctrinæ puritas & integritas corrumperetur. In quo, eheu! rem ſuam mire auxit infernalis genius; hiſtoria ſacra haud uno exemplo teſtante, non tantum prudentiorem hanc gentilium religionem multos ab amplectendis Chriſtianæ religionis regulis arcuiſſe, ſed & introductam eſſe inter gregem Dei peſſimam errorum congeriem. Id quod nemo negaverit, qui ea, quæ in eccleſia Dei poſt N. C. geſta ſunt, attentus ad cauſſas rerum atque eventus, recte ponderaverit. Poſſem hic eſſe, ſi id agerem, prolixiſſimus, & ex ſectæ *Eclecticæ* ſtudio, Chriſtianam religionem cum gentilium

lium placitis conciliandi, illiusque verba & dogmata imitandi, quod *Ammonio Sacca* auctore inſtituit, id latiſſime demonſtrare, niſi id a præſentis ſcriptionis limitibus paulum eſſet remotius, & occupaſſet argumentum magnus noſtræ ætatis polyhiſtor & eccleſiæ ornamentum, ſumme rev. IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS (*a*); quin & ipſe ego, quæ ad rei ſummam atque nervum pertinent, alibi (*b*) ſatis jam enarraſſem. Argumento itaque nobiliſſimo lucem aliquam allaturus, *de STOICORVM* tantum *ſubdolo Chriſtianos imitandi ſtudio* quædam dicam. Ea enim ſecta ante exortos *Eclecticos*, (quo nomine *Alexandrini* illi philoſophaſtri & maleſani doctrinarum toto cœlo inter ſe diſſentientium conciliatores & ſyncretiſtæ ſuperbiebant,) in hoc ſtudio diligens fuit, cum reliquæ ſectæ, ſi unam *Pythagoreorum* in vitam revocari tentatam, ſed in ipſis naſcendi initiis iterum exſpiran-

P 3 tem,

(*a*) Primus, qui *Eclecticorum* ſectam practica ratione conſideraverit, quæ vix facie prius nota erat, fuit B. GODOFREDVS OLEARIVS in diſſ. *de ſecta Eclectica*, quam latinæ verſioni *hiſt. philoſ.* STANLEII adjecit; cum vero is primas tantum lineas duxiſſet, accuratius in ejus circumſtantias inquiſivit cel. MOSHEMIVS, cujus longe eruditiſſimam *de turbata per recentiores Platonicos eccleſia* diſſertationem multis acceſſionibus auctam legimus ad calcem *ſyſt. intell.* CVDWORTHI & in *ſylloge diſſert. hiſt. eccleſ. illuſtrantium p.* 89. *ſqq.* qui, cum potiora, quæ ad hanc ſectam intime noſcendam pertinent, attulerit, merito lectorem ad hos fontes remittimus. Conferendæ vero EIVSD. *inſtitut. hiſtor. Chriſtianæ antiquioris*, *Sect. II. P. II. c.* 1. §. 5. *ſqq.* & doctiſſimus HVETIVS *de la foibleſſe de l' Eſprit humain. L. II. c.* 2. *p.* 217. *ſqq.* Hos duumviros ſequi pulchrum duximus, dum in hiſtoria critica philoſophiæ Eclecticæ ſectæ hiſtoria condenda eſſet. In quo labore nos ita verſati ſumus, ut & ipſa famoſæ ſectæ placita paterent, hauſta ex ſuis fontibus, & quæ fata quoque illa in orbe erudito & civitate Chriſtiana viderit, fuſe enarraremus. Quæ non diſplicuiſſe ſummo harum rerum arbitro, illuſtri MOSHEMIO, ex addendis ad *Vol. I. diſſ. H. E. p.* 753. læti cognovimus.

(*b*) *Hiſtor. philoſ. germ. idom. ed. T. III. p.* 427. *ſqq.* Ab eo tempore imperfectam tractationem reconcinnantes rem omnem ex inſtituto tradidimus in *hiſt. crit. phil. T. II. p.* 189. *ad p.* 469.

tem (*c*), excipias (*d*), in hanc curam incubuiſſe non legantur (*e*), quod ſyſtematum ſuorum ratio longius ab iſta accommodatione, ut ita dicam, & doloſis mendaciis abhorruerit: nec eorum tanta fuerit auctoritas, quam *Stoicorum*, quæ ſecta poſt C. N. magnum ſplendorem nacta eſt (*f*).

§. III. Quemadmodum vero in *Eclectica* ſecta, *Alexandrinam* philoſophiam profeſſi gentiles ita imitati ſunt Chriſtianos, ut verba non tantum & formulas Chriſtianorum, quæ ex re ſua erant, exprimerent, ſed & dogmata quædam imitarentur, ſuaque ad externum eorum habitum accommodarent, & imprimis doctrinam moralem ſanctiorem expilarent, transſumtis iis, quæ cum ſuo ſyſtemate convenire putabant (*g*), ita quoque cum *STOICIS* evenit. Etſi enim

(*c*) Vid. *ib. p.* 190. *ſeqq. hiſt. crit. phil. T. II. p.* 85. *ſeqq.*

(*d*) Eam enim in hac imitatione ſedulam fuiſſe, nobile exemplum eſt *Apollonius Tyaneus*, vid. *ib. p.* 139. *ſeqq.*

(*e*) EPICVREI, ut ſeverius religionis ſtudium omne tanquam inania ſuperſtitionis ſomnia ridebant, ita nec Chriſtianis magnum pretium ſtatuebant, ſed eos vel ut impoſtores, vel ut ſtultos & inſanos falli ſuetos traducebant, Chriſtumque Apollonio, Apulejo, Alexandro, Peregrino, hisque ſimilibus parem putabant, quod vel LVCIANI *Peregrinum* vel ORIGENIS libros *contra Celſum* legenti ad oculum patebit. *Peripateticorum* vero rationes, cum magnopere a R. C. placitis diſſentiant, ideo aſſimilationem non patiebantur. Non inficiamur quidem, ſi vera ſunt, quæ de Celſo refert Origenes, & nos ejus auctoritati nixi *l. c. p.* 604. *ſeqq.* diſſeruimus, conſtare inde, Epicureos quoque, ut ægre Chriſtianæ ſapientiæ facerent, ſumta Pythagoreorum ſive Alexandrinorum philoſophorum perſona, ſeverius religionis ſtudium ſimulaviſſe & cum nugatoribus Ægyptiis conſpiraſſe. Aſt id ſalva iſta hypotheſi tantum intelligi poteſt. Nec magnopere refragamur, ſi poſt ea, quæ incomparabilis MOSHEMIVS in *præf. ad elegantiſſimam operis Origeniani contra Celſum verſionem vernaculam*, de Platoniſmo reformato auctoris erudite ſcripſit, viſum ſit lectore ſtatuere, Origenem duos inter ſe Celſos, Alexandrinum cum Epicureo, confudiſſe.

(*f*) Vid. *hiſt. crit. philoſ. T. II. p.* 532. *ſeq.* quæ cum h. l. dictis omnino comparanda ſunt.

(*g*) Demonſtratum id eſt pluribus in doctiſſima diſſertatione *de ſtudio gentilium Chriſtianos imitandi*, quam ductis a ce-

enim hi in ejusmodi ſyncretismum non juraverunt, qualis Alexandrinis philoſophis placuit, non abhorruerunt tamen a recipiendis alienis formulis & dogmatibus, ubi ſibi cum iis convenire poſſe putabant (*b*). Maxime vero id ſibi incumbere credidit hæc ſecta, ut pietatis & purioris diſciplinæ laudem, quam ab ipſis Porticus initiis ſibi acquiſiverat (*i*), tueretur. Cum vero Chriſtianæ religionis puritas & doctrinæ in ea moralis præſtantia omnium oculos perſtringeret, Stoicorum vero hypocriticam & impiam philoſophiam prudentioribus diu ſuſpectam (*k*) manifeſtaret (*l*), ſponte

leberrimo MOSHEMIO veſtigiis inſiſtens exhibuit cl. IO. HENR. WEDDERKAMP, quamque vir ille incomparabilis inter *diſſert. ad H. E. pertinentes Vol. I. p.* 330. *ſeqq.* extare voluit. Etſi enim argumenti nobiliſſimi primæ magis lineæ ductæ ſunt, quam accurata & prolixa inſtituta tractatio, ubique tamen lumina Moshemiana argumentum mira luce perfundunt; unde merito optamus, tantum temporis & otii ſuppetere venerabili viro, ut auctiorem nobis ſuoque calamo inſtitutam tractationem dare queat. Neminem enim accuratius horum hominum arcana inſpexiſſe, multis ſpeciminibus is prodidit.

(*b*) Hoc Stoicæ philoſophiæ hiſtoriam perluſtranti obſcurum eſſe nequit. Prævit exemplo ſuo ipſe ſectæ conditor ZENO, quem ſyſtema ſuum ex Academia, Cynoſarge & a Dialecticis conſuiſſe, demonſtravi *hiſt. crit. philoſ. T. I. p.* 902. *ſeqq.* Poſt redemtoris vero in carne apparitionem varias ſectas majore libertate expilavit Stoica, indeque arva ſua alienis rivis inundavit. Teſtes do Stoicos celeberrimos, SENECAM & ANTONINVM, quorum ille *de vita beata, c.* 3. ait: *non alligo me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus; eſt & mibi cenſendi jus; itaque aliquem ſequar, aliquem jubebo ſententiam dividere:* Et reapſe illud præſtitit, cui non tantum Stoici *noſtri* audiunt, *ep.* 117. ſed & Epicurus *noſter, ep.* 107. unde SENECAM etiam inter ſyncretiſtas locum obtinere, jam monui in *hiſt. philoſ. T. II. p.* 547. ANTONINVS vero per omnes ſectas magiſtros nactus, ab omnibus multum doctrina & moribus ſe profeciſſe fatetur, *de ſe ipſo*, L. *I.* §. 7. *ſeqq.*

(*i*) Videnda quæ prolixe dixi *hiſt. crit. phil. T I. p.* 907. *T. II. p.* 534. & conferendus LIPSIVS *manud. ad philoſ. Stoic. l. I. Diſſ. XIV. p. m.* 84.

(*k*) Vide dicta *hiſt. crit. philoſ. l. c. & ſqq.*

(*l*) Vid. IVSTINVS MARTYR. *dial. cum Tryph. p. m.* 219. *ſeqq.* & quæ *hiſt. crit. phil. T. III. p.* 368. ad h. l. dicta ſunt. Ipſe

ſponte ſua eo ducebantur, ut & diſciplinæ Chriſtianæ formulas atque loquendi modos imitarentur, & dogmata quædam propius ſequerentur, & rem ſuam moralem ad ſanctiſſimæ religionis noſtræ præcepta emendarent. Vnde error jocularis ortus eſt, quo crediderunt nonnulli, trigam Stoicorum philoſophorum poſt C. N. celeberrimam, SENECAM, ANTONINVM imperatorem & EPICTETVM, ad Chriſtianam religionem clanculum acceſſiſſe, ſaltem ei ex parte addictam fuiſſe (*m*); facile eum evitaturi, ſi ad hoc imitandi Chriſtianos ſtudium attendiſſent, & ſubdolum in eo modum obſervatum recte annotaſſent. Et hæc vera quoque cauſſa eſt, cur in comparatione philoſophiæ Stoicæ cum religionis Chriſtianæ præceptis tot eruditi viri lapſi ſint Chriſtianis eſſe conſentanea putantes, quæ externam ſpeciem egregie mentiuntur. Qua ratione STEVCHVM, MVTIVM PANSAM, magnosque viros LIPSIVM & HVETIVM, immo & recentiſſima ætate noſtra quosdam viros doctos lapſos eſſe, alibi (*n*) oſtenſum eſt. Facile enim incautis, & ad doloſum ſcopum philoſophorum non attentis externa ſpecies & habitus imponit: quem Chriſtiano colore externe nitere, jam prolixius demonſtrabo.

§. IV. Et *primo* quidem luculenter probant hanc Chriſtianorum imitationem, quam STOICI philoſophi C. N. poſteriores ſuſceperunt, ***loquendi formulæ a Chriſtianis transſumtæ.*** Hoſpes ſit oportet in

CLEMENS ALEXANDRINVS, magnus alias Porticus admirator Stoicos atheos facit, *Strom. L. VII. p.* 753. Conf. ORIGEN. *contra Celſ. L. III. p. m.* 162. Ed. Hoeſch. & imprimis EPIPHAN. *adv. hær. L. I. hær. V. T. I. p.* 12. ut reliquos apologetas R. C. taceam.

(*m*) Dictum quoque hac de re, quantum ſatis, in *hiſt. crit. philoſ. T. II.* & quidem de EPICTETO *p.* 574. de SENECA *p.* 561. *ſeqq.* ubi etiam de fictis inter Apoſtolum Paulum & Senecam epiſtolis actum; de ANTONINO vero *p.* 596. *ſeq.* conf. *Otium Vindel. p.* 99.

(*n*) In *Otio Vindel. Mel. I. & II.*

in Stoicorum ſcriptis, SENECÆ potiſſimum, EPICTETI & ANTONINI, quæ nobis integra ſervata ſunt a temporis injuria, qui non obſervaverit, ejusmodi locutiones & dicendi formas occurrere, quæ vel ipſo ortu ſuo Helleniſticam dicendi rationem ſapiunt, vel a ſacris ſcriptoribus potiſſimum adhibitæ, & in uſum introductæ ſunt ſacrum, gentilibus antea non adhibitum, a Stoicis vero, ut magis pie loquerentur, transſumtum. Hoc exemplis, niſi fallor, luculentis adſtruere licet. Frequens ſacris ſcriptoribus vox, χάρις Θεῷ, ad ſignificandam gratiarum actionem, ex. gr. *1. Cor. X. 30.* (*p*) *XV. 57. Luc. VI. 32.* Verum non eodem tantum ſenſu, ſed & eodem dicendi modo & uſu, & iisdem prorſus verbis Iudaicam & Chriſtianam formulam adhibuit EPICTETVS; ait enim (*q*): τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον, νῦν δὲ οὐκέτι, χάρις τῷ Θεῷ, *tunc & ego peccabam, nunc vero non item, gratia ſit Deo.* Cœleſtis, apud Paulum, manſio beatorum vocatur πόλις Θεοῦ ἐπουράνιος, *civitas DEI cæleſtis*; ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, *ſuperna Hieroſolyma* (*r*); quam locutionem ab Hebræis deſumtam eſſe, dudum viri docti monuerunt (*s*). Eandem vero dicendi rationem, ſenſu licet Stoico, adhibuit ANTONINVS, qui non tantum, Διὸς πόλιν memorat, *Dei civitatem* (*t*) ſed & ἀνθρώπους εἶναι πολίτας πόλεως τῆς ἀνωτάτης, *homines cives eſſe civitatis ſupernæ*, aſſerit (*u*), unde & ſacra vox, quæ homines cives Dei nominat, Stoicis tantopere adamata eſt, quod proli-

 xius

(*o*) Ex ejus enim diſſertationibus ſua compilavit ARRIANVS.

(*p*) Vid. ven. WOLFIVS *cur. phil. ad* 1. *Cor. X.* 30. doctiſſimi Interpp. *Galli Berol. ad h. l.*

(*q*) *L. IV. c.* 4. *Diſſertationum* ab ARRIANO exceptarum calamo.

(*r*) *Ebr. XII.* 22. *Gal. IV.* 26.

(*s*) Vid. LIGHTFOOT. *Opp. T. I. p.* 355. Ven. WOLFIVS *ad h. l.* & quos porro laudat.

(*t*) *L. IV.* §. 3. (*u*) *L. III.* §. 11.

xius oſtendi poſſet, niſi otia nobis feciſſet GATAKERVS, qui videndus (*x*). Nihil ſacris ſcriptoribus frequentius, quam hominem divina ſapientia emendatum & gratioſum apud Deum, vocare *filium Dei*, quod is divinam mentem rationemque adeptus ſit, & cognatione ſpirituali Deum attingat. Eadem vero vox EPICTETI quoque, qui eleganter (*y*): *κοινωνεῖν μόνον ταῦτα* (*λογικὰ*) *πέφυκε τῷ Θεῷ τῆς συναστροφῆς κατὰ τὸν λόγον ἐπιπλεγμένα, διατί μὴ εἴπη τὶς αὐτὸν κόσμιον; διατί μὴ υἱὸν τοῦ Θεοῦ; eo quod natura ita fert, ut rationalia divinæ conſuetudinis ſocietatem ratione & mente ſint adepta, cur te nolis dicere mundanum? cur non Dei filium?* Sacram vocem quilibet agnoſcit, *mundum* accipientem pro grege hominum malorum; ſed eadem placuit ANTONINO (*z*), qui non tantum mundum malos ferentem ſua natura inducit, ſed & illo ipſo ſimili, eodemque illationis modo probat, quo uſi ſunt ipſe Salvator (*a*) & apoſtolus IACOBVS (*b*). Ita enim: *μέμνησο ὅτι· ὥσπερ αἰσχρὸν, ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκὴ σῦκα φέρει, οὕτως εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει ὧν ἐστι φορός. Memineris, æque turpe eſſe, mirari quenquam, quod ficus ficum ferat, quam quod mundus ſit ferax eorum, quæ profert.* Dixerat vero in antecedentibus de hominibus examinandis, num mali vel boni ſint; & monuerat, non mirandum, ſi conſentanea decretis naturæ fecerint; unde infert, nec mirandum eſſe, ſi contraria in aliquo deprehendimus, cum ea & mundi naturæ convenientia ſint, ut febris & adverſus ventus, a medico vel gubernatore navis non mirandi. Vnde patet, *mundum* ab imperatore adhibitum eo ſenſu, quo malos ſignificat, qui id ſunt in humano genere, quod febris & adverſus ventus in naturalibus, ſenſu prorſus Ebræo & ſacris tantum ſcriptoribus familiari. Non vero ſolitariæ tantum

(*x*) Ad *Antonin. L. II.* §. 16.
(*y*) *L. I. c.* 9. (*z*) *De ſe ipſo, L. VIII.* §. 15.
(*a*) MATTH. *VII.* 16. (*b*) *Epiſt. III.* 12.

tum voces ex ſacris a Stoicis deſumtæ ſunt, quarum plures facile adduci poſſent (*c*), niſi brevitati litandum eſſet, ſed phraſes quoque integræ ex ſacris imitatione expreſſæ. Nobilis ſententia Divi PAVLI eſt (*d*), monentis: *templum DEI nos eſſe, & Spiritum DEI habitare in nobis*; en vero ſubdolum imitatorem SENECAM (*e*): *Prope a te Deus eſt, tecum eſt, intus eſt; ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos.* Eundem in modum, quod ſanctiſſimus Salvator promiſit (*f*), *venturum ſe ad homines, & in hominum mentes*, ille ipſe nefanda κακοζηλίᾳ ita expreſſit (*g*): *Miraris, homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo, quod propius eſt, in homines.* Quibus paria habet EPICTETVS, qui inter alia (*h*): αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ παρόντος ἔσωθεν, καὶ ἐφορῶντος πάντα καὶ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνῃ ταῦτα ἐνθυμούμενος καὶ ποιῶν; *Ipſo Deo intrinſecus præſente, & omnia tum intuente tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere?* Vbi & reliqua legenda ſunt, ad hoc unum collineantia omnia. Quæ vero Apoſtolus (*i*) de trino Deo ait: ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν πάντα, ANTONINVS de Stoico Deo fidenter adhibuit, ſcribit enim (*k*): ὦ φύσις, ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα, *O natura, ex te omnia, in te omnia, ad te omnia*; manife-

(*c*) Tales ſunt: *Deo ſe* ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, *ex tota anima permittere*, apud ANTONINVM *L. IV. §. 31. coll. L. III. §. 4. hominem* ἀληθινῶς, *ex veritate diligere*, *L. VI. §. 39.* Vita *peregrinatio*, apud SENECAM in *excerptis*, & ANTONIN. *L. II. §. 17.* Mors ἀπόλυσις πρὸς τὸν Θεὸν, *dimiſſio ad Deum*, apud EPICTET. *L. I. c. 9.* pius & bonus ἱερεύς τις καὶ ὑπουργὸς τῶν Θεῶν, *Sacerdos ac miniſter Deorum*, ANTONIN. *L. III. §. 4.* ἀθλητὴς ἄθλου μεγίστου, *luctator certaminis maximi*, *ib.* τοῦ Θεοῦ μάρτυς καὶ Διάκονος, *Dei teſtis atque miniſter*, apud EPICTET. *L. III. c. 26.* & his ſimiles.

(*d*) 1. *Cor. III. 16.* (*e*) *Epiſt. 41.*

(*f*) JOAN. *XIV. 23.* (*g*) *Epiſt. 73.*

(*h*) *L. II. c. 8.* (*i*) *Rom. XI. 36.* (*k*) *L. IV. §. 23.*

niſeſta verborum cum Apoſtoli ſententia συμφωνία. Immo nec ab ipſius Servatoris noſtri verbis abhorrent Stoici, qui cum ſanctiſſimo & divino hoc doctore (*l*) ad ferendos malos iisque benefaciendum, non tantum exemplo DEI excitant (*m*), ſed & eadem verba adhibent. Audi SENECAM, præcipientem: *Propoſitum eſt nobis, ſecundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum ſequi* (*n*); *ſi Deos imitaris, da & ingratis beneficia, nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria.* Et quemadmodum ad exequendas pacis, concordiæ & mutuorum officiorum partes S. Paulus inde argumentum ſumit, quod *unum corpus, unus ſpiritus* ſimus, *membraque unius corporis*, in quo nec manus pedibus, nec pedes manibus nocent, ſed inſerviunt (*o*): ita non minus Stoicis, phraſibus ſanctiſſimis, etſi ſenſu Stoico, membra ſumus unius corporis; πρὸς μίαν τινὰ συνέργειαν κατεσκευασμένα (*p*), *ad mutuam eandemque cooperationem producta & effecta*; unde eleganter SENECA (*q*): *Quod ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva autem ſocietas eſſe, niſi amore & cuſtodia partium, non poteſt.* Et ex eodem fonte illud ipſum ſimile de *ramo avulſo*, quo uſus eſt D. PAVLVS, ita in uſus ſuos convertit ANTONINVS (*r*), ut fere Paulina ſervet verba. Ait enim: Κλάδος τοῦ προσεχοῦς κλάδου ἀποκοπεὶς οὐ δύναται μὴ καὶ τοῦ ὅλου φυτοῦ ἀποκεκόφθαι, ὅυτω καὶ ἄνθρωπος ἑνὸς ἀνθρώπου ἀποσχισθείς ὅλης τῆς κοινωνίας ἀποπέπτωκε, - - ἔξεστι

γὰρ

(*l*) MATTH. *V.* 45. LVC. *VI.* 35.
(*m*) Vid. ANTONIN. *L. III.* §. 70. SENECA *de benefic. L. I. c.* 1. *L. VII. c.* 31.
(*n*) *ib. L. III. c.* 25. (*o*) *Eph. IV.* 4. *Rom. XII.* 4. 1. *Cor. XII.* 12.
(*p*) ANTONIN. *L. VII.* §. 13. (*q*) *de ira L. II. c.* 31.
(*r*) *L. XI.* §. 8.

γὰρ καὶ πάλιν τοῦ ὅλου συμπληρωτικοῖς γίνεσθαι. *Ramus a cohærente ramo abſciſſus, non poteſt non a tota ſtirpe abſcindi: ſic & homo ab alio homine abſciſſus, communitate tota excidit: - - licet ei denuo coaleſcere, cui prius adhæſerat, & ad univerſi complementum locum recuperare ſuum.* Quæ exempla luculenter nos convincunt, Stoicos, etſi ſenſu magnopere a ſacris doctrinis abeuntes, verbis tamen & dicendi modis Chriſtianos ſcriptores quam maxime fuiſſe imitatos.

§. V. Largiore tamen hæc omnia radiabunt luce, ſi quoque oſtenderim, non verba tantum, ſed & ipſa *dogmata* externo habitu accommodaſſe Chriſtianorum doctrinis STOICOS, & ita ſyſtematis ſui rationes cautiſſime incruſtaſſe, ut propius a Chriſtianis abeſſe viderentur. Non excitabo totum ſyſtema Stoicum, externa facie ita ſplendens, ut & veterum atque recentiorum theologorum plurimis, ad latens venenum non ſatis attentis, in Chriſtianorum caſtris militaſſe viſi ſint; id enim a præſentis ſcriptionis anguſtia longius recedit (†): oſtendam tamen, putidiſſima & maxime impia dogmata, qualia Stoicorum fundamentales doctrinas eſſe in fine videbimus, ita exornaſſe, ut Chriſtianis quam maxime accederent veritatibus. In his doctrina de DEO eſt, quæ per gentilium theogonias & mythologias ſaniorum riſu expoſita, & probris Chriſtianorum objecta, a Stoicis maxime ad pulchriorem modum emendata, & allegoriæ beneficio, ſenſu magis philoſophico exornata eſt; veſtigia Stoicorum poſtea legentibus Platonicis recentioribus, quia Stoica placita inter ſua ex parte receperunt. Teſtes volo philoſophos non incelebres,

(†) Legi ea de re poſſunt, ſi tanti videbuntur, quæ prolixe *hiſt. crit. phil. T. III. p. 303. ſeqq.* diſputavimus, totamque hanc cauſſam peroravimus. Quo loco luculentum quoque exemplum corruptæ ex Stoiciſmo in eccleſiam incaute traducto doctrinæ ſanctioris in Nili enchiridio Epicteteo monachis pro ſacris ſuppeditante attulimus.

bres, PHVRNVTVM & SALLVSTIVM, quorum ille in libello *de natura Deorum*, hic in ſcripto *de Diis & mundo*, (*s*) omnes ingenii nervos adhibuerunt, ut philoſophicam & ſaniorem fabulis ſacris ſignificationem eſſe oſtenderent. Hinc *unus* tantum *Deus pater omnium, creator univerſi* (*t*) *cauſſa rerum prima & unica, ex qua & ad quam omnia*, magnis vocibus deprædicatus eſt (*u*). Ille *ſumme bonus* (*x*), *etiam in aſperis & pœnis immiſſis* (*y*); *mens incorporea* (*z*) *præſens etiam intra clauſas fores* (*a*), *cordium & cogitationum ſcrutator* (*b*); *qui nudas mentes inſpicit* (*c*) *ſumme benevolus, qui & malis beneficia præſtat* (*d*), *patiensque eſt, juſtus etiam in omnibus actionibus* (*e*). Non patitur limitum, quos mihi conſtitui, anguſtia, magnifica Stoicorum verba hic lectori legenda propinare, verum curioſum laboris non pœnitebit, qui adjecta paginæ loca evolverit; miraturus, quam caſte, quam magnifice, quam temperanter de DEO loqui videantur. Nihil vero magis iſtam accommodationem Stoicam prodit, quam confidentiſſima aſſertio PROVIDENTIÆ DIVINÆ, quæ non omni tantum mundo, ſed & ſingulis in illo rebus, maximis, minimis, benevola & prudentiſſima ratione proſpicit. Apertius ante C. N. caſui fortuito ab Epicurea ſchola aſſerto opponebat Porticus *æternam fati legem & indeclinabilem rerum ſeriem & catenam*

(*s*) Vterque libellus extat inter TH. GALEI *Opuſcula Mythologica, p.* 139. *ſqq.* 243. *ſeqq.*

(*t*) SENECA *quæſt. nat. L. III. c.* 30.

(*u*) Vid. IDEM *de Benef. L. IV. c.* 7. ANTONIN. *L. IV.* §. 23.

(*x*) IDEM *L. VI.* §. 1. SENECA *epiſt.* 95.

(*y*) SENECA *l. c.*

(*z*) ANTONINI *L. IV.* §. 40. conf. GATAKER *ad h. l.* & quæ ex inſtituto dicta ſunt *hiſt. philoſ* T. *II. p* 1023. *ſq* 1040.

(*a*) EPICTET. *L. I. c.* 14. conf. GATAKER. *l. c. pam* 119.

(*b*) ANTONIN. *L. XII.* §. 2. conf. GATAKER. *l. c. p.* 418.

(*c*) *Ibid.* (*d*) SENECA *de beneficiis* paſſim. *L. I.* 1. *III.* 52. *VII.* 31. ANTON. *L. VII.* §. 70.

(*e*) Id. *L. XII.* §. 5.

catenam, *volventem ſemet ipſam*, *ſeſeque implicantem*, *per æternos conſequentiæ ordines*, *ex quibus apta connexaque eſt* (*f*). Hujus fati legibus Deum ſubjicere non erubeſcebat. Non dimitti quidem hæc poterant, quæ intimum ſyſtematis Stoici nexum tangunt; vexata tamen & oppugnata merito a Chriſtianis doctoribus, emollienda & veritati Chriſtianæ propius accommodanda erant (*g*). Hinc providentia Deo adſcripta, hinc provida Dei lex in omnes creaturas aſſerta, & *attentiſſimus ad omnia oculus divinus*, *qui nec in minimo fallitur* (*h*). Actum agerem, ſi hæc latius adductis Stoicorum diſſertationibus de providentia divina (inter quos EPICTETVS omnium elegantiſſime locutus eſt) probarem, cum ea prolixe enarraverint LIPSIVS (*i*) & BVDDEVS (*k*), nemo vero vel melius vel elegantius quoque hanc providentiam Stoicam ornaverit, quam tu, doctiſſime ZIMMERMANNE (*l*); & recte quoque, ſi quid judico, ſi id de iſta accommodatione & imitatione Chriſtianorum intelligatur, quam ſalvis hypotheſibus ſuis aſſerebant Seneca, Antoninus, Epictetus & his ſimiles. Imo nec invitus conceſſerim ei, qui cum illuſtri HVETIO (*m*), etſi mire ſenſus Stoicos perverterit, ad Chriſtianorum ſanctiſſimum de *Trinitate* dogma alluſiſſe, eique nugas ſuas Stoicas accommodaſſe SENECAM, exiſtimaverit, ſcribentem

(*n*)

(*f*) Hæc CHRYSIPPI, celeberrimi Zenonis diſcipuli, definitio fati eſt apud GELLIVM *L. VI. c.* 2. quam erudite illuſtrat I. THOMASIVS *de exuſt mundi Stoica*, *Diſs. XIII. p.* 166. *ſeqq.*

(*g*) Agnovit hoc jam FR. BALTVS *jugement des SS. Peres ſur la morale de la phil. payenne p.* 70. *ſeq.*

(*h*) EPICT. *L. I. c.* 12.

(*i*) *Phyſiol. Stoic. L. I. Diſſ. XI. p. m.* 51. *ſeqq.*

(*k*) *Introd. in Phil. mor. Stoicorum ex mente Antonini*, ejus libris *de ſe ipſo* præmiſſa.

(*l*) In *Muſeo hiſt. theol. phil. Bremæ edito. Vol. I. P. I. p.* 1. *ſeqq.*

(*m*) *Quæſt. Alnet. L. II. c.* 3. *p. m.* 95.

(*n*): *Quiſquis formator univerſi fuit, ſive ille Deus eſt potens omnium, ſive incorporalis ratio ingentium operum artifex, ſive divinus ſpiritus, per omnia maxima minima æquali intentione diffuſus;* modo hæc Stoico ſenſu dicta eſſe, & doloſa verba nectere, impio fundamento ſubſtrato, cogitemus. Poſt Deum nec divinos ſpiritus, quos *angelos* Deique legatos Chriſtiana doctrina, poſt Judæos, ipſis gentilibus non invitis (*o*) nominat, quosque *dæmonas* & Stoicos *genios* vocaſſe, notius eſt, quam ut moneri neceſſe ſit, intactos dimiſere Stoici, quo minus & de iis præcepta ſua Chriſtianorum traditis aſſimilarent. Auctor enim eſt LACTANTIVS (*p*), dixiſſe in *exhortationibus* SENECAM: *Genuiſſe regni ſui miniſtros Deum.* Illi vero non Dei tantum miniſri, ſed hominum quoque cuſtodes; cuilibet enim internum genium præſidere monebant, divinitatis participem, quem τὸν ἡμέτερον δαίμονα vocat EPICTETVS (*q*), & toties animum advertendum ad eum eſſe, urget ANTONINVS. De his vero argute, & prope ad Chriſtianorum mentem, ſi externum verborum corticem reſpicias, SENECA (*r*): *Ego amicis jucundus, inimicis mitis & facilis exorabor, antequam roger, honeſtis precibus occurram, patriam meam mundum eſſe ſciam, & præſides Deos ſupra me circaque me ſtare, factorum dictorumque cenſores.* Poſt angelos de *homine* quoque præter modum magnifice loquebantur Stoici; hunc divinæ naturæ participem, hunc *Jovis filium & cognatum* fatebantur (*s*), hunc ex *luto factum* (*t*), & ex uno ſanguine per omnem

(*n*) *Conſolat. ad Helviam. c.* 8.

(*o*) Vid. Oraculum apud LACTANT. *inſtit. L. I. c.* 7

(*p*) *l.c. & c.* 4. (*q*) *L.I. c.* 14. Qui locus imprimis legi meretur.

(*r*) *De vita beata. c.* 20.

(*s*) ANTONINVS paſſim, vid. *L.II.* §.*I.* & GATAKER *ad h. l. p.* 48. SENECA *paſſim*, vid. *ep.* 92.

(*t*) Hinc corpus φύραμα vocat ANTONINVS *L. VII.* §. 68. id eſt *coalitum luto*, ex quo vaſa fictilia conficiuntur, quam

omnem humani generis cognationem diſperſum eſſe, (*u*) ratione vero animi

Exemplum DEI quemque eſſe in imagine parva (*x*);

hunc tribus partibus, mente, anima & corpore, conſtare aſſerebant (*y*). Quid in his omnibus eſt, quod non Chriſtianam de homine, Dei imagine, doctrinam verbis ſaltem & externa ſpecie referat; & quis iſtius modi locutionum fontem inter Chriſtianos ſcriptores non facile quærat? Quin non humanæ tantum mentis præſtantiam more Chriſtiano exprimere, ſed & *corruptionem* ejus deplorare vocibus ſacris didicerunt. Vnde enim ita SENECA (*z*): *Duo ſunt, propter quæ deliquimus, aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiam, ſi non falſis eſt occupatus, ad falſa proclivis eſt, & cito ſpecie, quo non oportet, trahente corrumpitur* (*a*). Ex hac humani animi corruptione neceſſitatem *converſionis* & mutationis urgebant Chriſtiani doctores; hinc pœnitentiam injungebant, & peccatum agnoſcere, & corruptum animum mutare, & cum inhabitante peccato pugnam exercere, & cor atque membra ipſa reſcindere jubebant. Quid ad hæc STOICI? Et hic ſimias Chriſtianorum agnoſce. Vrgebant

ipſam vocem PAVLVS *Rom. IX.* 21. adhibuit. conf. EPICTETVS *L. I. c.* 1.

(*u*) ANTONIN. *L. XII.* §. 26. *L. II* §. *I.*

(*x*) MANILIVS *L. IV.* his ſimilibusque vocibus rapitur fere extra ſe LIPSIVS *Phyſiol. Stoic. L. III. Diſſ. II. p. m.* 274. *ſeqq.*

(*y*) ANTONIN. *L. II.* §. 2. *L. III.* §. 16. *L. XII.* §. 3.

(*z*) *Ep.* 94.

(*a*) Fuſe hanc hominis corruptionem explicat SIMPLICIUS Comm. in *Epict. Enchir. p. m.* 121. etſi fundamenta magis Platonica quam Stoica ſupponat. Eleganter vero ANTONINVS *L. XI.* §. 18. εἰ τινῶν ἁμαρτημάτων ἀπέχῃ ἀλλὰ τήν γε ἕξιν ποιητικὴν ἔχεις, εἰ καὶ διὰ δειλίαν, ἢ δοξοκοπίαν ἢ τοιοῦτό τι κακὸν ἀπέχῃ τῶν ὁμοίων ἁμαρτημάτων. *Si a quibusdam peccatis abſtines, habebis tamen intra te proclivitatem habitumque talia perpetrandi, licet vel ignaviæ, vel famæ, vel alterius rei cauſſa a ſimilibus peccatis abſtineas.*

gebant (*b*) *τὴν.μεταςροφὴν τὴν ἐπὶ τὰ θεῖα γενομένην ἐκ μεταβολῆς, μεταβαλούσης τῆς ψυχῆς εἰς σοφίαν, converſionem ad divina quæ fit ex mutatione, mutata anima ad ſapientiam.* Hinc animum mutandum eſſe, urget SENECA (*c*) & *initium ſalutis eſſe notitiam peccati* prudenter monet. Inde *μετάνοιαν ἐπίληψίν τινα ἑαυτοῦ ὡς χρήσιμόντι παρειηκότος, reprehenſionem ſui ipſius, ut qui utile quid omiſerit,* definit ANTONINVS.(*d*) SENECA vero: *Militandum eſſe, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur; projicienda, quæ cor laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum.* His, quæ præcipua Chriſtianorum dogmata attingunt, alia quoque poſſunt adjici, in quibus ad Chriſtianorum placita externa ſpecie accedere propius Stoici tentaſſe viſi ſunt. In his nihil magis imitationem Chriſtianorum prodit, quam deſcriptio *Cynici veri*, quæ apud ARRIANVM in diſſertationibus Epictеteis reperitur (*f*): ea enim ita comparata eſt, ut ſeverus ille morum magiſter potiſſimum ad eam miniſtri divini ideam reſpexiſſe cenſendus ſit, quam ſacræ paginæ voluntatis divinæ nuntiis præſcribunt. Illis enim definientibus, divini cœtus paſtor & inſpector gregis & nuntius DEI atque præco eſt, qui debet eſſe irreprehenſibilis, vigilare pro gregis ſalute, demonſtrare ſalutis viam, & ipſa praxi pietatis gregi eſſe exemplo. Ecce vero, quam mire ad hanc imaginem Cynicum ſuum formet Epictetus, cujus verba brevitatis cauſſa tantum Latina do: ſcilicet, *non ſine Deo tantam rem aggrediendam; qui gubernator hominum fieri velit, in rebus ſuis non amplius ſimilem eſſe ſui oportere, non iracundum eſſe, non invidum, ſi pædagogus publicus eſſe cupiat; eſſe Dei legatum,* (*ἄγγελον*) *ut hominibus, quæ bona, quæ mala ſint, nuntiet, ut quantis in erroribus verſentur,*

(*b*) Apud CLEM. ALEX. *Strom. L. IV. p. m.* 485.
(*c*) *Ep.* 28. (*d*) *L. VIII.* §. 10. (*e*) *Ep.* 51. (*f*) *L. III. c.* 22.

tur, demonſtret, utque alio in loco bonorum malorumque naturam, quam ubi ſunt, quærant, ubi vero non ſint, cogitent. Eſſe exploratorem, qui ubi accurate vera indagarit, renuntiet, metu non perculſus; ſuo id exemplo demonſtrandum, mentem ejus puriorem ſole eſſe debere; illum pro aliorum ſalute vigilare, armorum & ſatellitum loco conſcientiam habere, & ſi diis ita placet, fiat, non alienis rebus ſupervacaneis occupatum eſſe, ſed in ſua curioſum, tanta tolerantia, ut ſenſus expers videatur, &c. Verum elegantiſſima diſſertatio tota legenda eſt, quæ ſi reliqua omnia abeſſent, ſola mihi ſatis apta videtur, ad convincendos nos, EPICTETUM Chriſtianorum inſtituta, mores, doctrinam in oculis habuiſſe. Et ſic in aliis quoque ſanctiſſimæ religionis noſtræ capitibus liceret hanc Stoicam Chriſtianorum imitationem oſtendere, quæ tamen brevitati litaturus prætermitto; unum tamen omittere nequeo, in *ultimis hominum* deſcribendis multum Chriſtianorum veſtigiis inſiſtere Stoicos. Expendant curioſi rei hujus indagatores, quibus magiſtris didicerit SENECA (*g*): *Nihil æque prodeſſe ad temperantiam omnium rerum, quam frequentem cogitationem brevis ævi hujus & incerti; quicquid faciendum, reſpiciendum ad mortem.* Et alibi (*h*): *Fugere, non abire dies, vigilandum itaque eſſe, niſi properamus, relinqui nos. Non deflendum* (*i*) *eum, qui anteceſſit, & ſequi nos eos, quos amiſimus*; & quæ aliæ hujusmodi voces ſunt in *conſolationibus ad Marciam, Helviam, & Polybium* occurrentes. Ex quibus vel unum decerpere locum juvat, ut luculento exemplo pateat, quam preſſe Chriſtianorum dicta imitatus fuerit SENECA. Is ita *ad Marciam* (*k*): *Exceſſit filius tuus terminos, intra quos ſervit, excepit illum magna & æterna pax, non paupertatis metu, non divitiarum cura angitur; - - tandem ibi conſtitit, unde eum nihil pellat, nihil terreat.*

 Et

(*g*) *Ep.* 14. (*h*) *De brev. vitæ*, c. 9. conf. ANTONIN. *L. II.* §. 4. (*i*) *Ep.* 99. (*k*) c. 19.

Et hæc *ſpes* illa *magna* eſt, quam ex parte a Chriſtianis mutuo ſumtam, non ſine metu tamen contrarii, toti ſuæ philoſophiæ tanquam vinculum quoddam adjecere Stoici, quos inde veriſimiliter *Elpiſticos* dictos fuiſſe, alio loco expoſui (*l*). Inde magna illa & jactabunda verba, quæ παλιγγενεσίαν Chriſtianam fallaci ratione imitantur (*m*): *Mors, quam pertimeſcimus, intermittit vitam, non eripit; veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies* (*n*). Imo ipſa conflagratio mundi, Stoicis tantopere jactata, Chriſtianorum de ea placita quam maxime commendabat, de qua cum alibi dixerim, hic prolixus eſſe nolo. Tot igitur exempla cum præſto ſint doctrinarum Stoicarum, de quibus Chriſtianorum veſtigia preſſiſſe Stoicos, apertum eſt, quis de imitatione hac ulterius dubitabit?

§. VI. Quod porro hanc Chriſtianorum imitationem a Stoicis ſuſceptam in meridiana quaſi luce collocat, eſt emendatio *philoſophiæ moralis* ad præcepta Chriſtianorum facta, quæ & ſententiarum pondere & verborum gravitate atque ſplendore ita Chriſtianam ſcholam redolet, ut facile ignoſcendum putem viris doctis, qui doli Stoici ignari philoſophos hos in Chriſtianorum caſtris ex parte militaviſſe, ſibi perſuaſerunt. Id ut demonſtretur, ſanctioris, quæ ad mores hominum ſpectat, diſciplinæ peritum ad ea tantum intuenda & expendenda incitandum puto, quæ in Stoicorum ethica de officiis hominum erga Deum, erga ſeipſum & erga alios homines dicta ſunt. Quæ notabilibus Stoicorum phraſibus omnia recitarem, niſi prolixitatis metus obicem poneret, & verba ipſa lectorem apud Stoicorum trigam ſupra laudatam quærere juberet. Præcipiunt vero STOICI: Summam *officiorum*, quæ *DEO* debent homines, eſſe, *Deum ſequi, eidemque ſine exceptione, & beneplacito ejus ſine murmure obtem-*

(*l*) Diſſ. *de ſecta Elpiſtica miſcell. Berolinens. T. V. p.* 222. *ſeqq.* quæ & ſupra repetita eſt.

(*m*) Conf. GATAK. *p.* 385. (*n*) SENECA *Ep.* 31. conf. LIPSIVS *phyſiol. Stoic. L. II. Diſſ.* 22.

obtemperare (*o*); Quæ proximo debentur, eſſe, *eundem tanquam ſe ipſum, tanquam conſanguineum, tanquam membrum unius corporis diligere* (*p*), *amorem hunc extendendum eſſe etiam ad inimicos* (*q*), *quos beneficiis vincere divina virtus ſit* (*r*). Ad hæc duo capita omnia referebant (*s*). Hinc poſcebant, ut officio hominis facturus ſatis, *Deum in omnibus cogitet, in omni negotio eum invocet* (*t*), *pro omnibus gratias agat* (*u*), & *imprimis in laudando & hymnis quoque prædicando Deo omne ſtudium ponat*; quæ ita EPICTETVS præcipua exprimit (*x*), & injungit, ut quos auctores ſibi imitandos propoſuerit, manibus quaſi palpare liceat. Monebant porro, ad *Deum*, *omnes noſtras cogitationes & interiora nudamque mentem reſpicientem, in omni actione attendendum* (*y*), *eumque in omnibus imitandum*. *Animi* porro poſtulabant *culturam omnibus aliis negotiis præferendam* (*z*), *mutandum ex ſtultitia animum in ſapientiam, nec circa hanc converſionem ad ſannas & dicteria ſtultorum attendendum* (*a*), *excolendumdumque ita animum, ut ſacer in eo ſpiritus habitare*

 queat

(*o*) ANTONIN. *L. V.* §. 19. *L. VII.* §. 22. conf. LIPSIVS *manud. ad philoſ. Stoic. L. II. Diſſ.* 19. *p.* 200.

(*p*) ANTONIN. *L. VII.* §. 13. 31. (*q*) SENECA *de Benefic. L. VII. c.* 31. (*r*) ANTONIN. *L. VII.* §. 3. (*s*) *Ibid.* §. 31. (*t*) IDEM *L. VI.* §. 23. (*u*) EPICTET. *L. I. c.* 7. conf. GATAK. *ad Ant. p.* 12. STOBAEVS *Ecl. Eth. L. I. c.* 4.

(*x*) Lege elegantiſſimam diſſertationem *L. I. c.* 16. unde brevitatis cauſſa hæc tantum Latina do: *Nam ſi ſapimus, quid nobis aliud erat agendum, & publice & privatim, quam numen celebrandum & laudandum, & grates perſolvendæ? nonne inter fodiendum & arandum & edendum, qui nobis inſtrumenta præbuerit, has qui manus dederit, qui deglutiendi vim, - - hæc ſingulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus & diviniſſimus reſonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem.* Sed & reliqua legenda ſunt, mira ſuavitate ſe commendantia, & frigora noſtri temporis in ruborem dare apta.

(*y*) EPICTETVS *L. I. c.* 14. (*z*) conf. BVDDEVS *Iſag. in phil. mor. Stoicorum* ex mente Antonini, LIPSIVS *manuduct. ad phil. Stoic. L. II. Diſſ.* 18. *p.* 195. GATAKER. *Praloq. ad Anton. p.* 12. *hiſtor. philoſ. T. I. p.* 1073. 1074.

(*a*) EPICTET. *enchir. c.* 18. 29.

queat (b) : hinc cupiditates corque ipſum revellendum (c). Amandum proximum non verbo tantum, ſed & veritate, tanquam non ſibi ſoli genito, ſed in commune bonum nato (d), nunquam benefaciendo ceſſandum (e), ſed bonam conſcientiam ad vitæ usque halitum ſervandam, bonumque certamen certandum (f), & magnam ſpem alendam, poſt hanc vitam æternam pacem & gaudia in ſocietate Deorum ſecutura (g). Nihil hic recito, quod non expreſſis Stoicorum verbis & ſententiis toties inculcatum legimus: nihil poſtulatum audimus, quod non ſupra gentilia lumina videri queat, quæque Stoicorum philoſophium moralem ante C. N. magnifica oratione longe ſuperabant (*h*). Annon inde juſte infero, ſpolia hæc eſſe Chriſtianis detracta, vel imitatione potius, ad ſanctiſſima morum præcepta Chriſtianorum ita accommodata, ut inde perfectioris & ſanctioris philoſophiæ laus, publice Chriſtianis conceſſa, ad Stoicorum cathedras derivaretur (*i*)?

§. VII. Nihil tamen in his omnibus acceſſit divinæ veritati propius gens impia; immo quantum in ſe fuit, ſubdola ratione veritatem prodidit, certe in injuſtitia, quæ Pauli vox eſt, detinuit. Externo enim doctrinarum, imprimis moralium, ſplendore & ſanctitate Chriſtianis laudem feciſſe dubiam contenta, abominandorum errorum nexui peſſimoque fundamento totum iſtud elegantiſſimum philoſophiæ, Chriſtianam doctrinam imitantis, ſyſtema inædificavit. Non ignoro, eſſe viros doctos, qui hæc gratis dici exiſtimant, nec adeo male de fortiori & emendatiori philoſophia meritos eſſe Stoicos autumant, inter quos poſt LIP-

(*b*) SENECA *Ep.* 41.
(*c*) IDEM *Ep* 41. (*d*) ANTONIN. *L. VII.* §. 55. conf. GATAKER. *L. II.* §. 3. *p.* 53. (*e*) SENECA *de beneficiis* paſſim.
(*f*) ANTONIN. *L. III.* §. 4. SENECA *de vita beata* c. 20. IDEM *Ep.* 10. (*g*) Vide Diſſ. *de ſecta Elpiſtica.*
(*h*) Obſervavit hoc QVINTILIANVS Inſtit. *L. X.*
(*i*) Inde Stoicam ſectam *fortiſſimam & ſanctiſſimam* vocat SENECA *Ep.* 83.

LIPSIVM (*k*). HVETIVS (*l*), GATAKERVS (*m*), DACIERIVS (*n*), COQVELINVS (*o*) & alii (*p*). Sed, quod pace virorum eruditiſſimorum dixerim, ad ipſum ſyſtema Stoicum non ſatis attenderunt, & ſubdolam Chriſtianos externe imitandi rationem non caute ſatis expenderunt. Quod ut planum faciam atque demonſtrem, ipſa potiſſimum ſyſtematis phyſiologici & moralis, quale in ſcholis Stoicorum traditum eſt, fundamenta adducenda ſunt, etſi poſt virorum doctiſſimorum (*q*) & meum quoque aliqualem laborem (*r*) ſumma tantum capita attingenda ſunt; quippe quæ ſufficiunt ad demonſtrandum, doloſa prorſus ratione Stoicos Chriſtianos fuiſſe imitatos, & ſub emendicatis verbis perverſiſſimum noxiumque occultaſſe venenum, eo magis fortiusque lædens, quo blandiori & dulciori ſpecie decipit.

§. VIII. Sunt vero indubia & omnium conſenſu germaniſſima Stoæ principia hæc: I. Totum hoc, in quo continemur, & unum eſſe, & univerſum, & quæcunque in eo ſunt, eſſe ejusdem eſſentiales partes, decerptas particulas & membra (*s*). II. Totum illud & ſubtilius aliquod in ſe continere principium igneum, activum, & craſſius atque paſſivum, illud eſſe Deum, hoc materiam (*t*). III. Vtrumque principium cum ſimul unum totum ſit, arctiſſimo ita inter ſe uniri nexu atque vinculo, ut non niſi utrumque ad leges & ratio-

(*k*) In *manud. ad phil. Stoicam & diſſ. de phyſiolog. Stoica* paſſim. (*l*) in *quæſt. Alnetanis.* (*m*) In *Præloquio ad Antoninum.* (*n*) In *Annotationibus ad Antonin.*

(*o*) *Manuel d'Epictete avec des reflexions tirées de la Morale de l'Evangile.*

(*p*) conf. *hiſt. phil. T. I. p.* 1033. (*q*) B. IAC. THOMASII *de exuſtione mundi Stoica.* B. I. FRANC. BVDDEI Diſſert. *de erroribus Stoicorum*, quæ extant in *Analectis hiſt. phil.*

(*r*) In *Otio Vindel. Mel. II. in hiſt. philoſ. T. I. p.* 1063. *ſeqq.* & in *hiſt. crit. philoſ. T. I. p.* 421. *ſeqq.*

(*s*) SENECA *Ep.* 97. ANTONIN. *L. IV.* § 40. GATAK. *ad h. l.* (*t*) SENECA *Ep.* 65. ANTONIN. *L. II.* §. 2. *L. IV.* §. 21.

xius oſtendi poſſet, niſi otia nobis feciſſet GATAKERVS, qui videndus (*x*). Nihil ſacris ſcriptoribus frequentius, quam hominem divina ſapientia emendatum & gratioſum apud Deum, vocare *filium Dei*, quod is divinam mentem rationemque adeptus ſit, & cognatione ſpirituali Deum attingat. Eadem vero vox EPICTETI quoque, qui eleganter (*y*): *κοινωνεῖν μόνον ταῦτα* (*λογικὰ*) *πέφυκε τῷ Θεῷ τῆς συναστροφῆς κατὰ τὸν λόγον ἐπιπλεγμένα, διατί μὴ εἴπῃ τὶς αὐτὸν κόσμιον; διατί μὴ υἱὸν τοῦ Θεοῦ; eo quod natura ita fert, ut rationalia divinæ conſuetudinis ſocietatem ratione & mente ſint adepta, cur te nolis dicere mundanum? cur non Dei filium?* Sacram vocem quilibet agnoſcit, *mundum* accipientem pro grege hominum malorum; ſed eadem placuit ANTONINO (*z*), qui non tantum mundum malos ferentem ſua natura inducit, ſed & illo ipſo ſimili, eodemque illationis modo probat, quo uſi ſunt ipſe Salvator (*a*) & apoſtolus IACOBVS (*b*). Ita enim: *μέμνησο ὅτι ὥσπερ αἰσχρὸν, ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκὴ σῦκα φέρει, οὕτως εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει ὧν ἐστι φορός. Memineris, æque turpe eſſe, mirari quenquam, quod ficus ficum ferat, quam quod mundus ſit ferax eorum, quæ profert.* Dixerat vero in antecedentibus de hominibus examinandis, num mali vel boni ſint; & monuerat, non mirandum, ſi conſentanea decretis naturæ fecerint; unde infert, nec mirandum eſſe, ſi contraria in aliquo deprehendimus, cum ea & mundi naturæ convenientia ſint, ut febris & adverſus ventus, a medico vel gubernatore navis non mirandi. Vnde patet, *mundum* ab imperatore adhibitum eo ſenſu, quo malos ſignificat, qui id ſunt in humano genere, quod febris & adverſus ventus in naturalibus, ſenſu prorſus Ebræo & ſacris tantum ſcriptoribus familiari. Non vero ſolitariæ tantum

(*x*) Ad *Antonin. L. II.* §. 16.
(*y*) *L. I. c.* 9. (*z*) *De ſe ipſo*, *L. VIII.* §. 15.
(*a*) MATTH. *VII.* 26. (*b*) *Epiſt. III.* 12.

tum voces ex ſacris a Stoicis deſumtæ ſunt, quarum plures facile adduci poſſent (*c*), niſi brevitati litandum eſſet, ſed phraſes quoque integræ ex ſacris imitatione expreſſæ. Nobilis ſententia Divi PAVLI eſt (*d*), monentis: *templum DEI nos eſſe, & Spiritum DEI habitare in nobis*; en vero ſubdolum imitatorem SENECAM (*e*): *Prope a te Deus eſt, tecum eſt, intus eſt; ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos.* Eundem in modum, quod ſanctiſſimus Salvator promiſit (*f*), *venturum ſe ad homines, & in hominum mentes*, ille ipſe nefanda κακοζηλίᾳ ita expreſſit (*g*): *Miraris, homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo, quod propius eſt, in homines.* Quibus paria habet EPICTETVS, qui inter alia (*h*): αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ παρόντος ἔσωθεν, ϗ ἐφορῶντος πάντα ϗ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνῃ ταῦτα ἐνθυμούμενος ϗ ποιῶν; *Ipſo Deo intrinſecus præſente, & omnia tum intuente tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere?* Vbi & reliqua legenda ſunt, ad hoc unum collineantia omnia. Quæ vero Apoſtolus (*i*) de trino Deo ait: ἐξ αὐτοῦ, ϗ δι' αὐτοῦ, ϗ εἰς αὐτὸν πάντα, ANTONINVS de Stoico Deo fidenter adhibuit, ſcribit enim (*k*): ὦ φύσις, ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα, *O natura, ex te omnia, in te omnia, ad te omnia*; manife-

(*c*) Tales ſunt: *Deo ſe* ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, *ex tota anima permittere*, apud ANTONINVM *L. IV. §. 31. coll. L. III. §. 4. hominem* ἀληθινῶς, *ex veritate diligere*, *L. VI. §. 39.* Vita *peregrinatio*, apud SENECAM in *excerptis*, & ANTONIN. *L. II. §. 17.* Mors ἀπόλυσις πρὸς τὸν Θεὸν, *dimiſſio ad Deum*, apud EPICTET. *L. I. c. 9.* pius & bonus ἱερεύς τις καὶ ὑπουργὸς τῶν Θεῶν, *Sacerdos ac miniſter Deorum*, ANTONIN. *L. III. §. 4.* ἀθλητὴς ἄθλου μεγίστου, *luctator certaminis maximi*, *ib.* τοῦ Θεοῦ μάρτυς καὶ διάκονος, *Dei teſtis atque miniſter*, apud EPICTET. *L. III. c. 26.* & his ſimiles.

(*d*) 1. *Cor. III. 16.* (*e*) *Epiſt. 41.*

(*f*) JOAN. *XIV. 23.* (*g*) *Epiſt. 73.*

(*h*) *L. II. c. 8.* (*i*) *Rom. XI. 36.* (*k*) *L. IV. §. 23.*

niſeſta verborum cum Apoſtoli ſententia *συμφωνίᾳ*. Immo nec ab ipſius Servatoris noſtri verbis abhorrent Stoici, qui cum ſanctiſſimo & divino hoc doctore (*l*) ad ferendos malos iisque benefaciendum, non tantum exemplo DEI excitant (*m*), ſed & eadem verba adhibent. Audi SENECAM, præcipientem: *Propoſitum eſt nobis, ſecundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum ſequi* (*n*); *ſi Deos imitaris, da & ingratis beneficia, nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria.* Et quemadmodum ad exequendas pacis, concordiæ & mutuorum officiorum partes S. Paulus inde argumentum ſumit, quod *unum corpus, unus ſpiritus* ſimus, *membraque unius corporis*, in quo nec manus pedibus, nec pedes manibus nocent, ſed inſerviunt (*o*): ita non minus Stoicis, phraſibus ſanctiſſimis, etſi ſenſu Stoico, membra ſumus unius corporis; *πρὸς μίαν τινὰ συνέργειαν κατεσκευασμένα* (*p*), *ad mutuam eandemque cooperationem producta & effecta*; unde eleganter SENECA (*q*): *Quod ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva autem ſocietas eſſe, niſi amore & cuſtodia partium, non poteſt.* Et ex eodem fonte illud ipſum ſimile de *ramo avulſo*, quo uſus eſt D. PAVLVS, ita in uſus ſuos convertit ANTONINVS (*r*), ut fere Paulina ſervet verba. Ait enim: Κλάδος τοῦ προσεχοῦς κλάδου ἀποκοπεὶς οὐ δύναται μὴ καὶ τοῦ ὅλου φυτοῦ ἀποκεκόφθαι, οὕτω καὶ ἄνθρωπος ἑνὸς ἀνθρώπου ἀποσχισθεὶς ὅλης τῆς κοινωνίας ἀποπέπτωκε, - - ἔξεστι γὰρ

(*l*) MATTH. *V.* 45. LVC. *VI.* 35.

(*m*) Vid. ANTONIN. *L. III.* §. 70. SENECA *de benefic. L. I. c.* 1. *L. VII. c.* 31.

(*n*) *ib. L. III. c.* 25. (*o*) *Eph. IV.* 4. *Rom. XII.* 4. 1. *Cor. XII.* 12.

(*p*) ANTONIN. *L. VII.* §. 13. (*q*) *de ira L. II. c.* 31.

(*r*) *L. XI.* §. 8.

γὰρ καὶ πάλιν τοῦ ὅλου συμπληρωτικοῖς γίνεσθαι. *Ramus a cohærente ramo abſciſſus, non poteſt non a tota ſtirpe abſcindi: ſic & homo ab alio homine abſciſſus, communitate tota excidit: - - licet ei denuo coaleſcere, cui prius adhæſerat, & ad univerſi complementum locum recuperare ſuum.* Quæ exempla luculenter nos convincunt, Stoicos, etſi ſenſu magnopere a ſacris doctrinis abeuntes, verbis tamen & dicendi modis Chriſtianos ſcriptores quam maxime fuiſſe imitatos.

§. V. Largiore tamen hæc omnia radiabunt luce, ſi quoque oſtenderim, non verba tantum, ſed & ipſa *dogmata* externo habitu accommodaſſe Chriſtianorum doctrinis STOICOS, & ita ſyſtematis ſui rationes cautiſſime incruſtaſſe, ut propius a Chriſtianis abeſſe viderentur. Non excitabo totum ſyſtema Stoicum, externa facie ita ſplendens, ut & veterum atque recentiorum theologorum plurimis, ad latens venenum non ſatis attentis, in Chriſtianorum caſtris militaſſe viſi ſint; id enim a præſentis ſcriptionis anguſtia longius recedit (†): oſtendam tamen, putidiſſima & maxime impia dogmata, qualia Stoicorum fundamentales doctrinas eſſe in fine videbimus, ita exornaſſe, ut Chriſtianis quam maxime accederent veritatibus. In his doctrina de DEO eſt, quæ per gentilium theogonias & mythologias ſaniorum riſu expoſita, & probris Chriſtianorum objecta, a Stoicis maxime ad pulchriorem modum emendata, & allegoriæ beneficio, ſenſu magis philoſophico exornata eſt; veſtigia Stoicorum poſtea legentibus Platonicis recentioribus, quia Stoica placita inter ſua ex parte receperunt. Teſtes volo philoſophos non incelebres,

(†) Legi ea de re poſſunt, ſi tanti videbuntur, quæ prolixe *hiſt. crit. phil. T. III. p.* 303. *ſeqq.* diſputavimus, totamque hanc cauſſam peroravimus. Quo loco luculentum quoque exemplum corruptæ ex Stoiciſmo in eccleſiam incaute traducto doctrinæ ſanctioris in Nili enchiridio Epicteteo monachis pro ſacris ſuppeditante attulimus.

bres, PHVRNVTVM & SALLVSTIVM, quorum ille in libello *de natura Deorum*, hic in ſcripto *de Diis & mundo*, (*s*) omnes ingenii nervos adhibuerunt, ut philoſophicam & ſaniorem fabulis ſacris ſignificationem eſſe oſtenderent. Hinc *unus* tantum *Deus pater omnium, creator univerſi* (*t*) *cauſſa rerum prima & unica, ex qua & ad quam omnia*, magnis vocibus deprædicatus eſt (*u*). Ille *ſumme bonus* (*x*), *etiam in aſperis & pœnis immiſſis* (*y*); *mens incorporea* (*z*) *præſens etiam intra clauſas fores* (*a*), *cordium & cogitationum ſcrutator* (*b*); *qui nudas mentes inſpicit* (*c*) *ſumme benevolus*, *qui & malis beneficia præſtat* (*d*), *patiensque eſt*, *juſtus etiam in omnibus actionibus* (*e*). Non patitur limitum, quos mihi conſtitui, anguſtia, magnifica Stoicorum verba hic lectori legenda propinare, verum curioſum laboris non pœnitebit, qui adjecta paginæ loca evolverit; miraturus, quam caſte, quam magnifice, quam temperanter de DEO loqui videantur. Nihil vero magis iſtam accommodationem Stoicam prodit, quam confidentiſſima aſſertio PROVIDENTIÆ DIVINÆ, quæ non omni tantum mundo, ſed & ſingulis in illo rebus, maximis, minimis, benevola & prudentiſſima ratione proſpicit. Apertius ante C. N. caſui fortuito ab Epicurea ſchola aſſerto opponebat Porticus *æternam fati legem & indeclinabilem rerum ſeriem & catenam*

(*s*) Vterque libellus extat inter TH. GALEI *Opuſcula Mythologica*, *p.* 139. *ſqq.* 243. *ſeqq.*

(*t*) SENECA *quæſt. nat. L. III. c.* 30.

(*u*) Vid. IDEM *de Benef. L. IV. c.* 7. ANTONIN. *L. IV.* §. 23.

(*x*) IDEM *L. VI.* §. 1. SENECA *epiſt.* 95.

(*y*) SENECA *l. c.*

(*z*) ANTONINI *L. IV.* §. 40. conf. GATAKER *ad h. l.* & quæ ex inſtituto dicta ſunt *hiſt. philoſ* T. II. *p* 1023. *ſq* 1040.

(*a*) EPICTET. *L. I. c.* 14. conf. GATAKER. *l. c. p. m* 219.

(*b*) ANTONIN. *L. XII.* §. 2. conf. GATAKER. *l. c. p.* 418.

(*c*) *Ibid.* (*d*) SENECA *de beneficiis* paſſim. *L. I.* 1. *III.* 52. *VII.* 31. ANTON. *L. VII.* §. 70.

(*e*) Id. *L. XII.* §. 5.

catenam, volventem ſemet ipſam, ſeſeque implicantem, per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt (*f*). Hujus fati legibus Deum ſubjicere non erubeſcebat. Non dimitti quidem hæc poterant, quæ intimum ſyſtematis Stoici nexum tangunt; vexata tamen & oppugnata merito a Chriſtianis doctoribus, emollienda & veritati Chriſtianæ propius accommodanda erant (*g*). Hinc providentia Deo adſcripta, hinc provida Dei lex in omnes creaturas aſſerta, & *attentiſſimus ad omnia oculus divinus, qui nec in minimo fallitur* (*h*). Actum agerem, ſi hæc latius adductis Stoicorum diſſertationibus de providentia divina (inter quos EPICTETVS omnium elegantiſſime locutus eſt) probarem, cum ea prolixe enarraverint LIPSIVS (*i*) & BVDDEVS (*k*), nemo vero vel melius vel elegantius quoque hanc providentiam Stoicam ornaverit, quam tu, doctiſſime ZIMMERMANNE (*l*); & recte quoque, ſi quid judico, ſi id de iſta accommodatione & imitatione Chriſtianorum intelligatur, quam ſalvis hypotheſibus ſuis aſſerebant Seneca, Antoninus, Epictetus & his ſimiles. Imo nec invitus conceſſerim ei, qui cum illuſtri HVETIO (*m*), etſi mire ſenſus Stoicos perverterit, ad Chriſtianorum ſanctiſſimum de *Trinitate* dogma alluſiſſe, eique nugas ſuas Stoicas accommodaſſe SENECAM, exiſtimaverit, ſcribentem

(*n*)

(*f*) Hæc CHRYSIPPI, celeberrimi Zenonis diſcipuli, definitio fati eſt apud GELLIVM *L. VI. c.* 2. quam erudite illuſtrat I. THOMASIVS *de exuſt mundi Stoica*, *Diſs. XIII. p.* 166. *ſeqq.*

(*g*) Agnovit hoc jam FR. BALTVS *jugement des SS. Peres ſur la morale de la phil. payenne p.* 70. *ſeq.*

(*h*) EPICT. *L. I. c.* 12.

(*i*) *Phyſiol. Stoic. L. I. Diſſ. XI. p. m.* 51. *ſeqq.*

(*k*) *Introd. in Phil. mor. Stoicorum ex mente Antonini*, ejus libris *de ſe ipſo* præmiſſa.

(*l*) In *Muſeo hiſt. theol. phil. Bremæ edito. Vol. I. P. I. p.* 1. *ſeqq.*

(*m*) *Quæſt. Alnet. L. II. c.* 3. *p. m.* 95.

(*n*): *Quiſquis formator univerſi fuit, ſive ille Deus eſt potens omnium, ſive incorporalis ratio ingentium operum artifex, ſive divinus ſpiritus, per omnia maxima minima æquali intentione diffuſus;* modo hæc Stoico ſenſu dicta eſſe, & doloſa verba nectere, impio fundamento ſubſtrato, cogitemus. Poſt Deum nec divinos ſpiritus, quos *angelos* Deique legatos Chriſtiana doctrina, poſt Judæos, ipſis gentilibus non invitis (*o*) nominat, quosque *dæmonas* & Stoicos *genios* vocaſſe, notius eſt, quam ut moneri neceſſe ſit, intactos dimiſere Stoici, quo minus & de iis præcepta ſua Chriſtianorum traditis aſſimilarent. Auctor enim eſt LACTANTIVS (*p*), dixiſſe in *exhortationibus* SENECAM: *Genuiſſe regni ſui miniſtros Deum.* Illi vero non Dei tantum miniſtri, ſed hominum quoque cuſtodes; cuilibet enim internum genium præſidere monebant, divinitatis participem, quem τὸν ἡμέτερον δαίμονα vocat EPICTETVS (*q*), & toties animum advertendum ad eum eſſe, urget ANTONINVS. De his vero argute, & prope ad Chriſtianorum mentem, ſi externum verborum corticem reſpicias, SENECA (*r*): *Ego amicis jucundus, inimicis mitis & facilis exorabor, antequam roger, honeſtis precibus occurram, patriam meam mundum eſſe ſciam, & præſides Deos ſupra me circaque me ſtare, factorum dictorumque cenſores.* Poſt angelos de *homine* quoque præter modum magnifice loquebantur Stoici; hunc divinæ naturæ participem, hunc *Jovis filium & cognatum* fatebantur (*s*), hunc ex *luto factum* (*t*), & ex uno ſanguine per omnem

(*n*) *Conſolat. ad Helviam. c.* 8.
(*o*) Vid. Oraculum apud LACTANT. *inſtit. L. I. c.* 7
(*p*) *l.c. & c.* 4. (*q*) *L.I. c.* 14. Qui locus imprimis legi meretur.
(*r*) *De vita beata. c.* 20.
(*s*) ANTONINVS paſſim, vid. *L.II.* §.*I.* & GATAKER. *ad h. l. p.* 48. SENECA *paſſim*, vid. *ep.* 92.
(*t*) Hinc corpus φύραμα vocat ANTONINVS *L. VII.* §. 68. id eſt *coalitum luto*, ex quo vaſa fictilia conficiuntur, quam

omnem humani generis cognationem diſperſum eſſe, (*u*) ratione vero animi

Exemplum DEI quemque eſſe in imagine parva (*x*);

hunc tribus partibus, mente, anima & corpore, conſtare aſſerebant (*y*). Quid in his omnibus eſt, quod non Chriſtianam de homine, Dei imagine, doctrinam verbis ſaltem & externa ſpecie referat; & quis iſtius modi locutionum fontem inter Chriſtianos ſcriptores non facile quærat? Quin non humanæ tantum mentis præſtantiam more Chriſtiano exprimere, ſed & *corruptionem* ejus deplorare vocibus ſacris didicerunt. Vnde enim ita SENECA (*z*): *Duo ſunt, propter quæ deliquimus, aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiam, ſi non falſis eſt occupatus, ad falſa proclivis eſt, & cito ſpecie, quo non oportet, trahente corrumpitur* (*a*). Ex hac humani animi corruptione neceſſitatem *converſionis* & mutationis urgebant Chriſtiani doctores; hinc pœnitentiam injungebant, & peccatum agnoſcere, & corruptum animum mutare, & cum inhabitante peccato pugnam exercere, & cor atque membra ipſa reſcindere jubebant. Quid ad hæc STOICI? Et hic ſimias Chriſtianorum agnoſce. Vrgebant

ipſam vocem PAVLVS *Rom. IX.* 21. adhibuit. conf. EPICTETVS *L. I. c.* 1.

(*u*) ANTONIN. *L. XII.* §. 26. *L. II.* §. *I.*

(*x*) MANILIVS *L. IV.* his ſimilibusque vocibus rapitur fere extra ſe LIPSIVS *Phyſiol. Stoic. L. III. Diſſ. II. p. m.* 274. *ſeqq.*

(*y*) ANTONIN. *L. II.* §. 2. *L. III.* §. 16. *L. XII.* §. 3.

(*z*) *Ep.* 94.

(*a*) Fuſe hanc hominis corruptionem explicat SIMPLICIVS Comm. in *Epict. Enchir. p. m.* 121. etſi fundamenta magis Platonica quam Stoica ſupponat. Eleganter vero ANTONINVS *L. XI.* §. 18. εἰ τινῶν ἁμαρτημάτων ἀπέχῃ ἀλλὰ τήνγε ἕξιν ποιητικὴν ἔξεις, εἰ καὶ διὰ δειλίαν, ἢ δοξοκοπίαν ἢ τοιοῦτο τι κακὸν ἀπέχῃ τῶν ὁμοίων ἁμαρτημάτων. *Si a quibusdam peccatis abſtines, habebis tamen intra te proclivitatem habitumque talia perpetrandi, licet vel ignaviæ, vel famæ, vel alterius rei cauſſa a ſimilibus peccatis abſtineas.*

gebant (*b*) τὴν μεταςροφὴν τὴν ἐπὶ τὰ θεῖα γινομένην ἐκ μεταβολῆς, μεταβαλούσης τῆς ψυχῆς εἰς σοφίαν, *converſionem ad divina quæ fit ex mutatione, mutata anima ad ſapientiam.* Hinc animum mutandum eſſe, urget SENECA (*c*) & *initium ſalutis eſſe notitiam peccati* prudenter monet. Inde μετάνοιαν ἐπίληψίν τινα ἑαυτοῦ ὡς χρήσιμόντι παρεικότος, *reprehenſionem ſui ipſius, ut qui utile quid omiſerit,* definit ANTONINVS.(*d*) SENECA vero: *Militandum eſſe, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur; projicienda, quæ cor laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum.* His, quæ præcipua Chriſtianorum dogmata attingunt, alia quoque poſſunt adjici, in quibus ad Chriſtianorum placita externa ſpecie accedere propius Stoici tentaſſe viſi ſunt. In his nihil magis imitationem Chriſtianorum prodit, quam deſcriptio *Cynici veri*, quæ apud ARRIANVM in diſſertationibus Epicteteis reperitur (*f*): ea enim ita comparata eſt, ut ſeverus ille morum magiſter potiſſimum ad eam miniſtri divini ideam reſpexiſſe cenſendus ſit, quam ſacræ paginæ voluntatis divinæ nuntiis præſcribunt. Illis enim definientibus, divini cœtus paſtor & inſpector gregis & nuntius DEI atque præco eſt, qui debet eſſe irreprehenſibilis, vigilare pro gregis ſalute, demonſtrare ſalutis viam, & ipſa praxi pietatis gregi eſſe exemplo. Ecce vero, quam mire ad hanc imaginem Cynicum ſuum formet Epictetus, cujus verba brevitatis cauſſa tantum Latina do: ſcilicet, *non ſine Deo tantam rem aggrediendam; qui gubernator hominum fieri velit, in rebus ſuis non amplius ſimilem eſſe ſui oportere, non iracundum eſſe, non invidum, ſi pædagogus publicus eſſe cupiat; eſſe Dei legatum,* (ἄγγελον) *ut hominibus, quæ bona, quæ mala ſint, nuntiet, ut quantis in erroribus verſentur,*

(*b*) Apud CLEM. ALEX. *Strom.* L. IV. p. m. 485.
(*c*) *Ep.* 28. (*d*) L. VIII. §. 10. (*e*) *Ep.* 51. (*f*) L. III. c. 22.

tur, demonſtret, utque alio in loco bonorum malorumque naturam, quam ubi ſunt, quærant, ubi vero non ſint, cogitent. Eſſe exploratorem, qui ubi accurate vera indagarit, renuntiet, metu non perculſus; ſuo id exemplo demonſtrandum, mentem ejus puriorem ſole eſſe debere; illum pro aliorum ſalute vigilare, armorum & ſatellitum loco conſcientiam habere, & ſi diis ita placet, fiat, non alienis rebus ſupervacaneis occupatum eſſe, ſed in ſua curioſum, tanta tolerantia, ut ſenſus expers videatur, &c. Verum elegantiſſima diſſertatio tota legenda eſt, quæ ſi reliqua omnia abeſſent, ſola mihi ſatis apta videtur, ad convincendos nos, EPICTETUM Chriſtianorum inſtituta, mores, doctrinam in oculis habuiſſe. Et ſic in aliis quoque ſanctiſſimæ religionis noſtræ capitibus liceret hanc Stoicam Chriſtianorum imitationem oſtendere, quæ tamen brevitati litaturus prætermitto; unum tamen omittere nequeo, in *ultimis hominum* deſcribendis multum Chriſtianorum veſtigiis inſiſtere Stoicos. Expendant curioſi rei hujus indagatores, quibus magiſtris didicerit SENECA (*g*): *Nihil æque prodeſſe ad temperantiam omnium rerum, quam frequentem cogitationem brevis ævi hujus & incerti; quicquid faciendum, reſpiciendum ad mortem.* Et alibi (*h*): *Fugere, non abire dies, vigilandum itaque eſſe, niſi properamus, relinqui nos. Non deflendum* (*i*) *eum, qui anteceſſit, & ſequi nos eos, quos amiſimus;* & quæ aliæ hujusmodi voces ſunt in *conſolationibus ad Marciam, Helviam, & Polybium* occurrentes. Ex quibus vel unum decerpere locum juvat, ut luculento exemplo pateat, quam preſſe Chriſtianorum dicta imitatus fuerit SENECA. Is ita *ad Marciam* (*k*): *Exceſſit filius tuus terminos, intra quos ſervit, excepit illum magna & æterna pax, non paupertatis metu, non divitiarum cura angitur; - tandem ibi conſtitit, unde eum nihil pellat, nihil terreat.*

 Et

(*g*) *Ep.* 14. (*h*) *De brev. vitæ, c.* 9. conf. ANTONIN. *L. II.* §. 4. (*i*) *Ep.* 99. (*k*) *c.* 19.

Et hæc *ſpes* illa *magna* eſt, quam ex parte a Chriſtianis mutuo ſumtam, non ſine metu tamen contrarii, toti ſuæ philoſophiæ tanquam vinculum quoddam adjecere Stoici, quos inde veriſimiliter *Elpiſticos* dictos fuiſſe, alio loco expoſui (*l*). Inde magna illa & jactabunda verba, quæ *παλιγγενεσίαν* Chriſtianam fallaci ratione imitantur (*m*): *Mors, quam pertimeſcimus, intermittit vitam, non eripit; veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies* (*n*). Imo ipſa conflagratio mundi, Stoicis tantopere jactata, Chriſtianorum de ea placita quam maxime commendabat, de qua cum alibi dixerim, hic prolixus eſſe nolo. Tot igitur exempla cum præſto ſint doctrinarum Stoicarum, de quibus Chriſtianorum veſtigia preſſiſſe Stoicos, apertum eſt, quis de imitatione hac ulterius dubitabit?

§. VI. Quod porro hanc Chriſtianorum imitationem a Stoicis ſuſceptam in meridiana quaſi luce collocat, eſt emendatio *philoſophiæ moralis* ad præcepta Chriſtianorum facta, quæ & ſententiarum pondere & verborum gravitate atque ſplendore ita Chriſtianam ſcholam redolet, ut facile ignoſcendum putem viris doctis, qui doli Stoici ignari philoſophos hos in Chriſtianorum caſtris ex parte militaviſſe, ſibi perſuaſerunt. Id ut demonſtretur, ſanctioris, quæ ad mores hominum ſpectat, diſciplinæ peritum ad ea tantum intuenda & expendenda incitandum puto, quæ in Stoicorum ethica de officiis hominum erga Deum, erga ſeipſum & erga alios homines dicta ſunt. Quæ notabilibus Stoicorum phraſibus omnia recitarem, niſi prolixitatis metus obicem poneret, & verba ipſa lectorem apud Stoicorum trigam ſupra laudatam quærere juberet. Præcipiunt vero STOICI: Summam *officiorum*, quæ *DEO* debent homines, eſſe, *Deum ſequi, eidemque ſine exceptione, & beneplacito ejus ſine murmure obtem-*

(*l*) Diſſ. *de ſecta Elpiſtica miſcell. Berolinens. T. V. p.* 222. *ſeqq.* quæ & ſupra repetita eſt.

(*m*) Conf. GATAK. *p.* 385. (*n*) SENECA *Ep.* 31. conf. LIPSIVS *phyſiol. Stoic.* L. II. *Diſſ.* 22.

obtemperare (o); Quæ proximo debentur, eſſe, *eundem tanquam ſe ipſum, tanquam conſanguineum, tanquam membrum unius corporis diligere* (p), *amorem hunc extendendum eſſe etiam ad inimicos* (q), *quos beneficiis vincere divina virtus ſit* (r). Ad hæc duo capita omnia referebant (s). Hinc poſcebant, ut officio hominis facturus ſatis, *Deum in omnibus cogitet, in omni negotio eum invocet* (t), *pro omnibus gratias agat* (u), *& imprimis in laudando & hymnis quoque prædicando Deo omne ſtudium ponat;* quæ ita EPICTETVS præcipua exprimit (x), & injungit, ut quos auctores ſibi imitandos propoſuerit, manibus quaſi palpare liceat. Monebant porro, ad *Deum*, *omnes noſtras cogitationes & interiora nudamque mentem reſpicientem, in omni actione attendendum* (y), *eumque in omnibus imitandum. Animi* porro poſtulabant *culturam omnibus aliis negotiis præferendam* (z), *mutandum ex ſtultitia animum in ſapientiam, nec circa hanc converſionem ad ſannas & dicteria ſtultorum attendendum* (a), *excolendumdumque ita animum, ut ſacer in eo ſpiritus habitare*

(o) ANTONIN. *L. V.* §. 19. *L. VII.* §. 22. conf. LIPSIVS *manud. ad philoſ. Stoic. L. II. Diſſ.* 19. *p.* 200.

(p) ANTONIN. *L. VII.* §. 13. 31. (q) SENECA *de Benefic. L. VII. c.* 31. (r) ANTONIN. *L. VII.* §. 3. (s) *Ibid.* §. 31. (t) IDEM *L. VI.* §. 23. (u) EPICTET. *L. I. c.* 7, conf. GATAK. *ad Ant. p.* 12. STOBAEVS *Ecl. Eth. L. I. c.* 4.

(x) Lege elegantiſſimam diſſertationem *L. I. c.* 16. unde brevitatis cauſſa hæc tantum Latina do: *Nam ſi ſapimus, quid nobis aliud erat agendum, & publice & privatim, quam numen celebrandum & laudandum, & grates perſolvendæ? nonne inter fodiendum & arandum & edendum, qui nobis inſtrumenta præbuerit, has qui manus dederit, qui deglutiendi vim, - - hæc ſingulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus & diviniſſimus reſonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem.* Sed & reliqua legenda ſunt, mira ſuavitate ſe commendantia, & frigora noſtri temporis in ruborem dare apta.

(y) EPICTETVS *L. I. c.* 14. (z) conf. BVDDEVS *Iſag. in phil. mor. Stoicorum* ex mente Antonini, LIPSIVS *manuduct. ad phil. Stoic. L. II. Diſſ.* 18. *p.* 195. GATAKER. *Praloq. ad Anton. p.* 12. *hiſtor. philoſ. T. I. p.* 1073. 1074.

(a) EPICTET. *enchir. c.* 18. 29.

queat (b): hinc cupiditates corque ipſum revellendum (c). Amandum proximum non verbo tantum, ſed & veritate, tanquam non ſibi ſoli genito, ſed in commune bonum nato (d), nunquam benefaciendo ceſſandum (e), ſed bonam conſcientiam ad vitæ usque halitum ſervandam, bonumque certamen certandum (f), & magnam ſpem alendam, poſt hanc vitam æternam pacem & gaudia in ſocietate Deorum ſecutura (g). Nihil hic recito, quod non expreſſis Stoicorum verbis & ſententiis toties inculcatum legimus: nihil poſtulatum audimus, quod non ſupra gentilia lumina videri queat, quæque Stoicorum philoſophium moralem ante C. N. magnifica oratione longe ſuperabant (*h*). Annon inde juſte infero, ſpolia hæc eſſe Chriſtianis detracta, vel imitatione potius, ad ſanctiſſima morum præcepta Chriſtianorum ita accommodata, ut inde perfectioris & ſanctioris philoſophiæ laus, publice Chriſtianis conceſſa, ad Stoicorum cathedras derivaretur (*i*)?

§. VII. Nihil tamen in his omnibus acceſſit divinæ veritati propius gens impia, immo quantum in ſe fuit, ſubdola ratione veritatem prodidit, certe in injuſtitia, quæ Pauli vox eſt, detinuit. Externo enim doctrinarum, imprimis moralium, ſplendore & ſanctitate Chriſtianis laudem feciſſe dubiam contenta, abominandorum errorum nexui peſſimoque fundamento totum iſtud elegantiſſimum philoſophiæ, Chriſtianam doctrinam imitantis, ſyſtema inædificavit. Non ignoro, eſſe viros doctos, qui hæc gratis dici exiſtimant, nec adeo male de fortiori & emendatiori philoſophia meritos eſſe Stoicos autumant, inter quos poſt LIP-

(*b*) SENECA *Ep.* 41.
(*c*) IDEM *Ep* 41. (*d*) ANTONIN. *L. VII.* §. 55. conf. GATAKER. *L. II.* §. 3. *p.* 53. (*e*) SENECA *de beneficiis* paſſim. (*f*) ANTONIN. *L. III.* §. 4. SENECA *de vita beata c.* 20. IDEM *Ep.* 10. (*g*) Vide Diſſ. *de ſecta Elpiſtica.*
(*h*) Obſervavit hoc QVINTILIANVS Inſtit. *L. X.*
(*i*) Inde Stoicam ſectam *fortiſſimam & ſanctiſſimam* vocat SENECA *Ep.* 83.

LIPSIVM (*k*), HVETIVS (*l*), GATAKERVS (*m*), DACIERIVS (*n*), COQVELINVS (*o*) & alii (*p*). Sed, quod pace virorum eruditiſſimorum dixerim, ad ipſum ſyſtema Stoicum non ſatis attenderunt, & ſubdolam Chriſtianos externe imitandi rationem non caute ſatis expenderunt. Quod ut planum faciam atque demonſtrem, ipſa potiſſimum ſyſtematis phyſiologici & moralis, quale in ſcholis Stoicorum traditum eſt, fundamenta adducenda ſunt, etſi poſt virorum doctiſſimorum (*q*) & meum quoque aliqualem laborem (*r*) ſumma tantum capita attingenda ſunt; quippe quæ ſufficiunt ad demonſtrandum, doloſa prorſus ratione Stoicos Chriſtianos fuiſſe imitatos, & ſub emendicatis verbis perverſiſſimum noxiumque occultaſſe venenum, eo magis fortiusque lædens, quo blandiori & dulciori ſpecie decipit.

§. VIII. Sunt vero indubia & omnium conſenſu germaniſſima Stoæ principia hæc: I. Totum hoc, in quo continemur, & unum eſſe, & univerſum, & quæcunque in eo ſunt, eſſe ejusdem eſſentiales partes, decerptas particulas & membra (*s*). II. Totum illud & ſubtilius aliquod in ſe continere principium igneum, activum, & craſſius atque paſſivum, illud eſſe Deum, hoc materiam (*t*). III. Vtrumque principium cum ſimul unum totum ſit, arctiſſimo ita inter ſe uniri nexu atque vinculo, ut non niſi utrumque ad leges & ratio-

(*k*) In *manud. ad phil. Stoicam & diſſ. de phyſiolog. Stoica* paſſim. (*l*) in *quæſt. Alnetanis.* (*m*) In *Præloquio ad Antoninum.* (*n*) In *Annotationibus ad Antonin.*

(*o*) *Manuel d'Epictete avec des reflexions tirées de la Morale de l'Evangile.*

(*p*) conf. *hiſt. phil. T. I. p.* 1033. (*q*) B. IAC. THOMASII *de exuſtione mundi Stoica.* B. I. FRANC. BVDDEI Diſſert. *de erroribus Stoicorum*, quæ extant in *Analectis hiſt. phil.*

(*r*) In *Otio Vindel. Mel. II. in hiſt. philoſ. T. I. p.* 1063. *ſeqq.* & in *hiſt. crit. philoſ. T. I. p.* 421. *ſeqq.*

(*s*) SENECA *Ep.* 97. ANTONIN. *L. IV.* § 40. GATAK. *ad h. l.* (*t*) SENECA *Ep.* 65. ANTONIN. *L. II.* §. 2. *L. IV.* §. 21.

rationes totius vel agere vel pati queat (*u*). IV. Permeare vero iſtum ignem, ſive Deum Stoicum, totam materiam, eamque informare, vivificare, ejusdemque partibus eſſentialiter ubique adeſſe (*x*). V. Nec hanc Stoici Dei activitatem aliam eſſe poſſe, quam quæ leges & rationes totius, cujus pars ille eſt, poſtulant, unde & ipſe illis legibus ſubjectus eſt (*y*). VI. Inde fatum hoc abſolutiſſimum, & concatenatum cauſſarum & eventuum nexum eſſe, quo omnia ita eveniunt, ut evenire neceſſe fuit, cum hoc ſacro nodo omnia in univerſo tanquam in uno arctiſſime invicem implicentur (*z*). VII. Quoniam vero hæc rerum univerſitatis ſeries ejus partibus adæquate reſpondet, & ad illam conſervandam facit, inde maxime rationalem eſſe (*a*). VIII. Ex iſto Deo ſive anima mundi decerptos eſſe & genios (*b*) & hominum mentes, quæ *ἀποσπασμάτια*, portionem divinæ eſſentiæ in ſe contineant (*c*). IX. Materiam vero iſtam craſſiorem per ignem illum divinum in aſpectabilem mundi formam coaluiſſe, & poſt certas periodos ad priſtinam chaos primævi confuſionem per incendium redituram, ſicque & partes animæ mundanæ in eam reductum iri, novumque inde ex naturæ univerſi neceſſitate mundum priſtino in omnibus ſimilem reſtitutum iri (*d*). X. Ad hanc univerſi conſtitutionem efformare ſe, ſicque partem divinam in nobis habitantem ad felicitatem

(*u*) ANTONIN. *L. VII.* §. 9. conf. BUDDEUS *ſupplem. Iſagog. in hiſt. theol. liter. p.* 37. & quæ dixi *Amœnitat. Liter. T. VIII. de providentia Stoica.*

(*x*) SENECA *præf. quæſt. natur.* ANTONIN. *L. IV.* §. 40. *L. VII.* §. 75.

(*y*) SENECA *l. c.* (*z*) ANTONIN. *L. VI.* §. 28.

(*a*) Vid. LIPSIUS *phyſ. Stoic. L. II. Diſſ.* 11. *p.* 51. *ſq.* GATAKER. *præl. ad Antonin. p.* 11.

(*b*) conf. LIPS. *l. c. Diſſ.* 20. *p.* 113.

(*c*) ANTON *L. IX.* §. 8. *L. II.* §. 4. EPICTET. *L. III. c.* 24. & frequenter SENECA.

(*d*) Hæc frequentiſſime Stoici crepant: vid. SENECA *conſ. ad Mart. c. ult. quæſt. nat. L. III. c.* 27. ANTONIN. *L. V.* §. 31.

tem ſuam excitare, hoc potiſſimum philoſophiæ munus eſſe, abjectis iis, quæ hunc ſcopum impediunt (*e*). Plura ſunt, quæ ex his conſequuntur, nobiliſſima Porticus decreta & præcepta; ſed ea hic, ubi brevitas ſectanda eſt, quærenda non ſunt, & decas iſta principiorum Stoicorum veritatis ſtudioſo ſufficit ad detrahendam Stoicis Chriſtianorum ſimiis larvam. Nam his ipſis principiis peſſimam impietatem contineri, eaque ab atheiſmi abominabili labe prope abeſſe facile evinci poteſt, dudumque viris doctis evictum eſt (*f*).

§. IX. His jam poſitis, & pro interprete decretorum & præceptorum Stoicorum aſſumtis, facile oſtendi poteſt, quam ſubdole & maligna ratione infernalis genius impiarum doctrinarum *βδελύγματα* ſub larva Chriſtianæ pietatis occultaverit, & quam longe magnifica illa verba & dogmata Stoicorum, quæ ſupra recenſuimus, a veritate illa abſint, quam divinos doctores Spiritus S. docuit. Quicquid enim Stoa jactavit, quicquid Chriſtianorum verbis interceptis jactantius injunxit, illud omne ita comparatum eſt, ut ſalva impia hypotheſi dicere quoque poſſit genuinus Spinozæ aſſecla, verbis Chriſtianorum impietatis ſuæ virus cautius tegens & occultans. Quod ut faciam manifeſtum, & ſubdolam imitationis Stoicæ rationem in apricum producam, bona tua pace, venerande ZIMMERMANNE, & verba & ſententias memoria recolam, quibus ſupra Stoicos Chriſtianorum ſimias fuiſſe, oſtenſum eſt. Gratias agebat Epictetus Deo; ſed cui? univerſo, ſive *opificio*, ut ait *maximo & ſummo, quod in ſe continet omnia, quod ex hominibus & Deo & reliquis creaturis conſtat, a quo ſemina delapſa ſunt in univerſa, quæ generantur & naſcuntur in terris, tum vero in ea, quæ ratione ſunt prædita*; quemadmodum ita germaniſſimam Stoicorum ſententiam alibi (*g*) expri-

(*e*) ANTONIN. *L. II.* §. 3. quo loco ea fere omnia, quæ hic per partes dicta ſunt, collecta legimus.

(*f*) conf. *ſupplem. ad hiſt. philoſ. p.* 182. (*g*) *L. I. c.* 9.

primit. Hinc Dei filium in ſequentibus hominem vocat, id eſt, eum, qui ab ipſo univerſo productus ſit. Dei civitatem Epictetus & Antoninus memorabant, ſed cave, ſpiritualem Chriſtianorum vel cœleſtem intelligas; mundana eſt, ubi omnes homines pii, pariter atque mali, membra ſunt atque partes (*b*), cui univerſa & neceſſaria lex imperat, unde neceſſarium fluit obſequium, futilis illa Stoicorum virtus. Id ſi phraſibus Stoicis ante C. N. familiaribus expreſſum fuiſſet, longius a Chriſtianorum ſententia abiiſſet, & venenum impium apertius prodidiſſet. Ita enim de eodem argumento CHRYSIPPVS (*i*) apud LAERTIVM (*k*), ἶσον ἐςι τὸ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν τῷ κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, μέρη γὰρ ἐισιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου, *ſecundum virtutem vivere idem eſt, ac juxta eandem rationem vivere, ut in mundo quotidie fieri & accidere experientia novimus. Sunt enim naturæ noſtræ partes univerſi.* Sed ſplendidius, ſanctius & caſtius loquendum erat, hinc ſurreptæ Chriſtianis voculæ, ut imperitis imponeretur. Cur templum Dei Senecæ ſupra dictus ſit homo, ipſe mox prodidit, ſcilicet (*l*) quia *mens particula eſt ex cœleſti anima*, ex ipſa Dei eſſentia *decerpta, ut radius a ſole demiſſus in corpus, ita ut inhæreat origini ſuæ.* Inde mens familiariter ANTONINO dæmon, immo Deus inhabitans, θεῖα ἀπομόιρα, καὶ ἀπόῤῥοια τοῦ τὸν κόσμον διοικοῦντος (*m*) *portiuncula & emanatio ex directore mundi.* EPICTETO (*n*) τοῦ Διὸς μέρος, *Jovis pars*, SENECÆ (*o*) *divini ſpiritus pars ac velut ſcintilla quædam.* Vides Deum & hominis mentem eſſentia idem eſſe, eandemque originis & naturæ ſervare rationem. Hinc Pelagianiſmus Stoicorum ante Pelagium, viribus hominis omnia in virtutis & ſapientiæ ſtudio adſcripta; quod hic

(*b*) Vid. ANTONIN. *L. XII.* §. 36. EPICTET. *L. I. c.* 12. *L. III. c.* 24. (*i*) *De finibus.* (*k*) *L. VII.* §. 87. (*l*) *Ep.* 41. (*m*) *L. II.* §. 1. 4. conf. GATAKER. *ad hh. ll.* (*n*) *L. I. c.* 1. (*o*) *Ep.* 92. & *de otio ſapient.*

hic ideo notandum eſt, ut ſplendenti philoſophiæ, virtutem a Deo expectanti, larva detrahatur. Audi quæſo impudentem Senecæ vocem (*p*): *Turpe eſt etiamnum Deos fatigare; quid votis opus eſt? fac te ipſum felicem.* Sed & reliqua lege & deteſtare impietatem & ſuperbiam peſſimorum philoſophorum. Maxime vero impiam imitationem prodidit Imperator, dum ex natura omnia, in natura omnia, ad naturam omnia ſupra exclamavit. Qui enim potuit melius Spinozæ impietati præludere? qui potuit ſignificantius unam illam naturæ ſubſtantiam, ex qua, in qua, ad quam omnia referuntur, exprimere? qua ſcilicet in Porticu ex univerſo ejusque variis per Deum & materiam, ſi non modificationibus, certe partibus & emanationibus omnia oriuntur, ſunt & ſic quoque omnia in Jovis unam eſſentiam iterum redeunt. Habeo inde rationem, cur ſimilitudinem membrorum in uno corpore Chriſtianis ſuſſurati ſint, quia ſcilicet ejusdem univerſi omnes omnino homines partes, & mentes omnes ejusdem animæ mundanæ particulæ & ſcintillæ ſunt; ex hoc ipſo fundamento disjectum ramum univerſitati, cujus pars fuit & membrum, ſed mentis ſtupore in rationali parte excidit, inſeri iterum poſſe Antoninus monuit. Hac ſententia de Deo anima mundi, per univerſum ejusque partes diffuſa, ſemel ſuſcepta, facile erat, diviniſſimam de unitate Dei doctrinam cum πολυθεότητι gentili nefando auſu conciliare, ſicque inter tenebras & lucem paciſci. Etſi enim unus ita Deus eſt, isque & omnipotens & omnipræſens & creator atque conſervator univerſi, cum anima mundi principium mundi activum ſit, omnibus ejus partibus præſens, & eas permeans atque animans, id quod non ineleganter explicat PHVRNVTVS (*q*); omnes tamen mundi partes Dii ſunt, quibus ſcilicet pars divinæ animæ ad-

(*p*) *Ep.* 31. conf. GATAKER. *ad Anton. L. II.* §. 11. *p.* 65.
(*q*) *De nat. deor. c.* 2. *p.* 141.

adhæret (*r*). Nec ſaniora ſunt, ſi dimiſſo cortice ad nucleum philoſophiæ Stoicæ attendimus, quæ de providentia garriunt. Fateor, minimorum quoque providentiam aſſerere Epictetum; concedo, libertatem animi cum iſta providentia conjungere ſenem ſeveriſſimum; laudo, negantes providentiam Epicureos a Stoicis fortiter refelli; nihil hoc ad ſananda putria Stoicorum efficit vulnera: nam providentia illa nihil aliud eſt, quam motus ille ignis ſubtiliſſimi, qui materiæ ineſt, ſive mundanæ animæ, naturæ, Dei, (omnia enim iſta unum idemque ſunt) activitas, ad leges univerſi ita adſtricta, ut fato huic ipſe Deus pareat, qui etſi neceſſariæ & fatali connexioni rerum inevitabiliter ſubjectus ſit, quia tamen ſolus eſt omnis actionis cauſſa, liberrimus dicitur; unde mens, quæ particula Dei eſt, *libera* non eſſe non poteſt; aſt ſenſu Stoico, dum ſcilicet ſequitur impetum naturæ ſuæ, & facit, quod natura ſua evitare nequit. En egregiam philoſophiam! SENECAM vero reipſa ad *S. Trinitatis* myſterium præter verba propius acceſſiſſe, mire ſibi & aliis imponit HVETIVS; ille enim & genitor univerſi, & incorporalis ratio & divinus ſpiritus unum idemque ſunt deaſter ſuus, mundus, natura, anima mundi, totum. Ex eodem fonte doctrina Stoica de *dæmonibus* orta eſt, quippe qui, ejuſdem cum mente humana ſortis, ex anima mundana effluxere: miſeri tamen dii, qui mortales ſunt, & in exuſtione mundi conflagrandi, & ita *in Jovem unum reducendi* (*s*), *& in unum confundendi* (*t*). Et ex horum ſorte de mente humana judicandum, quam poſt jactatam divinam originem tandem mortalem faciunt (*u*); & quod apud quosdam videas, etſi Stoicis principiis conſentaneum, undis

(*r*) SALLVSTIVS *de diis & mundo c. 5. p. 252. ſqq.*

(*s*) Eleganter hoc demonſtravit THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica, Diſſ. VII. p. 75. ſeqq.*

(*t*) SENECA *Ep. 6.* (*u*) THOMAS. *l. c. Diſſ. XV. p. 227.* conf. SENECA *Ep. 36.* MENAG. *ad Laërt. L. VII. §. 147.*

dis extinguendam (*x*); certe in univerſale ſeminarium reſolvendam, confundendamque (*y*). Vnde merito ſpes illa Stoicorum de futura felicitate poſt ſuperbam jactantiam in fumum abitura deriſa fuit. En egregiam Dei imaginem, qui animas in ſe abſorbens cum revera corporeus ſit (*z*), & ignis ſubtiliſſimus, aliam & meliorem imaginem, qualem Chriſtiana religio docet, homini largiri nequit.

§. X. De *corruptione* humani animi, fateor, egregia quædam monent STOICI, & mutandi ejus neceſſitatem urgent, ut furtum facile ſubolere liceat; intimius tamen ſi dicta reſpicias, non minores vel leviores errores latent. Non enim hæc corruptio in mente reſidet, ſed *in ea materiæ portione, cui immerſa eſt; inde in animam ſenſusque cupiditates irruunt, & his divina illa & cœleſtis particula mens captiva tenetur. Hæc virtute ſua divina liberanda, ſuoque aſſerenda principio, ut redeat, unde deſcendit.* Nihil recito, quod non germanis Stoicorum decretis contineatur, eorumque effatis confirmetur. Imprimis luculentus eſt ANTONINVS, qui de hac re ita (*a*), λογικῆς κὴ νοερᾶς κινήσεως ἴδιον περιορίζειν ἑαυτὴν, κὴ μήποτε ἡττᾶσθαι μήτε αἰσθητικῆς μήτε ὁρμητικῆς κινήσεως· ζωώδεις γὰρ ἑκάτεραι, ἡ δὲ νοερὰ ἐθέλει πρωτιςέυειν κὴ μὴ κατακρατεῖσθαι ὑπ᾽ ἐκείνων δικαίωςγε, πέφυκε γὰρ χρηςικὴ πᾶσιν ἐκείνοις, τρῖτον ἐν τῇ λογικῇ κατασκευῇ τὸ ἀναπόπτωτον κὴ ἀνεξαπάτητον. τούτων ἒν ἐχόμενον τὸ ἡγεμονικὸν εὐθεῖα περαίνετο κὴ ἔχει τὰ ἑαυτοῦ. *Eſt hoc motus rationalis atque intellectualis proprium, circumſcribere ſemet, nec ſenſus nec affectus motibus unquam ſuperari, animalis enim uterque eſt; vis autem intellectualis principatum ſibi*

(*x*) conf. *hiſt. philoſ. T I. p.* 1061. *ſqq.*
(*y*) ANTONIN. *L. IV.* §. 3. (*z*) Evictum hoc in *Otio Vind. Mel. II. & in hiſt. phil. T. I. p.* 1093.
(*a*) *L. VII.* §. 55.

ſibi vendicat, nec ab eis in ordinem redigi patitur, jure quidem, etenim intellectus natus eſt, eis omnibus uti; tertium in natura rationali eſt, lapſu & ſeductione immunem eſſe; his igitur mens adhærens, recta procedat, habetque quicquid ſuum eſt. Paria habet & alibi (*b*). Clarum inde eſt, omne malum a corpore, vel anima etiam, quæ & ipſa elementaris eſt, in mentem, illam divinam ſcintillam, derivari, quæ in divinis virtutis actionibus corpore non magis impeditur, quam Deus a materia non in omnibus obſequente. Luculenter SENECA (*c*): *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus; quod eſt illi materia, id nobis corpus eſt, ſerviant itaque deteriora melioribus.* Hinc tota illa meteorologia Stoica, quæ, ſupponens (*d*), *omnia corporis, fluvium, animæ ſomnium & fumum, vitam militiam, & hoſpitis in peregrino moram eſſe, eo tendit, ut genium quis ſuum interim conſervet integrum, contumelia ac læſione omni immunem, voluptate ac dolore omni ſuperiorem, nihil temere aut ficte agentem, ſibi ſufficientem, porro quæcunque ſibi eveniunt, ita excipientem, tanquam inde obvenientia, unde ipſe venerit.* Quæ cum materiam a Deo independentem, eamque arti divinæ inobſequentem, adeoque ſuo modo malam ſupponant (*e*), & in fluxis atque corporeis tantum corruptionis ſedem collocent, quam longe a vera ſapientia aberraverint, etſi verbis ſaniora profeſſi, in propatulo eſt. CYNICI deſcriptionem Epicteteam facile Chriſtianis imitatione ſurreptam fateor, ad ideam veram miniſtri I. C. formare Cynicum nego. Deus enim ille, a quo miſſus eſt, ad cujusque normam ſe & alios componit, ſummum illud bonum, quod aliis laudat, eſt in ſe ipſo, ſcilicet Deus ille Stoicus, cujus eſſentialis pars eſt animus. Ait enim (*f*): εἰ ἠθέλετε, εὕρετε αὐτὸ ἐν ὑμῖν ὄν οὐδ᾽ ἀνέξω

(*b*) *L. II. §. 3. 16. L. III. §. 3.*
(*c*) *Ep.* 65. (*d*) Verbis hæc ANTONINI recitantur *L. II. §.* 17. (*e*) SENECA *præf. quæſt. nat.* (*f*) *L. III. c.* 12.

ἀνέξω ἐπλάζεσθε, οὐδ᾽ ἂν ἐζητεῖτε τὰ ἀλλότρια ὡς ἴδια, ἐπιστρέψατε αὐτοὶ ἐφ᾽ ἑαυτοῖς. κ. τ. λ. *Si quærere velletis, inveniſſetis illud* (ſummum bonum) *in vobis exiſtens, neque foris oberraretis, neque quæreretis aliena, tanquam propria: redite itaque in vos ipſos &c.* Hinc Cynicum ſuum vere ἀπαθῆ vult, regemque & dominum aliorum ſe venditantem. Quæ, ut a Chriſtianorum genio multum abeunt, ita longe aliud ſibi voluiſſe EPICTETVM, quam Chriſtiani, ſatis produnt. Ex his omnibus, quæ larga manu propinavi, judicium quoque fieri debet de iis, quæ de *morte* hominis, *felicitate ejus poſt hanc vitam, mundi conflagratione, & reditu* mortalium *ad vitam,* ſpecioſe adque Chriſtianorum placita convenienter dicta videntur. Spes enim illa verbis tantum jactata, & ad unum animorum in animam mundi reditum (*g*), corporumque in elementorum reſolutionem reducta (*h*) timore & angore ejiciebatur, ita ut mirum non ſit, poſt ſplendidam jactantiam fluctuaſſe SENECAM, (*i*) & ANTONINVM (*k*); vel iis ſe ſolatiis erexiſſe, quæ ad crucem actum furem ſolari apta ſunt, *neceſſitati eſſe parendum, exeundum, fore nos, quod ante nativitatem fuimus, nempe in chaos priſtinum confuſi,* & quoad mentem *igni ſupremo & cæleſti,* quem DEVM, Deique ſedem ſomniabant, *juncti.* Cumque conflagratio mundi periodica ſit, & ex natura univerſi certis temporum intervallis ſemper recurſuris oriatur, cum omnia in Iovem, id eſt, in ignem illum naturalem reducantur, & ex iſto Iove omnia illa, neceſſitatis ſive fati lege, ad priſtinam vitam redeant, quæ Stoicorum metempſychoſis & reſurrectio eſt (*l*), quis nefandos errores cum divinis de futura reſurrectione & vita doctrinis conciliabit?

§. XI.

(*g*) ANTONIN. *L.IV.* §. 23. (*h*) *ib. L.II.* §. 17. (*i*) *Ep.* 63. (*k*) ANTON. *l. c.*
(*l*) Conf. omn. THOMASIVS *l. c. Diſſ. X. XI. p.* 156. *ſqq.*

§. XI. Tantum detrahendæ *ſubdolæ STOICORVM philoſophiæ* temporis inſumſi, ut timeam merito, optime ZIMMERMANNE, ne vel tua, vel lectoris patientia abutar, ſi in indicandis philoſophiæ moralis Chriſtianorum ſapientiam imitantis dolis æque prolixus fuero. Verbo itaque moneo, eandem prorſus impietatem latere, cum *ſequi Deum*, *amare hominem*, & quæcunque inde officia reſultant, hoc fundamento nitantur: omnia conſtare uno toto, cujus partes eſſentiales ſumus atque membra, cum & animus noſter ex divina anima decerptus, & corpus ejusdem elementi particeps factum, unum cum omnibus mundum conſtituat. Hinc ille cultus præſentis Dei, qui ipſe animus eſt; hinc illæ laudes, ſibi ipſi dæmonique ſuo decantandæ: hinc illa caritas proximo tanquam civi mundi & conſanguineo ſuo exhibenda; hinc inimicorum dilectio, quippe qui & ipſi pars mundi, id eſt, DEI ſunt, qui ad univerſi integritatem pertinent, quibus neceſſitate fati & legum univerſi Dii benefaciunt, & de quorum in Iovem olim rediturorum pœnis poſt hanc vitam nihil novit Stoica philoſophia. Quæ tam impia & deteſtanda ſunt, quam egregie prima facie nitent, & purioris ſapientiæ faciem ementiuntur.

§. XII. Luculenter ita, niſi me omnia fallunt, evictum eſt, STOICOS fraudulenta prorſus ratione Chriſtianos fuiſſe imitatos, & dum externa dictione & ſententiarum accommodatione puriori doctrinæ viſi ſunt acceſſiſſe, incautis venenum propinaviſſe. Quod utinam mature animadverſum fuiſſet; ita enim Stoicorum doctrinam cum Chriſtianis placitis non toties infeliciter fuiſſet comparata, & errores Stoici varii in eccleſiam non irrepſiſſent (*m*). Certe philoſophia moralis ſanctior ad inanes meteorologias Stoicorum non fuiſſet efficta (*n*), & ita virtuti Chriſtianæ

(*m*) Vid. *hiſtor. crit. phil. T. III. l. c.* & *p.* 524.

(*n*) Videndus elegantiſſimus BARBAYRACIVS in libro *de theo-*

næ damnum haud unum illatum fuiſſet. Vnde tandem omnibus, de quibus dictum eſt, rationibus ſubductis patet, quanta cautione in veteris ævi rebus cognoſcendis & judicandis opus ſit; & quam accurate ad ea omnia ſit attendendum, quæ in res Chriſtianorum veterum influxum habent, & quam neceſſarius critica philoſophiæ hiſtoria oculus ſit in hiſtoria Chriſtianorum. De quibus & aliis, quæ huc referuntur, cum te diutius dicendo detinere nefas ſit, rivulos claudo, teque valere jubeo.

logia morali PP. add. THOMAS. *de exuſt. mundi Stoica Diſſ.* XXII. *p.* 239. *ſeqq.*

MISCELLANEORVM
HISTORIAE PHILOSOPHICAE, LITERARIAE, CRITICAE
PARS SECVNDA
HISTORICO - LITERARIA.

OBSERVATIO I. (*)
Electa epiſtolica ex commercio literario virorum doctiſſimorum cum THEOPHILO SPIZELIO, Rev. Min. Auguſt. Sen. & Paſtore ad S. Iac.
accedit mantiſſa
Hexados epiſtolarum viri ſummi
GOD. GVIL. LEIBNIZII
ad eundem datarum.

I.

DVumviri noſtri, quorum mentionem injicis (*Carpzovius & Scherzerus*) reconciliati, continuant reciprocam inter ſe benevolentiam, magno quidem meo gaudio, nec habeo cur de perpetuitate

(*) Inſeruit partem horum electorum epiſtolicorum amœni-

te dubitem. Vtinam idem fieret in vicinia noſtra. *Alberti.*

2. Peto ut R. & doctiſſimum virum dominum Danielem Caſtrenſium ex inſula Pathmo, ſeu Palmoſa Hieromonachum Græcum & monaſterii τῶν Ἰβήρων, ceu vocant, œconomum, literis teſtimonialibus a Patriarcha Conſtantinopolitano nec non Galliarum ac magnæ Britanniæ Regum legatis in aula Ottomannica inſtructiſſimum benevole ac benigne tum in curia tum in eccleſia veſtra excipiatis. - - Haud ingratus is erit, ſcio, ob varia antiquiſſimorum PP. manuſcripta, queis monaſteria illorum ſcatent. Quid ex illis in veſtra ſuperet bibliotheca, coram indicabis facile. E re profecto fuit bibliotheca tua εὐκαιρῶς tunc mihi transmiſſa, ut ſereniſſimi Archiducis Florentini, qui urbem & bibliothecam noſtram inviſerat, ſecretarium dominum Apollonium Baſſetti edocerem de manuſcriptis ex ipſorum theſauro in vulgum emiſſis, ceu impreſſos etiam Erneſtius ille Danus in Medicæa ſua jam dudum vulgarat. Denique quod Balthaſar Cordierius S. I. in catalogo manuſcriptorum bibliothecæ Scorialenſis, quem Cyrilli homiliis in Ieremiam præfixit, in Hiſpania ipſe egerit, probe noſti. *Chriſt. Arnoldus.*

3. Iudicium ut tibi communicem meum de continuatione bibliothecæ univerſalis rogas? dicam ſane; nec comitatis certamen, quod te laceſſente ingredior, ultro deſeram. Res immenſi laboris eſt, quæ quidem a nobis in Germania cumprimis confici nequit. Deſunt enim bibliothecæ, deſunt catalogi exterorum, neſcimus codices manuſcriptos, quorum vel ſola lemmata ab invidis ſupprimuntur.

 Præterea

tatum literariarum *tomo V. p.* 202. *ſeqq.* eruditiſſimus Schelhornius. Quibus jam recuſis ea adjecimus, quæ olim collegeramus, itemque ſex epiſtolas incomparabilis Leibnizii, nondum, quantum ſcio, editas, quod vel lineam tanti viri perire nefas ſit. Multum illas nos in juvando ſtudio elogiographico confirmaſſe, lubentes lætique tanti viri auctoritate fatemur.

Præterea Iudæorum, Syrorum, Arabum, Perſarum cimelia, manu exarata quis novit? operam ludimus tanquam mox perdituri. De cætero vetus illud haud ignoras, cui bono? *C. Arnoldus.*

4. Hornii hiſtoria naturalis & civilis opus imberbe. *Idem*

5. L. Abbadie (deceptor ille Gallicanus) nuper cum Anna Maria Schurmannia & aliis (numerabantur triginta circiter) clam ſe ſubduxit, & multum æris alieni, ad pedes nempe apoſtolorum depoſiti, corraſum abſtulit ſecum. *Idem.*

6. Fuit Hackſpanius brevioris ſtaturæ, facies roſas æmulata, oculi ſubridentes, frons auguſta quidem, ſed aperta, capilli in vertice diviſi, & poſt aures reflexi, barba mediocris, ſubruffa, & in acumen deſinens: corpore præditus erat agili & per agros ac latifundia fere quovis mane alacriter diſcurrente: vir ſane jocoſus ac ſuavis, nec rigore carens Academico; diſciplinam enim cum ſceptra teneret Academiæ, cuſtodivit diligentiſſime, licet ilia Codro rumperentur. In docendo non minus perſpicuus erat, (teſtem me habes diſcipulum illius annorum quinque) quam fidelis - - - plura inedita adhuc ipſe poſſideo: loca ſcilicet aliquot theologica, in diverſis collegiis, ceu vocant, privatis a me calamo excepta, juxta ſententias Rabbinorum imprimis & Targumiſtarum - - Loci ejus theologici ſtatim poſt mortem publico duorum ſtudioſorum, quorum nec nomina nos latent, furto ſubtracta ſunt. Theologia rabbinica typis quidem cœpta exſcribi, haud tamen abſoluta fuit. *Idem.*

7. Ipſe ſereniſſimus princeps Rudolphus, dux ac dominus Brunſvicenſis ſententiam hanc, annum expugnatæ Brunopoleos exhibentem obſervavit, quoad ſenſum verborum (ut me docuit Acad. Iul. Profeſſor) ex I. Maccab. XV. 33. 34. VenDICata eſt a nobIs, Vrbs non aLIena, ſeD patrIbVs noſtrIs & nobIs Detenta. *Idem.*

8. Prædi-

8. Prædixiſſe memini Hackſpanium, futuros eſſe vel tandem, qui textum Ebraicum prorſus ſint reformaturi. Id ipſum poſtea tentare auſus eſt Iſaacus Voſſius in ſuo de LXX. interpretibus libro. Quod olim vel ante eum Sgambatus, qui teſte L. Allatio in apibus urbanis emendare textum Ebraicum ſuſtinuit, & ea de re cum Pont. Max. contulit. *Idem.*

9. Sæpius quoque audivi dicentem: multas ſcholaſticorum & miras diſtinctiones ex ignorantia linguæ Ebrææ fuiſſe ortas, quæ prorſus concidunt, ſi textus origines penitius intueamur. *Idem.*

10. Divino favore in re tam ardua atque proprii ingenii ſummo opus eſt conamine. Secus ac illis placet, quibus inverecundum non eſt, aliena ſcripta nunc exſcribere, nunc mutilare, & ſic gratiam aliis debitam ad ſe rapere. Quo fit, ut publicæ muſarum ſedes inutili ſcriptorum pondere onerentur, quod quidem ad exenteranda marſupia accommodatius cenſueris, quam pectora ſolida eruditione imbuenda. Sufficit veteribus illis nova appenſa anſa, & ſcripturientis vulgi judicio recoctis ſæpius ſcriptis novus titulus, novaque methodus. *Thomas Bangius.*

11. Quareſmii dilucidationem Palæſtinæ non ſolum non vidi, ſed & ne nomine quidem apud nos (Jenenſes) eſt nota, niſi quod illam Boſius citat in introductione generali in notitiam rerumpublicarum orbis univerſi, tractatu præclaro noviſſimeque edito. Bibliotheca tamen ejus non habet hunc librum. *Matth. Frid. Beckius.* N. N. homo pius & ſtudioſiſſimus &c. &c. ſed a ſcholaſticorum ſubtilium magis quam utilium lectione, quæ ei a D. Muſæo ſuadebatur, præpeditus. *Idem.*

12. Codicem manuſcriptum Erfurtenſem, quem in muſeo Friſchmuthiano oculis uſurpaviſti tuis, evolvi, dumque diverſam lectionem accentuum cum laudato domino Friſchmuthio & converſo Iudæo Zarvoſſio perſcrutor, ecce ingerit ſeſe oculis no-

ſtris Targum in libros Paralipomenῶν, de quo nemo noſtrum aliquid inaudivit aut legit, utrum tu vel Velſchius noſtras de eo aliquid reſciveritis, proxima quæſo occaſione me edoceas. *Idem.*

13. Quod Schefferi Sueciam literatam concernit, ſatis præventus B. autor ſcriptis aliis non incelebris, ultimam eidem manum imponere non potuit, ut ſic in abortum potius degenerarit. *Nicol. Bergius.*

14. E Reformatis Heideggerus Tigurinus nuper anatomiam inſtituens concilii Tridentini præter Chemnitianā pauca fere habet de ſuis, ipſo etiam in præfatione (quantum memini) non diffitente. *Mich. Bohn.*

15. Dominus Launojus (in ſcriptis notus) ſingulis hebdomadibus, quantum audio, conferentias, ut vocat, inſtituit publicas, ex quibus haud parum utilitatis mihi promitto. *Idem.*

16. In ſchola Sorbonica aurum colligendum eſt ex ſcoriis, modo non ſcoriæ ſcholaſticæ, tricæque & apinæ aurum omne abſorbeant in Sorbona. *Idem.*

17. Requiro inde a multo tempore *Fabiani Iuſtiniani Indicem univerſalem alphabeticum, in folio, a 1612. Romæ, &*, ni fallor, *Mediolani* quoque editum. Eum ſi impetrare te autore ac proxeneta liceret, majorem in modum hoc nomine tibi me recente beneficio plurimum eſſes devincturus. Egoque illum quantocunque pretio redimere paratus ſum. Vidi pridem mecumque habui diu, commodato olim ſumtum. Eſt multæ bonæ frugis pleniſſimus liber, atque per etiam rarus. Scripſit idem autor libellum in 8. *de S. S. Scripturæ lectione uſu & interpretibus*, quem proclivius eſt aliunde comparare, *B. Boineburg.*

18. Cæterum Italia haud ita pridem ſubminiſtravit epitomen annalium Raynaldi (vid. præf.) non ſine maxima tamen indignatione Nob. Ord. Bav. Cancellarius (cum nuper ad me inviſiſſet) in opere iſto Ludov. IV. ſeu Bavari ex imperatorum ſerie notavit

exclu-

excluſionem, tulitque ægerrime, quod Raynaldus nulla ſubnixus prorſus auctoritate aſſerere non dubitaverit, a Carolo IV. imp. leges Ludovici geſtaque omnia reſciſſa, ac propterea, quod hæreſeos & ſchiſmatis crimine notatus eſſet, plane irrita fuiſſe pronuntiata; quin immo apprime mirabatur ſummam Raynaldi impudentiam, quod Bzovii (idem plane de Ludov. Bavaro ſtatuentis) periculo non cautior ſit effectus, cum ſatis conſtet, illum maxime elect. Bav. flagitante Romæ ad palinodiam adactum, & ſpiſſo quodam volumine a I. G. Herwarto injuriarum poſtulatum fuiſſe, *qui ſcilicet* (ſic in fronte operis hujus legitur) *eundem D. memoriæ Imp. contra jus faſque* &c. &c. ut proinde timendum ſit Raynaldo idem plane fatum eandemque cum Bzovio ſubeundam aleam. *Spizel. ad Boineburg.*

19. Dicam & ingenue ac pace Italorum nec ſtudio adulandi. Nunc ſolidæ literæ ultra montes degunt, ubique ſervant priſcum nitorem. *Io. Bornus Veronæ.*

20. *In* Luthero *finde ich einen göttlichen* character *und Sendung, ſo in I. Arnd. Frid. Brekling.*

21. D. Morhoſius Prof. Iuris *zu Kiel* vir, cui DEus interiora velaminis *geoffenbahret hat, darff noch in ſeinem* Polyhiſtor *auftretten, und* Iac. Böhm *mit mir vertheydigen. Idem.*

22. Voſſius per me licet ut retineat ſuam ſententiam, me non habebit ὁμόψηφον, & hæc ejus ſententia magna ex parte innititur principiis Capellianæ criticæ. *I. Buxtorf.*

23. Quod Abrahamus ille Echellenſis mavult de codicum Ebraicorum integritate Capelli, quam noſtrum ſequi judicium, miror, nec indignor; antea ſcivi, pleroſque pontificios ambabus manibus illam criticam amplexuros, & ea in rem ſuam uſuros. Ecchellenſis ille eſt homo futilis, nullius ſolidæ eruditionis in propria lingua, ne dum Hebraica, thra-

ſo glorioſus, vanus, adeoque improbus, uti eum depingunt editis ſcriptis Valerianus de Flavigny doctor Sorbonicus, & Gabriel Sionita. Cum talibus litem inire, eſt cum muliere furioſa & impudica litigare. *Idem.*

24. Ego plus ſatis negotii reperio in ſolis libris Hebraicis, intra quorum fines ſubſiſto, vel ſaltem reliquarum linguarum orientalium ſtudium, extra ſacras literas extendere operioſius nec potui nec volui. *Idem.*

25. Quid de conſenſu eccleſiarum orientalium in dogmaticis ſtatuendum ſit, ego non habeo dicere, qui pauciſſimos Chriſtianorum orientalium libros vidi: quæ vidi, in illis deprehendi in nonnullis conſenſum cum noſtris eccleſiis, in aliis diſſenſum, & fermentum pontificium redolentia. Neſcio etiam, cujus antiquitatis vel fidei ſint ſinguli. Animadverto enim ex verſionibus biblicorum librorum, in quibusdam libris biblicis illos plerumque cum LXX. interpretibus ſæpius quam cum textu Hebræo convenire. Non dubito ſi nimium de illorum conſenſu velimus gloriari, quin Ecchellenſis & ejus ſimiles multum ſint nobis facturi negotii. Quantum illis tribuendum ſit fidei, etiam inde mihi ſuſpectum, quod a fide dignis acceperim, & qui illas regiones ex parte peragrarunt, incredibilem regnare ignorantiam in rebus fidei. Fieri enim poteſt, ut pontificii multum in illis regionibus invexerint ſuperſtitionis. Sed hæc illis relinquo, qui & linguarum illarum & rerum orientalium ſunt peritiores, D. Hottingerus hic regnat, & ſua tum peritia, tum diligentia, & indefatigabili φιλοπονίᾳ multum præſtare poſſet. *Idem.*

26. Illud deplorandum, in publicum non prodiiſſe Bohlii concordantias bibliorum Hebraicorum, ubi particulas ſolum miro ingenii acumine collegit, quæ in Buxtorfianis omiſſæ ſunt. Magnæ molis volumen.

lumen. Certe jam nemini conſtat, ubi manuſcriptum lateat. *Io. Bened. Carpzovius.*

27. Iniiſſe rurſus amicitiam Scherzerum tecum cum gaudio cognovi, ſed cave, cave canem. Neſcio quid jam monſtri alat. Nam prohibet magiſtris habere collegia Hebraica ex hoc fundamento, quod iſta profeſſio non ad philoſophiam pertineat, cum facultas philoſophica concedere noluerit, ut ipſe crearetur licentiatus theologiæ.

His ex unguibus cognoſce hunc leonem. *Id.* Plura in literis ſequentibus de hac litis materia.

28. Nudius tertius faſciculum etiam literarium accepi, cum gratiſſimis libellis, Gaulmynum ipſa veritas (quæ rarior) commendat, Bangium mea exſpectatio & materia de Nephilinis, Schottanum novitas, & *Lecachtobh* elegantia. Hunc ſumme exoſculor. Stilus facillimus eſt, nec mirum cum pro pueris conſcriptus; res ipſa neceſſaria. Continet omnem doctrinam Iudæorum, eorumque theologiam tanquam in compendio exhibet, non abſimilis Lutheri catechiſmo quoad ſcribendi modum. Abendanam non excultior ſolum linguæ Latinæ notitia, verum methodi longe facilioris inventio commendat: ille certe, quoscunque vellem, tractatus rabbinicos, pretio intercedente, civitate latina donaret, imperiali videlicet pro folio impreſſo numerato. *Idem.*

29. Saubertianam commentariorum rabbinicorum verſionem, quam miratus es, miratus ſum & ego, magis tamen ipſius ſeu impudentiam dicam, ſeu malitiam, ſeu ſtultitiam, & ne quid magis dicam. Vt primum vidi cum ſtupore, ut facile conjicere potes, legi titulum ſatis ſpecioſum, *opus* vocat *theologiæ, philologiæ ac philoſophiæ ſtudioſis apprime utile,* quod ipſe ſolus affirmat: neminem adhuc idem dicentem aut ſcribentem audivi. - - Dicta rabbinica, quæ crepat, aut ex Buxtorfii florilegio deſumta ſunt, aut ex theſauro Hottingeri aut alibi compilata. *Idem.*

30. Quanta ſtudiorum peſtis ſit, ſi adoleſcentes primis academicæ vitæ annis amore philologiæ abripiantur, ipſo magno meo cum malo ſum expertus, nec velim alios idem ſuo experiri. *Idem.*

31. Germanico, quod edidit, ſcripto Steudnerum cabbalam Iudæorum utcunque exponente patet virum eſſe in his litteris non proletarie verſatum, qui ſi Latine illud ſcribere maluiſſet, plus gloriæ meruiſſet. *Idem.*

32. Egregia Edzardi apud nos eſt fama, ſed præter inauguralem diſſertationem, quam Roſtochii habuit, exigui momenti, nihil unquam ab eo vidi. Sunt tamen plurimi, qui Buxtorfio non minorem velint, & verſatiſſimum judicent in omni litteratura Talmudica rabbinicaque. Sæpius eum mihi a Davide de Lara laudatum memini. *Idem.*

33. Bekii verſionem ac notas in paraphraſin Chaldaicam prioris Paralipomenων probare nemo non eruditorum tenetur. *Idem.*

34. Scholæ hodie plus decrementi quam incrementi capiunt, omine peſſimo, & certo rediturae iterum barbariei præſagio. Vetus eſt illud: Muſæ laudantur & algent; hodie & algent, & vix ac ne vix quidem laudantur. *Iſraël Clauderus.*

35. Baptiſtæ Mantuani opera edita habentur IV. Tomis Antwerpiæ, 1576. in 8. Sed titulus mentitur. Nec enim ibi ſunt edita, præter in fine Tomi I. III. & IV. dimidiam partem. Cætera prius fuerunt alibi (forte Coloniæ) excuſa: Poſt Francofurtenſes mutarunt titulos, ſcilicet primam & ultimam pagellas & tomum primum retinuerunt. Ex ſecundo fecerunt tertium, ex tertio ſecundum. Antwerpienſes autem multis additis, quæ nec olim in Aſcenſiana editione apparebant, ſed ni fallor Mantuæ poſt prodiere, ex primæ editionis ſ. Tomo fecerunt ſecundum. Ex ſecundo fecerunt tertium ex tertio primum. Et ſic una

una editio mutatis titulis, ut dixi, ter prodiit. *Chriſt. Daumius.*

36. Bibliothecam univerſalem ſcio eſſe rem maximi arduique laboris multique temporis neque unius fere hominis. *Idem.* Bernardi Geyſtenſis Palponiſtam olim a me editum meus Grævius cum membranis Trajectinis contulit, variaque ſubmiſit unde lacunas explere & multa emendare poſſum. *Idem.*

37. In Comenii obitum.

Orbis hic eſt pictus: nunquam pigmenta placebant,
Quid juvat in mundi degere veſtibulo?
Ianua Comeni, tibi jam patet aurea linguæ
Angelicæ: cælum, dum licet, ingredere.

* * * * * * * * *

Quam bona verſura eſt! AMOS, nunc SOMA revertit
Ad terram: ad cælum ſpiritus unde venit.

* * * * * * * * *

Vixit Comenius: non erro: Camenius: unum
Inde Camœnarum turba novena gemit.

I. Fabricius.

38. Ferrarius is eſt, qui proluſiones & epiſtolas, duos quoque tractatus de re veſtiaria unumque de lucernis veterum, & noviſſime paneyricum ſcripſit, regi Galliæ dicatum: Vir tanti ab Rege iſto æſtimatus, ut fere ſolus ac præter ordinem donum quingentorum Imperialium, aliis viris doctis jam ſubtractum, accipiat, imo a sereniſſima hac republica, (Veneta) in tanto pretio habitus, ut ei pro eloquentiæ profeſſione, qua Patavii defungitur, annuatim ſolvat ſtipendium bis mille ducatorum Venetorum. Et ſane, ſi ſcripta ejus (quæ forte jam habes) legeris, fateberis mecum, dignum eſſe illum, qui in Prytaneo, hoc eſt, tam bene alatur. *Idem.*

39. Neque ego, mihi crede, ſatis mirari poſſum, tantam in celeberrima hac urbe (Veneta) eſſe penuriam

riam librorum præſtantiorum, niſi oculatus non credidiſſem. In Italica lingua extant ſane egregia ſcripta: ſed quod Latina attinet, illa aut ſunt commentarii nugaces, aut tricæ ſcholaſticorum obſcuriorum aut verſiones Græcorum autorum. Alibi libros veteres excutiens incidi in librum quendam (ſi quid judicii in me eſt) optimum, eumque mihi ſtatim emi. Titulus hic eſt: *Synopſis veterum religioſorum rituum atque legum. Antonius Caracciolus, Cler. Reg. ex antiquitate eruit, notiſque ad ſui ordinis conſtitutiones comprehendit. Romæ. 1612. fol. Idem.*

40. Quæris quid agant clerici noſtri (Venetiis)? uno verbo: Nihil; otio indulgent, cuticulam curant, Veneri dant operam, in theatris plus videas quam in muſeis, atque illorum, qui veræ eruditioni invigilant, vix ſunt totidem, quod Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili. Hinc illa meliorum auctorum raritas ſive illa (ut ficum ficum appellem) barbaries. *Idem.*

41. Helena Cornelia Piſcopia, virgo Veneta ἑπταγλώττης eſſe perhibetur. Callens nimirum Hebraicam, Græcam, eruditam & vulgarem, Latinam & Italicam, Gallicam & Hiſpanicam. Sane in omnibus hiſce nonnunquam ſpecimen aliquod edit, peritiaque canendi etiam excellit, ut ipſe nuper magno cum ſtupore audivi in præſentia principis Germani, qui Philippi Sulzbacenſis, Marte Suecico clari, frater eſt. *Idem.*

42. Si ſuavitatem illam oris (Ferrarii), ſenilem illam gravitatem, a ſuperbia alienam, illum denique actionis geſtuumque, in quibus orationis anima conſiſtit, leporem pariter videre atque audire poſſes, diceres profecto juxta mecum: *O perfectum oratorem.*

Propter ingruentem in Italia barbariem aureus Ferrarius noſter ſæpius ingemiſcit: immo hiſce diebus mihi dixit, lætari ſe, quoties inter auditores ſuos videat Germanos, hos enim ex iis aliquem percipere poſſe fructum, reliquos autem nempe Italos, ſæpe

ſæpe ne quidem intelligere ea, quæ propinantur. Idque tam verum eſt, quam quod veriſſimum. *Idem.*

43. Kircheri muſeum quidem perluſtravi, ſed colloquium ejus non adeo ambivi, quod non de aliis, rebus quam novis, ſtatum magis quam rem litterariam attinentibus, diſcurrit. *Idem.*

44. Reiſeri catalogus manuſcriptorum bibliothecæ Auguſtanæ in manus venit virorum principum, magni Etruriæ ducis & cardinalis Medicæi, ab iisque utroque probatus fuit pollice. *Idem.*

45. Tua quoque (*Spizelii*) ſcripta in Florentina bibliotheca aſſervari, atque a patrono non minus quam bibliothecario inter optima cenſeri, oculatus teſtis ſum atque auritus. Mercurius ei (*Ferrario*) ut os apertum eloquentiſſimumque, ita crumenam dedit clauſam. Præterea Italus eſt, aut magis Hiſpanus ſenex, qui omnes plus æquo ad rem ſunt attenti. *Idem.*

46. In D. Niemanni locum ſucceſſit dominus L. Bajerus, Norimbergenſis D. Muſæi futurus gener, qui ſi DEus ſtudiis porro adſpiraverit, ejus ſpartam ſummo cum applauſu ornabit. Ebraicæ & Græcæ linguarum apprime gnarus, ita quoque philoſophiæ adyta penetravit, ut adverſariis par eſſe poſſit, & eorum ſtrophas ſolvere. *Friſchmuth.*

47. Quæ de propaganda vera & ſincera pietate conſilia nonnulli eruditi & pio zelo flagrantes viri agitant, ejusmodi ſunt, ut nemo veri nominis Chriſtianus improbare queat. Dolui ſane tot retro annis, eos, qui pro umbone populum aliquando docere debent, non modo in ſcholis de vera pietate haud ita multum percipere, ſed etiam poſtmodum academica libertate tam turpiter abuti, ubi ſibi perſuadeant, parum referre, quomodocunque vivant, quoad extra officium ſint conſtituti. *Idem.*

48. Celebravit haud ſemel cel. D. Spenerus pios veſtros conatus & ſacros conventus, ſcrutinium bibli-

biblicum exercitiaque catechetica, quæ intenditis; ſaxit Deus, ut omnia ex voto fluant, remoræque ſubinde tollantur. *Lud. Hartmann.*

49. Mihi ad manus ſunt vitæ curricula Brentii, Heerbrandi, Erhardi & Theod. Snepfiorum aliorumque ſuperioris ſeculi, quæ lubens communicabo. *Idem.*

50. A cel. Dn. Fritſchio nuper accepi conſultationem de pietate in ſcholis majori cum cura & emolumento propaganda, quæ pauciſſimæ pagellæ tot egregia monita ſiſtunt, ut etiamnum iisdem propemodum inhæream, atque de iis in actum ducendis ſim ſollicitus. *Idem.*

51. Fata pientiſſimi Speneri noſtri cauſſæ bonitatem confirmant. *Idem.*

52. Magnus Freinshemius de argumento iſthoc, quod luculenter adeo perſecutus es (felicis literatoris) vel centies mecum contulit familiariſſime ſimul ac ſuaviſſime; mentem ejus pientiſſimam teſtarentur melliſluæ ejus in ethicam Ariſtotelis commentationes, quibus auditis ſæpius extra me raptus fui, ſi publica quandoque luce ab hæredibus donarentur. *Io. Henr. Heidegger.*

53. B. Dn. Georgius Calixtus cur non, ut alii orthodoxi theologi, in templum honoris reſeratum Tuum ſit illatus, aliquando, ut intellexi, ex te quæſiturus eſt excellentiſſimus filius ejus, D. Vlricus Fridericus Calixtus, Calovianus antagoniſta ſtrenuus, cui reſpondendi tibi magna omnino erit copia. *Io. Frid. Heckelius.*

54. Pugio fidei non contemnenda contra Iudæos ſubminiſtrat arma, caute tamen & cum grano ſalis tractari debet. *Io. Henr. Hottingerus.*

55. Quæ de Menaſſe B. Iſraël noſti digna ſunt, quæ ſub incudem revocentur. Ipſe fateor pridem fui de hoc confutando commento ſollicitus, & ſunt forte quædam ad manus ſubſidia non ubique obvia ea tamen quæ Montezinus Iudæus Men. B. Iſraël ſuggeſſit,

geſſit, neque quæ hic mendacia addidit vidi. *Idem.* Libelli de Sinenſibus non pœniteat, etſi forte, ut momorum plena ſunt omnia, tibi quoque tui non defuturi ſunt cenſores; maſcule tamen in propoſito perſiſtendum, certiſſimo judicio ᾷον μωμεῖσθαι. ἢ μιμεῖσθαι. *Idem.*

56. Men. B. Iſraël narratio adeo cruda & anilis eſt, ut febricitantis Talmudiſtæ ſomnium videatur, non jam in tanta luce præſtigiis agere licet: conjecturæ, quas affert, vix titivillitio dignæ ſunt. *Idem.*

57. Ad hiſtoriam eccleſiaſticam majori forte apparatu ſum inſtructus, quam qui in bibliotheca privata quæratur. Valde placent, quæ de augmento commentariorum Sinenſium monuiſti. *Idem.*

58. Dubito, an prodromum bibliothecæ univerſalis daturus ſim, mſc. tantum & epiſtolarum, præſertim ἀνεκδότων, quas ſuperioris ſeculi ſcripſerant doctores, majori forte numero collegi, quam a privato expectari potuiſſet. *Idem.*

59. Neſſelio innotui, ſed eum non ut vellem, liberalem, aut ad munus bibliothecarii inſtructum offendi, nimium ille cl. Lambecio, inter literatos, ut ſcis, claro, & magnæ æſtimationis, detrahit, ut ſibi aliquid acquirat, cum a Lambecii eruditione, quantum tantillo tempore colligere potui, noſtris confabulationibus, multis paraſangis abſit, libere tecum loquor, non ut hujus famæ noceam. Labores Lambecianos in compendium redegit, & reliqua manuſcripta Græca aliaque adjecit. *Ger. von Maſtricht.*

60. Invenies in catalogo mſc. lat. bibl. cæſareæ nondum edito multa ad hiſtoriam ſuperioris ævi profutura, neque unquam ſcriptorum Wiclefianorum, Huſſiticorum, concilii Conſtantienſis & Baſileenſis actorum tantum vim, quam in cæſaris noſtri auguſtiſſimi bibliotheca, legiſti. *Idem.*

61. Incomparabilem virum, & æternum Auguſtæ veſtræ & literati orbis decus, amicitiæ noſtræ com-

commune ornamentum (Welſchium) immatura morte erreptum eſſe nobis valde doleo. *Henr. Meibom.*

62. Tam vaſtus & ſubdolus ſcriptor eſt Baronius, ut ejus refutatio integrum hominem, indefeſſos labores, & ampliſſima ſubſidia requirat. Equidem præſtiti, quod potui. *Io. Henr. Ottius.*

63. Montacutius, ut fatear, non vehementer arridet. Ad Heniſchium quod ſpectat, damnum eſt ingens, theſaurum illum abſolutum non eſſe. Certe nullum perfectum hactenus lexicon Germanicum mundus vidit. Suaſor D. Heideggero fui, ut ſe apud lares ſuos, notos & charos contineat, ne vel poſt obitum miſere diſpergatur familia. *Idem.*

64. D. Spanhemius miſit mihi eriſtica illa opuſcula ſua, qua occaſione amice eum monui, ut potius fraterne transigant amneſtia inſtituta, & potius ſeria tractent. Contingit ſæpe doctis, ut averti ſe ab objectis ſuis patiantur, ſicque egregia penſa non abſolvant: id Spanhemio patri accidit in dubiis evangelicis. *Idem.*

65. Hæreo ſemper in S. Huldrico veſtro cujus epiſtola chroniſmo non reſpondet, unde ejus autoritatem quidam ſuſpectam faciunt, alii duos Huldricos nobis dant. *Idem.*

66. Ipſis monachis, & quidem prioribus quoque, prohibitum eſt ſcriptum meum (contra Baronium) ut nuper mihi talis eſt faſſus. *Idem.*

67. De auctore epiſtolæ Epiſcopi veſtri ad Nicol. I. P. nodum mihi feliciter enodavit Welſerus veſter ſane doctiſſimus, in recenſione Vdalgeri veſtri Epiſcopi IV. qui ſedit ab anno 848. ad 864. adeoque Nicolai ævo. *Idem.*

68. E ſcriptis Novarini Moſen & Paulum expenſum ſibi adſcripſit bibliothecula, ſed non ubique ex deſiderio ſatisfacientis. *Ant. Reiſerus.*

69. Pallavicini Anti-Suavem utinam aliquando Latinum facerent, quorum & pro bono communi vigilare,

gilare, non parum emolumenti in rem quoque evangelicam inde redundaturi mihi promitterem, in ſpem adductus non ſolum ab Aquilino cenſore perſonato, ſed & a cenſoribus Gallis, qui in ephemeridibus libere ſatis de eo pronuntiarunt. *Idem.*

70. Vidiſti ſine dubio eandem Pallavicini hiſtoriam a Philippo Quorlio contra eundem Suavem ante ſeptennium Panormi iterato auctius editam, qua tamen curſorie tantum lecta non pauca nec exigua peperit faſtidia verba ſolum dans ut plurimum rebus deſtituta. *Idem.*

71. Publicavit antehac Bœclerus aliquam muſei partem eleganter, ut ſolet, de aliquibus diſſerens, quo tamen labore inchoato ſalivam lectori tantum movit. *Idem.*

72. In Suiceri theſauro obiter evolvendo obſervavi, eum hoc volumen ſuum potuiſſe lectoribus minori forma & ſumtu commendare, niſi Pricæum, Boiſium, Gatakerum, alios plures exſcribendo illud amplius facere allaboraſſet, non plane nihil etiam hinc inde e PP. Latinis admiſcens qui in titulo Græcorum tantummodo promiſit theologiam. *Idem.*

73. Marbacheorum epiſtolas perlegi, ſed non ſine nulla plane nauſea, varia in iisdem obſervans, quæ mallem omiſſa, judicium in earum collatione deſiderans, cum non omnes clarorum virorum epiſtolæ publicam mereantur lucem. In Ruari epiſtolis nihil ſingulare obſervavi, præter perpetuam mentis & ſententiæ inconſtantiam in rebus theologicis; & ſi quæ videntur nova & rariora, in aliorum hujus ſectæ libris dudum ſunt lecta, ut adeo opus non fuiſſet, eas tam ſingulari ornari elogio, quod plane non merentur. *Idem.*

74. Der HErr hat mich zu rechter Zeit noch aufgericht, dafür ich ihm dancke, und zu Danck rund heraus bekenne: wann ich nicht catholiſch wære, ich wær ſchon jezt ein Jud oder Atheiſt. *Io.*

Peter Speth, poſtea Moſes Germanus, Paderb. 1683. tunc ad caſtra Romana reverſus, tandem Iudæus & Atheus.

75. Semper & pro merito ſuſpexi eruditionem Octavii Ferrarii ſingularem, ingenium plane divinum, ac denique æmulam illam diſertiſſimorum Romuli nepotum eloquentiam. *Io. Phil. Slevogtius.*

MANTISSA

hexados epiſtolarum viri ſummi, G. G. LEIBNIZII, ad Theophilum Spizelium datarum (†).

Plur. reverende ampliſſimeque Domine Fautor Magne.

CUm multa ſint, quæ abſterrere poſſint a ſcribendo ad TE, obſcuritas mea, negotia autem & dignitas TVA; his tamen omnibus celebrata benignitas præponderavit, ab ampliſſimo etiam domino Spenero confirmata. Avebam aliquando alloqui virum meritiſſimum de publico & meriturum, & ſpero, quod præſenti non denegaretur, ab eo nec literas abſentis prohibitum iri. Certamen contra *Atheos* ſuſceptum, nemo eſt, qui non reipublicæ Chriſtianæ perneceſſarium judicet. Ad hos opprimendos conſpirare, ſic τοῦτο συγκρητίζειν omnes omnium religionum theologi deberent.

Tanto major illorum gloria eſt, qui ex tanto numero prope ſoli prodeunt, & a reipublicæ Chriſtianæ velut jugulo imminentem gladium depellunt. Ego tametſi non theologus, nihilominus, quando, ut Tertullianus ait, adverſus publicos hoſtes omnis homo miles eſt, σχεδίασμα quoddam aliquando mihi excidere paſſus ſum, quod cum illuſtriſſimo Baroni Boineburgio, notiſſimo literarum Mecœnati, exhibuiſſem, per

(†) Conferenda cum his epiſtolis ſunt, quæ de mora Leibnizii Moguntina in compendio narravimus in *hiſt. crit. phil. T. IV. p. II. p. 345. ſeqq.*

per aliquot amicorum manus ad pl. reverendum Speнerum pervenit, qui neſcio quomodo ſchedulam ἀκέφαλον καὶ ἀνώνυμον dignam putavit ad te mitti (*), Tu Tuæ purpuræ laneam hanc laciniam aſſuiſti, hoc ſolo commendabilem, quod a Dn. Spenero miſſa, a Te edita. Fortaſſe tamen in re præviſa nonnulla paulo accuratius munire potuiſſem. Sed nihil admodum refert, quod vobis placuit, aliorum iniqua judicia facile contemnet. Video in epiſtola Tua arcanorum *Bodini* mſcorum mentionem fieri, quorum excerpta per amicum Pariſiis transmiſſa te legiſſe ais. Legi aliquando opus integrum, volumen ſane ingens, ſed plus habens doctrinæ, quam pietatis. Iudæos in illo congreſſu vix non victores facit: nemo pejus cauſſam tuetur, quam Romanæ Auguſtanæque confeſſionis propugnatores. Proximo poſt Iudæum loco, aut æquo cum eo gradu, locatus eſt defenſor religionis cujusdam mere naturalis. Cui vero ſuccinit Octavius quispiam Mahumedanæ legis vindex. Vereor ne edatur aliquando liber hic magno publico damno. *De re bibliothecaria* quod cepiſti aureum opus uti non poterat incidere in lectiores manus, ita ſine maxima rei literariæ jactura intermitti non poteſt: præſtabis, ut ſpero, id nobis, quod Gesnerus reformatis, romanenſibus Poſſevinus; guſtumque *in arcanis bibliothecarum* dediſti publico palato gratiſſimum. Nam etſi, ut audio, Cl. vir Petrus *Lambecius* admonuerit, exiguam admodum partem mſcorum theologicorum *Viennenſium*, in iis datam, non dubito tamen, quin ſemper integrum ſit, talia ſupplere. Venit aliquando in manus meas catalogus mſcorum Viennenſium theologicorum uberrimus, ab ipſo quondam bibliothecario *Tegnagelio* confectus. Sed bibliotheca ab

(*) Adjecit doctiſſimam ſchedam SPIZELIVS libello *de atheiſmo eradicando p.* 125. vid I. A FABRIC. *ſyll. ſcript. de V. R. C. c.* 18. *p.* 436. cl. LVDOVICI *hiſt Leibniz. phil. P. I. p.* 318. *ſeqq.* qui tamen in eo fallitur, quod Spenero putat Spizelium eam adſcripſiſſe. Satis certe enim ille auctorem noverat.

eo tempore multis modis aucta eſt, acceſſione præſertim Fuggerianæ. Sed nolo te diutius detinere; unum rogo, ſi reſcribere dignaris, de tuis aliorumque notis forſan Tibi moliminibus literariis, aliisque ſimilibus non paſſim obviis, quorum Tibi inexhauſta copia eſt, aliquid me doceas, vel ideo, ut illuſtriſſimo Boineburgio, qui talibus non mediocriter delectatur, referre poſſim, qui etiam ſalvere TE, ſiquando ad Te ſcriberem, juſſit. Celeberrimum *Welſchium* apud vos audio virum eſſe, toto orbe commercia literaria colentem, utinam vel TE pararío ad aliquam tanti viri notitiam gradum ſtruere poſſim, niſi impudens TIBI videor, quod tale quid affecto, cum nondum apud TE impetraverim veniam. Quod ſupereſt, vale, novum annum cum multo fratrum agmine lætus ini, faveque

VIR. PL. REVER. AMPL.

Moguntiæ $\frac{12}{22}$. Decembr. 1669.

Cultori TVO
Gottofredo Guilielmo Leibnizio,
Lipſienſi I. V. Doctori.

Plur. reverende atque ampliſſime Domine, Fautor magne.

Literæ Tuæ eo me affecerunt gaudio, quo debuit teſtimonium tam illuſtre benevolentiæ tanti VIRI, a quo plurimum ſibi ornamenti Germania & habet & ſpondet; hoc ſolo ingratæ, quod indulgentia ſua in non meritum partim pudore, partim implendi judicium de me TVVM deſperatione me onerarunt.

Illuſtriſſimus BOINEBVRGIVS lectione literarum Tuarum mirifice delectatus eſt, multamque TIBI ſalutem per me nuntiari juſſit. *Ficbetti* nomen, quanquam illi, ut in viro eo loco a genere ac virtute collocato, admirabilis ac vix credenda rei literariæ cognitio eſt, nunc primum ſibi ex TE auditum fatebatur,

tebatur, optabatque auctorem illum atque inſtitutum ejus paulo diſtinctius noſſe.

Ad monſtrum atheiſmi debellandum, utinam quicquid eruditorum eſt vires conjungeret, nec pateretur ſerpere latius inter ipſos hoc malum, a quo nihil præter anarchiam univerſalem atque everſionem ſocietatis humanæ expectari poteſt.

Cl. Conringius pec. tr. promiſit *de veritate religionis Chriſtianæ* ſolito accuratius ſtabilienda, emendandisque illis, quæ in Grotii libello, ejusdem argumenti, & ipſo & Epiſcopio dudum monentibus, deſiderari poſſunt. Vidi nuper *Gerhardi van der Meulen* librum *de veritate religionis Chriſtianæ reformatæ*, cujus priora in Chriſtianiſmo firmando, reliqua in religione, quam reformatam vocant, defendenda conſumuntur; ſunt tamen, quibus pretium operæ magnum feciſſe non videtur. In Anglia prodiiſſe accepi *apologiam generis humani, adverſus accuſationem atheismi*, cujus auctor, Fabricius, tueri dicitur: nullam unquam uſpiam gentem prorſus ἄθεον extitiſſe, quod & ego veriſſimum judico.

Cum vero operæ ſit latiſſime fuſæ, ſolide atque accurate elidere, quicquid religioni Chriſtianæ objici poteſt, præſertim cum ea res graviſſimos quosque theologiæ exegeticæ, hiſtoricæ, ſcholaſticæ, ac polemicæ nodos contineat; rationis eſt, compendia ſectari, donec ſit, qui juſto opere tantam molem debellet. Id eſt prædemonſtrari accurate debet religionis naturalis veritas, nimirum exiſtentia Entis potentiſſimi & ſapientiſſimi, id eſt DEI animæque præterea noſtræ immortalitas. His confectis, cum rationi congruum ſit: Deum aliquam mortalibus veram religionem aſſeruiſſe, nec veterum ullam cum Chriſtiana rationalitate comparari poſſit, compendioſior erit ad victoriam via. Quanquam, ne quid hoſtium a tergo relinquatur, optem exoriri aliquando, qui omnigenæ eruditionis, hiſtoriæque ac linguarum, tum philoſophiæ

quoque ſubſidiis inſtructus, illuſtrata omni Chriſtianæ religionis harmonia ac pulchritudine, diſcuſſisque objectionum innumerabilium, contra dogmata, textum, hiſtoriam nebulis plenam ſine exceptione victoriam reportet. Cui operi utinam tantum TIBI temporis, quantum virium eſſet!

Continuandi operis *bibliothecarii* ſpe facta mirifice nos beaſti; quisquis tandem ordo placeat, ſuffecerit rem dediſſe. Fateor aliis temporum, aliis rerum, aliis literarum ſeriem prælatam: tempora Bellarmino ac Voſſio, res Sixto Senenſi & Poſſevino, ſcriptores Alegambio, Labbio, Jac. a St. Carolo placuiſſe, Gesnerum ſcriptores rebus conjunxiſſe, ſcriptores in *bibliotheca*, rerum ordinem in *pandectis* ſecutum; ſcriptores Cleſſium, materias Draudium literarum ordine collocaſſe; fortaſſe tamen, utcunque rem inſtituere placuerit, cetera indicibus ſupplebuntur, quod & Labbium in *bibliotheca bibliothecarum* feciſſe video. Interea non nego, chronologicum ordinem illi commodiſſimum, cui *vitam* auctoris exponere conſilium eſt; *rerum* illi qui Photiano more *nucleum* ſcripti cujusque eruere cogitat. Sed qui nondum ultra nudum *indicem* progredi conſtituit, illi interim diſponere ſcriptorum nomina *literarum* ſerie, expeditiſſimum ac tutiſſimum credo. Nam tempora auctorum, præſertim veterum ineditorum, ſæpiſſime ignorantur, (jam & Voſſius dubii temporis auctores literario ordini commiſit,) rerum quoque, quas tractant, vis ac ſcopus ex titulo non ſatis divinari poteſt, &, ſi compertum habeamus, ambigitur tamem paſſim, quo quodque loco colloces, cum partitio ſcientiarum admodum apud eruditos variet, & rubricæ mira diverſitate formentur, nihil autem ſit ineptius, quam præciſe illi titulo inſiſtere, quem auctor aut librarius ſuo operi præfixit, quod tamen a Draudio factum video. Ordo ſcriptorum alphabeticus conſtans eſt ac invariabilis, eique imprimis commodus, qui nondum materiam omnem congeſtam habet, ſed conquirit adhuc undecun-

cunque ſubjecta rerum, bibliothecarum, circumſtantiarum, patriarum, occaſionum. Indices alphabetici tabulæque chronologicæ cuncta ſupplebunt. Grave ſi nunc quidem, ut arbitror, nudi tantum indices dantur, literarium ordinem nemo reprehendet. Nec illuſtriſſimus BOINEBVRGIVS temporum ſeriem, niſi cum faſtigium operi imponendum, atque illuſtramenta edenda erant, deſiderat. Cl. *Lambecii hiſtoria literaria* hactenus quievit, Vindobonenſis bibliothecæ præſentiore cura interrupta. Prodiit hujus pars altera quater mole continens primam: eam illuſtr. BOINEBVRGIO miſit, multa rerum varietate refertam, atque inter alia indicem mſcriptorum Oenipontanorum complexam. De cætero rei bibliothecariæ pauci admodum incumbere videntur, tanto major gloria cœpti. Inter paucos Paulus Colomeſius dignum operi apparatum afferre videtur, idque ſpecimine opuſculorum oſtendit. Hic eſt ille Colomeſius, cujus *orientalem Galliam* habemus, Germaniam, Italiam, Belgium, Angliam &c. exſpectamus. Claudii Clementis *muſeum* inſtituto Fichettiano non abſimile videtur, ſi quid ex Fichetti inſcriptione conjicere poſſum. *Andreas Sauſſaius*, cujus librum *de myſticis Galliæ ſcriptoribus* nominas, continuationem etiam libri Bellarmini *de ſcriptoribus eccleſiaſticis* edidit, ſed tam ubere argumento expectatione brevius defunctus eſt. Aptior huic operæ Labbius videbatur, qui & nobis ſcriptores Bellarmino intactos promiſit, ſed multitudine rerum obrutus non præſtitit.

Illuſtriſſimus BOINEBVRGIVS duo rogat, primum excerptiunculas aliquas de inſtituto Fichetti, deinde catalogum ſcriptorum Labbei, quæ ha-

bes: ac ſi quid de ejus poſthumis comperiſti, officium officio penſare non negliget. Interea vale faveque

PL. REVER. AMPL. DOMINE

Mogunt. $\frac{19}{20}$. Febr. 1670.

P.S

Auſus ſum, quaſi non ſatis ipſe audax fuiſſem, literas ad nobiliſſimum *Welſchium* adjungere, rogareque, ut, quando mihi prænomen integrum non ſuccurrit, titulum præſcribi facias. De cætero, ſi literas commendatione TUA ſaltem ab immodeſtiæ nota excuſaveris, obligatiſſimum me profitebor.

Cultori Tuo

Gottofredo Guilielmo Leibnizio, I.V.D.

Pl. reverende & ampliſſime Domine, Fautor honoratiſſime.

Literas Tuas omnigena doctrina refertiſſimas cum nobiliſſimi Welſchii epiſtola & Fichettianis excerptis recte accepi, atque cum illuſtriſſimo BOINEBURGIO protinus communicavi, qui Fichettiano inſtituto non parum, Tuo autem multo maxime delectatus eſt. Iudicatque nihil a Te ſuſcipi utilius poſſe, quam ſi a claris hujus ævi ſcriptoribus inchoetur aſcenſura paulatim ad veteres tractatio. Nam ſi dicendum, quod res eſt, pleroſque veteres apud Bellarminum, Voſſium, Labbium, Giraldum recenſitos deſcriptoſque habemus paucis demtis, qui forte recens e mſcr. editi, illiſque intacti. Medii ævi ſcriptores, fateor, non ita in promtu habentur, ſi tamen Trithemium alioſque id genus adhibeas eccleſiaſticis, ſi Freheri directorium hiſtoricis, ut de Voſſio, Miræo, Cheſniis nihil dicam, ſi conferantur mſcriptorum indices, potiſſimos quoſque habere non uſque adeo difficile erit. Fateor, latere paſſim multos, ſed pleroſque non eſſe tanti, ut ab eorum oblivione

magnum

magnum generi humano damnum ſit metuendum. At noſtro tempore tot præclaræ meditationes, tot egregia inventa, tot vaſtiſſimi ac prorſus ſtupendi labores publice exſtant, ut indigner, ſæpenumero ingratitudini ſeculi noſtri erga ſuos illuſtratores. Eſſet igitur optandum magnopere, ut extaret aliquis, qui meritiſſimos de re literaria viros inde usque ab inventa typographia recenſeret ordine temporum, annotaretque illud maxime, quid quisque potiſſimum in rempublicam contulerit. Ita fiet, ut multi, licet doctisſimi, ſint initio fortaſſe prætereundi (neque enim ſimul omnes dari poſſunt) qui tamen nominari non poſſunt, quid potisſimum iis eruditio debeat. Nominandi igitur illi, quibus primæ auctorum veterum eruderationes debentur; qui difficiles in antiquitate, ut chronologia, geographiaque, nodos primi ſolverunt, quicunque proprias nobis meditationes ſuas, easque ſi non veras, ſaltem ingenioſas reliquere; qui novum aliquod dicendi genus, novam ſectam orſi ſunt, quibus in medicina ac matheſi & artibus mechanicis utilia reperta debentur, qui hiſtorias non aliunde deſcriptas, ſed earum rerum, quibus interfuere ipſi, earumque memorabilium ſcripſere: breviter illi, qui, ſi non vixiſſent, ceteris rebus eo, qui ſecutus eſt, ſtatu manentibus, aliquid res literaria detrimenti paſſa eſſet. Hos annotari, non eſt res adeo vaſta, utilis tamen, ſed &, non nego, recondita, & profunda. Neque enim tanti eſſet de patria eorum, de varia fortuna, de exitu inquiri, quam de iis meritis, quibus æternum memorandi ſunt. Ac vereor, ne plerique illi, qui vitas nobis dedere, hoc non ſatis attenderint, quotus quisque eſt enim, qui in vitis Eraſmi, Rhenani, Melanchthonis, Camerarii meminerit, quos illi auctores e tenebris primi eruerint? Quis eſt, qui eum ICtum nominet, qui primus jurisprudentiam in artem redigere aggreſſus, qui fere dixerim Apelles fuit. Vbi nominatur, qui primus in re nautica accuratius philoſophatus ſit, oſtenderit-

que curſum navis, ſi magnetem ſequatur, neceſſario eſſe ῥομβοειδῆ non κυκλοειδῆ. Vbi eſt catalogus compoſitionum apud medicos celebriorum, atque uſitatarum, ſuis auctoribus, a quibus ſæpe denominantur, vindicatarum. Quis refert, primum prope eorum, qui matheſin ad phyſicam applicarunt, fuiſſe Iohan. SVISSET (*) calculatorem ideo, ſcholaſticis appellatum, primos circuli pſeudo-quadratores fuiſſe Bovillum & Montium, & ut ad theologica tranſeam, primum omnipræſentiam carnis Chriſti docuiſſe Fabium Stapulenſem, M. Ant. de Dominis, & Arminianis primum præluſiſſe Acontium, quæque ſunt alia id genus oppido multa, quæ etſi ſparſim nonnulla habeantur, nullibi tamen collecta ſunt. Ex hoc demum opere quod talia complecteretur, vera ac ſolida hiſtoria literaria eſſet expectanda, qua omnis veræ eruditionis origines & progreſſus oſtenderentur. Quemadmodum audio Ioſephum Glanvillum Anglicum nuperrime de *incrementis ſcientiarum inde usque ab Ariſtotele ductarum* ſcripſiſſe. Sed ſufficeret nunc quidem, qui recentes, id eſt inde usque ab inventa typographia editos, percurreret, eosque demum, qui aliquid de ſuo ad augendam ſupellectilem publicam contulere, inſtar monaſteriorum benefactoribus ſuis, quantum in ſe eſt, non ingratorum in necrologia, ut ſic loquar, referret, ſuaque cuique merita adſcriberet. Huic inſtituto arbitror conferre aliquod poſſe pinacothecas Nicii, vitas Germanorum Adami, Gallorum per Samarthanos, Orientalizantium per Colomeſium, mathematicorum per Blancanum, medicorum per Lindium & Meibomium (quanquam Meibomius hactenus expectetur) theologorum per Bismarcum. Huc pertinent ſingulares vitæ, ut Tychonis per Gaſſendum, Peireſcii per Gaſſendum, F. Pauli per Fulgentium, Carteſii per Borellum, Gaſſendi per Sorberium

(*) A titulo libri rariſſimi dictum eſſe obſervavimus *biſt. crit. phil. T. III.*

berium, Cardani, Campanellæ, Thuani per ſe ipſos. Vtinam tibi vacet, vir ampliſſime, tanti momenti inſtituto TE accingere, aut ſaltem initio ſcripta extantiora dare. Fracta enim ſemel glacie non deerunt, ſive TV, ſive alii, qui & veteres addant, & ſuppleant recentiores. Labbeanorum omnium editorum catalogum impreſſum nacti ſumus. Fichettus perplacet illuſtriſſimo Baroni BOINEBVRGIO, & poſt amicam ſalutis per me præfationem, petit ſibi librum aliqua occaſione commodato mitti, inviolatum redditurus. Incluſas ad ampliſſimum Welſchium tradi peto. Vale faveque

VIR PL. REVERENDE atque AMPL.

Francof. $\frac{7}{17}$. April. 1670.

Cultori TVO
Gottofredo Guilielmo Leibnizio,
I. V. D.

Maxime reverende & ampliſſime Domine,
Fautor magne.

Literas Tuas ſolenne ſuum obtinentes, id eſt rerum ſcitu dignarum copiam, recte ab illuſtriſſimo BOINEBVRGIO accepi. Iſte amice Te ſalutat ſperatque interea literas ſuas alteras ad Te perlatas eſſe: Exceſſum honoris, ignoſce verbo, quo eum in literis affeceris, ac celſitudinem imprimis, deprecatur, idque me Tibi ſcribere juſſit: heros tanto major aliis, quanto minor ſibi. Mire gaviſus eſt nuntio repertorum a Te leipſanorum Philippicorum, miro enim amore proſequitur, quicquid illius viri amorem & moderationem ſpirat. Habet clavem in editas Melanchthonis epiſtolas mſcr. ab ampliſſimo Thomaſio noſtro elaboratam, ad illuſtrandam illorum temporum hiſtoriam perutilem.

Particula ephemeridum Romanarum nos docuit prodiiſſe Romæ Franciſci Ptolemæi JCti Senenſis *vetuſtalia*, ſic enim vocat, ſeu vetuſtatis admiranda, quibus

quibus docere conatur pleraque nova reperta, quibus noſtra ſe tempora efferant veteribus, cognita fuiſſe, Americam, pulverem pyrium, teleſcopia, & ſi Diis placet etiam typographiam: ex quo ſatis de ſcribentis genio conjicere licet. Item hiſtoriam podagræ, ſolo lactis uſu ſine aliis cibariis curatæ, auctore Ioanne Baptiſta Magino. Annectuntur excerpta ex literis P. Franciſci Eſchinardi S. I. quibus continetur ratio emendandi thermometra; demonſtrare enim ſibi videtur auctor calorem frigusque augeri non pro gradibus æqui diſtantibus in vitro notatis, ſed in triplicata eorum ratione, ita ut numeri vulgo adhibiti ſint radices cubicæ verorum.

Gallicæ ephemerides rareſcunt admodum aut lenteſcunt. Omnes ſuperioris anni in unum collectæ vix alicujus ex præcedentibus tertiam partem æquant, hoc anno paucas admodum prodiiſſe ſcribitur. Cæterum cœperant Galli dudum ephemerides ſacras eadem prorſus methodo; annus eſt, quod ſchedulam publice hoc ſignificaturam Pariſiis impreſſam Sualbaci vidi. Sed nunc ſcribitur, rem in nihilum neſcio qua de cauſſa recidiſſe, auctorem autem rei fuiſſe quendam P. Verium Ieſuitam, curatorem aliquem, qui ſe appellet de la Noüe. Deſtinaverant illic referre, quicquid ad ſacram eruditionem pertinens aut fieret aut ſcriberetur, vitas mortesque ſacras doctorum, librorum nucleos, acta novorum, ſi qua ſcilicet contingerent, ac judicialiter examinarentur miraculorum, hæreſium, ſi quæ novæ emergerent ortus, hæreticorum converſiones, aliaque id genus plura.

Cæterum

Cæterum ampliſſimo Welſchio cultum meum perpetuum ſignificari etiam atque etiam peto. Quod ſupereſt, vale, faveque

VIR MAX. REVERENDE & AMPL.

Mog. $\frac{5}{15}$ Iun. 1670.

Cultori TVO ſedulo
Gottofredo Guilielmo Leibnizio,
I. V. D.

Maxime reverende ampl. & clariſſime Vir,
Fautor omni cultu & honore proſequende!

Literas Tuas ad me plurima humanitatis ſignificatione plenas recte accepi, ſed & alteras ad illuſtriſ. BOINEBVRGIVM multa fruge feraces legi, cum vero ex iis non ſatis intelligi poſſet, an accepta a Te eſſent, quæ nos ad clariſſ. Wagenſeilium ab illo TIBI mittenda deſtinaveramus, quærendum duxi. Erant literæ docti viri ex Anglia reducis de re literaria Hollando-Britannica; acceſſerant epiſtolæ hactenus ineditæ Hugonis Grotii ad immortalem Schickardum illum ipſum, cui TV in elogiographia vitam alter Aeſculapius inſpirabis. Elogiographia ægre repereris laborem & jucundiorem & utiliorem. A noſtro autem ſeculo & Germaniæ eruditis prudentiſſime incipis. Nam ſola omnium regionum Germania in præclaris ſuorummet agrorum germinibus agnoſcendis, & ad immortalitatem propagandis ſtupida, & obliviſcitur ipſa ſui, ac ſuorum, niſi ab exteris de propriis opibus admoneatur. Cæteræ gentes non indigent extraneo elogiographo, & Germania ipſa, ſi ſuperiora ſpectes, habet cur in Melchiore Adami ſibi placeat, qui tamen opus habet, & *ſpicilegio* & *continuatore*, quorum utrumque nemo Te rectius certiusque præſtiterit. Non ignorabis Biſmarcum jam olim orationes funebres, aliaque ad vitas doctorum virorum, imprimis theologorum, pertinentia collegiſſe. Et poterunt ex concionibus in ſupremo magnorum virorum

virorum honoris actu habitis, vitam plerumque comitem habentibus, quarum tibi parata undecunque acquiſitio eſt, multa ad rem pertinentia excerpi. Paſſim etiam operibus doctorum virorum præfixæ vitæ leguntur. Ampliſſimus Bœclerus in eo eſt, ut ſcriptores veteres, Græce Latineque extantes, compendioſe percurrat, & in ſingulis uſum, quo quisque commendare ſe lectori prudenti, & in rerum verſaturo poteſt, exponat. Quod ſi, ut cogitat, ad typographiam usque inventam perduxerit, quousque Tua paulatim elogiographia retrorſum aſcendet, pulchra utriusque operis conſonantia erit. Pater Ivo Pariſinus, Capucinus, grande ſuum opus, quod digeſtum ſapientiæ vocat, Lugduni auctius publicabit. Conciliorum editio altera Labbei & Coſſartii cura expolita jam pene abſoluta. Addet aliquos tomos ineditorum hactenus conciliorum, & ad ea pertinentium actorum. Stephanus Baluzius bibliothecarius Colberti, idem ille, qui in ſcriptoribus eccleſiaſticis Gallicis hactenus latentibus protrahendis in lucem occupatur, quorum complures in præfatione ſua ad Agobardum promiſit. Vt taceam jam tum Salvianum, Vincentium Lirinenſem, Agobardum, epiſtolas Amulonis, Servati Lupi quædam, ab eo edita eſſe. Eſt quidam Ruelius Primislavienſis in Sileſia deſignatus ſuperintendens, qui edendorum in Germania conciliorum conſilium cœpit, magnanimum certe, aut ſi ipſe impar eſt audax. Excuſus eſt titulus operis, promittuntur non canones tantum, ſed & acta & literæ, & quicquid monumentorum ad rem pertinentium reperiri poteſt. Sed an Gallos tantum exſcripturus, an vero ſive materia ſive methodo, ſive qua alia ratione variaturus ſit, dicere non habeo. Facit ſane mſcriptorum, ex quibus nonnulla hauſerit, in titulo mentionem, ſed an tanti illa futura ſint, neſcio. Credo tamen, non inutilem fore editionem, quia Gallicis minus ſumtuoſam. Prodromum quendam his nundinis jam emiſit. In Gallia doctiſſimus

mus vir Ægidius Menagius origines linguæ Græcæ molitur, quibus omnia omnino linguæ vocabula ad trecentas in univerſum radices revocentur. Idem de rei medicæ ſcriptoribus ſyntagma dabit, quo multi hactenus incogniti protrahentur, aut cogniti illuſtrabuntur. Habet & ſub manibus lexicon botanicum, magnam rem præſtiturus, ſi πολύσημα & controverſa paſſim impoſita a veteribus ſimplicium nomina ad certas notiones revocaverit.

In Anglia Ioſephus editur cura & auſpiciis doctoris Felli coll. Chriſti decani Oxonienſis, qui & Petiti in eum ſcriptorem curas addet. Clmus Boſius tamen ea præventione non deterretur, ut nec cujusdam Stephani Monachii miniſtri Rotomagenſis ſimili cœpto. Larroquanus reformatus dicitur egregiam de evchariſtia diſſertationem edidiſſe: eſt opinor idem ille, qui etiam de Liberio & Photino commentatiunculam publicavit. Dallæus & Drelincurtius fatis conceſſere: hujus horas ſupremas Genevæ excuſas in his nundinis vidi.

Habui nuper literas reſponſorias a doctiſſimo Oldenburgero ſocietatis regiæ ſecretario, quibus inter alia Germanica quærit, de Werneri civis Memmingenſis invento hydroſtatico, quo ille res magnas pollicetur ſiphone antliaque præſtandas; petitque a me, tum quid viri harum rerum periti ſentiant de eo invento, tum quæ ſit ratio, quis modus, qui ſucceſſus applauſusve. Ego inquirendo comperi virum electori Bavaro in aquis mineralibus operarum foſſarumque inimicis exhauriendis operam ſuam obtuliſſe, atque ibi nunc velut examen ſuſtinere, plura tamen indagare non potui. Quare valde me obſtrinxeris, VIR AMPLISSIME, ſi quid eo de negotio a peritis exquiſitum mihi perſcripſeris. Ampliſſimum Welſchium meo nomine quæſo ſalutes, eumque horteris, ut quod unus omnium optime poteſt, extimulet ſui ordinis viros doctiſſimos non ad colenda tantum inter ſe literaria commercia, id enim dudum

dum faciunt, ſed & ad ea publico non invidenda, edendasque ephemerides paulo pleniores quam primus iſte annus dedit, qua ratione & gloriæ ipſorum & ſaluti publicæ conſuletur. Quin alteras meas egregius ille VIR per Te acceperit, non dubito. *Beicherus* appendicem libri primi phyſicæ ſubterraneæ edet, ubi in praxi docebit, ſi ipſi credimus, metalla ex ſimplici vitro producere: item Mercurium figere. Pervellem, per ampliſſimum Welſchium noſſe, quid de eo viro ſentiant illic periti, tum quis ſit ſucceſſus? Vale, faveque

VIR MAX. REVER. & AMPL.

Cultori TVO

Gottofredo Guilielmo Leibnizio,

I. V. D.

Maxime reverende, ampliſſime Vir, Fautor magne!

Literas Tuas, indelebili ſcribentis charactere ſuaves & erudientes, recte accepi: doleo, non eodem fato uſas, quas ad Te illuſtriſſ. BOINEBVRGIVS dedit, quanquam non ſatis intelligam, an non literas ſaltem, etſi ſine acceſſionibus, acceperis: adjunctæ erant & meæ. Grotii ad Schickardum literas aliquot denuo deſcriptas mitto: literæ Anglicanæ non ſunt in promtu nunc quidem, mittam tamen, ubi primum ſe dabunt. Quisquis ille eſt, qui Tibi perſuadere conatur bibliographici operis omiſſionem, ex noſtro certe ſenſu, ut molliſſime dicam, minime loquitur. In re immenſa imo infinita, qualem hanc eſſe nemo diffitetur, nemo etiam urget perfectionem: & labor ſaltem progreſſus pro perfecto habetur. Nec ſunt invidi adeo bibliothecarii, ut ne catalogorum quidem copiam faciant: documento ſint, qui ne edere quidem in publicum veriti ſunt, inter quos eminet nunc Vir cl. Lambecius, cujus quarta jam & quin-

quinta pars operis bibliothecarii prælo accingitur. Accedent ſeorſim acta publica mſcta, variique ſcriptores rerum Germanicarum, nunc primum ex bibliotheca Cæſarea eruti.

De re tam manifeſtæ utilitatis miror illud: cui bono? vel quæri poſſe: Quid? an exiguæ utilitatis eſt bonum patremfamilias inventarium, mercatorem libros negotiales habere? neque aliud eſt bibliographia erudito. Opus elogiographicum tanto expetendum magis, quanto plura magna ingenia noſtro ſeculo tenebris oblivionis ſepeliuntur, quæ, ſi in veteres incidiſſent, nunc inter heroës literarios celebrarentur.

De Comenii morte audivi, qui etiamnum dubitarent. *Jean de Labbadie* varia fama ora hominum pervagatur. Hervordiæ quoque cum theologis Brandenburgicis, ſectarii contagionem, ut ajunt, in vicinia metuentibus, ortæ ei lites, quæ vereor, ne in novam ſoli mutationem deſinant, omnem fructum in planta ſæpe tranſpoſita intercipientem. Prodiit nuperrime libellus in eum elegans ſed acer fratrum *des Marets* eccleſiæ Wallonicæ in Batavis miniſtrorum, hoc titulo: *Hiſtoire curieuſe de la vie, de la conduite, & des vraies ſentiments du ſieur Jean de* Labadie, *dont le nom & la reputation ſont tant de bruit parmy les gens de bien. a la Haye 1670. 12.* Si ex vero depingitur, ambitionis, ſuperbiæ, intolerabilitatis, ſeditioſitatis notas effugere vix poteſt. Sed utraque pars audienda eſt judicaturo. Illud diffiteri nemo poteſt, cauſſas, quas ſeparationi prætexuit, non admodum ponderoſas eſſe: noluit ſubſcribere confeſſionem eccleſiarum Belgicarum, reprehenſis quibusdam innocentibus formulis in negotio trinitatis, quas ne Romanæ quidem communionis quisquam ſub cenſuram vocavit, invectus eſt in librum collegæ ſui (ſaltem conſynodalis) Lud. Wolzogenii, elegantem admodum & eruditum, quem contra philoſophiam ſcripturæ interpretem edidit, atrociſſimis accuſationibus, quibus colorem reperire non potuit. In ipſam philoſo-

phiam veram & reſtauratam ita tumultuatur, ut ſatis appareat, impetu magis animi, quam certo judicio ferri. Malitia hæc an zelo quodam parum ſcito fiant, neſcio. Vnum maxime placet ex actis ejus, quod collata in commune pecunia ſuorum pauperibus ſed laboraturis ſubvenire voluit, quo conſilio, niſi alius ſcopus in receſſu fuit, nullum poteſt facile cogitari chriſtianius: ſed ſatis de Labadie. Academiam Ieſu Chriſti, quam ediſti, ſpero ad has nundinas delatum iri. Memini TE quoque aliquid de prudentia veteris eccleſiæ moliri, niſi hoc cum academia idem eſt. Si quid de Wernero reſciveris ac mihi ſignificaveris, rem facies mire gratam. Auctionum indices ſi per mercatores ac nundinas iturientes afferri poſſunt, poterunt per eosdem domum reportari, quare illuſtr. BOINEBVRGIO plurimum gratificabere, meo quoque beneficio non parvo efficies. Factus eſt mihi nuper aditus ad commercium literarium cum bibliothecario regis Chriſtianiſſimi Mr. Carcavi, unde ſpero, me habiturum nonnunquam, quæ vobis perſcribere poſſim. Illuſtriſſimus BOINEBVRGIVS amice Te ſalutat. Vale faveque

VIR MAX. REV. & AMPL.

Mogunt. 7. April. 1671.

Cultori Tuo

Gottofredo Guilielmo Leibnizio,
I.V.D.

Obſer-

Observatio II.

De DAVIDE DE AVGVSTA Ordinis F. F. Minorum monacho ex tenebris ſeculi XIII. eruto (*).

§. I.

Quas omnem medii ævi hiſtoriam cinxiſſe rerum veterum, maxime Germanicarum, gnaris notiſſimum eſt, tenebras cauſſam eſſe latentium tot particularum hiſtoriæ literariæ atque eccleſiaſticæ majorum noſtrorum adeo manifeſtum eſt, ut probare id exemplis plane ſit ſupervacaneum. Id imprimis celeberrimæ, quam nos hodie incolimus, Auguſtæ Vindelicorum coloniæ accidiſſe ineluctabiles, quibus hiſtoria Auguſtana obſepitur, difficultates, hiatus, & incertitudo rerum medii ævi interdum maxima, præcipue quod ad ſtatum hujus urbis literarium attinet, comprobant. Cujus potiſſimam cauſſam virorum doctorum, quæ tunc communi ſeculi fato invaluerat, inopiæ, temporumque, quod ad diſciplinarum quoque ſtudia attinet, infelicitati adſcribendum putamus: quæ ut omnem eo tempore Germaniam occupaverat, ita Auguſtanam quoque civitatem Cimmeria quaſi nocte preſſiſſe, annalium ſilentium, triſte & obſcurum plane, & iſtius ingenii humani paupertatis index ſatis ſuperque prodit. Nam ut taceamus, rariores Sibyllinis foliis eſſe commentarios de rebus Auguſtanis, quorum auctores iſtius ævi ætatem attingunt, plerique qui horum temporum facta exponunt, & ab iſtorum annorum temporibus propius abſunt, hiſtoriarum libri ab indoctis hominibusque ἰδιώταις

Hiſtoria medii ævi de re literaria tenebra in urbe Auguſta.

T 2 con-

(*) Deſtinata dudum eſt hæc obſervatio *Muſeo Helvetico*, quod communi literarum commodo condunt præſtantiſſimi atque celeberrimi Tigurinæ ſcholæ profeſſores IO. IAC. ZIMMERMANNVS & IO. IAC. BREITINGERVS, quos honoris & amicitiæ cauſſa nominamus.

conſcripti ſunt, adeoque iſtis propemodum characteribus deſtituuntur, quibus fides historica nititur, commendarique ſolent annales civiles & eccleſiaſtici. Et profecto mirari ſatis non licet, in ampliſſima & celeberrima eaque libera ſacri Romani imperii urbe, ad quam a priſcis, & imprimis ævi medii, ſeculis confluxit, quicquid fere nobis tempora iſta fecit memorabilia, & in qua tot reipublicæ Germanicæ acta contigere, non deprehendi accuratorum juſtique ordinis annalium conditores, nec obtigiſſe illuſtri urbi eam felicitatem, qua Friſingam, St. Galliſanum, Weiſſenburgum, Vrſpergam, & ignobiliora loca alia fuiſſe gaviſa, ſcriptorum, qui ibi vixerunt, paginæ teſtantur. In cujus tamen rei cauſſam latius inquirere, cum ab alio magis, quam ampliſſimæ urbis cive expectandum ſit, quam in voluptatis & quæſtus ſtudia olim, neſcio quam vere, rejiciebat HIERONYMVS WOLFIVS (*a*) nempe rem invidia non carentem, aliis explorandam relinquimus.

Fontes ex quibus notitia D de A. baurienda.

§. II. Exemplum, quo dicta comprobare licet, exhibet DAVID de AVGVSTA, familiæ Franciſcanæ alumnus, qui Auguſtæ Vindelicorum vixit, & haud ignobile inter theologos ſeculi XIII. nomen conſecutus eſt. Cujus licet iſto tempore eruditionis atque ſanctitatis opinio maxima fuerit, & ſcripta quoque vir diligens & haud obeſæ naris reliquerit ſupra ſeculi ſui inficetias aſſurgentia, adeo tamen obſcura curtaque eſt ejus in annalibus hiſtoria, ut, quod indignamur, Auguſtanarum rerum ſcriptores, neſcio qua incuria, vel literarum contemtu, ejus plane nomen ignorent & reticeant. Et æternis quidem tenebris ſepulta jacuiſſet ejus memoria, niſi famoſæ *conformitates vitæ S. Franciſci*, &, cui tot virorum doctorum e Germanis nomen oblivioni ereptum debemus, *Tritbemius* itemque *Wimpfelingius*, & *Franc. Gonzaga* non-

(*a*) Vid. *vitæ Wolfianæ, ab ipſo ſcriptæ ſynopſis*, a nobis edita & *Temp. Helv. T. IV. Sect. III. p. 503. ſeqq.* repetita, quam infra quoque recuſam dabimus.

nonnulla de hoc ſcriptore memorantes virum quendam e civibus noſtris doctiſſimum, qui *acta S. S. Auguſtanorum* brevi at eleganti calamo deſcripſit (*b*) & pulcherrimis iconibus, præſtantiſſimi LVCAE KILIANI cœlo fabrefactis, edidit, (quem illuſtrem urbis duumvirum MARCVM WELSERVM vel ex fratribus unum fuiſſe non iniquis rationibus ſuſpicamur,) ejus memoriam, conquiſitis veterum teſtimoniorum laciniis paucis renovaſſet, & eodem fere tempore ejusdem Davidis de Auguſta opuſcula publicæ luci vindicaſſet, typographei ad inſigne pinus, Welſeriani potiſſimum cura & liberalitate inſtructi, diligentia. Amplioribus itaque memoriis deſtituti brevi ſcriptiuncula ejus memoriam ab oblivione vindicabimus, amplius forte lumen ab illis expectaturi, qui, ſi non majori cura, certe felicitate & eventu, in medii ævi hiſtoria verſati ſunt.

§. III. Nomen in indicibus hiſtoriæ literariæ ſcriptorum eccleſiaſtiorum Noſter gerit, more ejus ætatis a patria; vocatur enim *DAVID de Auguſta*, vel *frater* quoque *David*, itemque *David Teutonicus*, ſuppreſſo nomine proprio. Quod ut propter famæ claritatem, qua patria illuſtraverunt, factum illo tempore eſſe, rerum medii ævi non ignaris conſtat, ita haud ignobile civitatis eruditæ ſidus noſtrum ſua ætate fuiſſe luculento teſtimonio confirmat. Conſtat vero ex hac appellatione, patriam eum Auguſtam habuiſſe, in qua tamen nullam ejus prorſus memoriam hodie ſupereſſe, ſupra jam doluimus. Nec quibus parentibus quave familia ortus apud Auguſtanos ſit, ulla nobis enaſci ſuſpicio potuit. Quod non valde mirabuntur, qui cogitant aſcetarum conſuetudinem, qua regulæ ſacræ ſe tradentes novum ordinis nomen adſciſcere ſolent, hanc nobis notitiam omnem eripuiſſe. Et fortaſſe vilioris, quod ſolebat fieri, ſortis homo

Patria & origo.

(*b*) Prodiit liber elegans, & paucis notus *Aug. Vind. ad inſigne pinus* 1601. *fol.* editionem curante DOMINICO CVSTODE.

homo una ordinis ſacri gloria contentus, ſtudio nomen gentilitium reticuit. Nobis pro eo noſcendo ſufficit, cum, quod dudum ALB. MIRAEVS (*c*) fecit, Auguſtæ noſtræ vindicaviſſe.

Tempus. §. IV. Eædem, uti conjicimus, rationes nativitatis tempus nobis reticent. Et claruiſſe quidem non longe poſt beatum Franciſcum, ait *TRITHEMIVS* (*d*), quem anno cIↃ cc XXVI. fatis conceſſiſſe conſtat. Iisdem verbis Davidem Franciſci Aſſiſii σύγχρονον facit vetus ordinis Minorum ſcriptor *FRANCISCVS GONZAGA* (*e*). Facileque id confirmari poteſt ex ætate diſcipuli noſtri *Berchtholdi*, qui & ipſe familiæ Franciſcanæ alumnus, poſtquam concionibus ſacris inclaruiſſet, in patria Ratisbonæ cIↃ c LXXII. obiit, cujus magiſtrum uno tantum anno prius naturæ debitum ſolviſſe infra probabimus, confodiemusque errorem ſcriptoris *ſanctorum Auguſtanorum*, noſtrum circa annum cIↃ c XXVIII. vita defunctum eſſe aſſerentis. Ex quibus certum quidem eſt, Franciſco adhuc ſuperſtite eum vixiſſe; at nativitatis annum tamen iſta nondum eruunt, quem tamen in ſeculi decimi tertii initia incidiſſe ex vitæ ejus circumſtantiis ſuſpicamur.

Ordo ſacer. §. V. Nomen dediſſe Davidem ſacræ, quam Franciſcus Aſſiſias haud ita pridem inſtituere cœperat, familiæ, quæ minorum fratrum dici ſolet, non eſt, quod dubitemus. Nam hoc eum nomine poſt diſcipulum ejus Berchtholdum inſigniunt omnes, qui eum commemorant. Et TRITHEMIVS quidem incertum id facit, ſcribit enim: *David* ut ferunt *ordinis Minorum:* aſt alio tamen loco (*f*) ſine hæſitatione S. Franciſci religionem eum profeſſum fuiſſe aſſerit. Vixiſſe autem Davidem inter S. Franciſci ordinis

(*c*) in *Auctario ad Trithemium de S. E. c.* 402. *p.* 73. *ed. Fabric.*

(*d*) *de ſcriptoribus eccleſ. c.* 455. *p.* 111.

(*e*) *de origine ſeraphica relig. & de viris illuſtribus.*

(*f*) *Annal. Hirſaug. Tom. I. ad annum* 1251. *p.* 588.

dinis fratres in patria Auguſta, ex illis, quæ de ejus morte & ſepultura infra dicemus, conſtabit. Quamvis autem hæc certa ſint & indubitata, eadem tamen certitudine dici non poteſt, quo tempore ſacræ ſe Franciſci militiæ addixerit, & quibus annis inter minores fratres Auguſtæ vivere cœperit? Et veterum quidem annalium traditio inter Auguſtanos eſt, Sybothum eccleſiæ Auguſtanæ epiſcopum anno demum cIↄcXLIII. locum Franciſci aſſeclis apud Auguſtanos fuiſſe, iisque templum, quod ad Stræſſingeriam portam ſitum eſt (*g*), tradidiſſe, quam opinionem, velut certam, noſtri temporis ſcriptores, qui annales Auguſtanos condiderunt (*h*), ſequuntur: ex quo confici poſſet, ante hunc annum locum Davidi aſſignari non poſſe. At ſubleſtam eſſe annalium Auguſtanorum fidem, & vel eos in annorum numero errare, vel facta prima & ſecunda inter ſe confundere, ex indubitatis Franciſcanæ hiſtoriæ ſcriptoribus demonſtrari poteſt. Quorum fide (*i*) ſcimus, anno jam cIↄccXIX. Franciſcum Spira miſiſſe F. Cæſarium, ut inter Suevos & vicinos ſui ordinis monaſteria erigeret, & inter ea Auguſtanum primum fuiſſe. Conſtat enim ſcriptoris *conformitatum S. Franciſci* teſtimonio (*k*) *F. Tertericum primum Auguſtanum a Franciſco, ejusque commiſſario quem vocant, F. Cæſario Spirenſi Alemanniæ ſuperioris miniſtrum provincialem fuiſſe conſtitutum, eumque diem extremum clauſiſſe Auguſtæ, in eccleſia FF. minorum conventualium, quam ipſe virgini glorioſæ dicatam reliquit, ſepultum cIↄccXXXI.* Qui & addit, *uberrimos eum in vinea ſeraphica proferentem fructus, eam multipli-*

(*g*) Id hodie quoque minorum templum audit, at evangelicæ religionis exercitio deſtinatum, monaſterium autem hodie geronto tropheum Iacobi eſt utriusque religionis civibus ſacrum.

(*h*) P. CORBIN. KHAMM. *hierarch. Auguſt. P. I. p.* 239, VON STETTEN *hiſt. Aug. c. V.* §. 26. *p.* 70.

(*i*) MARC. OLYSIP. *de rebus Franciſc. relig.* GONZAGA *de orig. ſeraph. rel.* (*k*) *l. c.*

catis vinitoribus mirifice excoluiſſe. Ex quo loco non tantum manifeſtum eſt, ante annum cIɔccXLIII. fratres minores jam apud Auguſtanos floruiſſe, ſed & evinci poteſt, poſt annum cIɔccXIX. quo Cæſarium, ad condenda ordinis ſui cœnobia, dimiſit Franciſcus, & annum cIɔ ccXXXI. quo obiit Tertericus, qui primus monaſterio hujus familiæ Auguſtano præfuit, noſtrum ab eodem, plures hujus religionis alumnos recipiente, huic numero fuiſſe adſcriptum.

Munus & eruditio. §. VI. Eruditionis & pietatis laude fratrem in hoc Minorum apud Auguſtanos conventu Davidem vixiſſe, munusque ideo lectoris, quem vocant, id eſt profeſſoris S. theologiæ obtinuiſſe, ex inſcriptione *formulæ novitiorum* ab eo ſcriptæ præfixa conſtat, in qua F. David de Auguſta ordinis fratrum Minorum profeſſor S. theologiæ ſalutatur. Quod ejus munus colligi etiam ex dedicatione iſtius formulæ poteſt, in qua Berchtholdum (*l*) & conventuales reliquos, diſcipulos ſuos eſſe innuit. Scribit etiam ad eundem: *deſideraſti a me frater cariſſime, ut aliquid ſcriberem tibi ad ædificationem, ex quo abſens ſum a te, ſicut aliquando præſens tibi ore dicere ſolebam, quando ad tempus novitiatus tui magiſter eram tibi deputatus.* Cum vero, quem habuit diſcipulum, Berchtholdus potiſſimum concionandi facultate & facundia orationum ad populum habitarum inclaruerit, recte inde concluditur, ejus quoque præceptorem ab hac dicendi virtute, prout temporum conditio ferebat, inparatum haud fuiſſe. Quod de eo diſerte tradit TRITHE-

(*l*) Natus eſt Berchtholdus Ratisbonæ, inque conventu Minorum Auguſtano educatus, & a Davide ſ. literis inſtitutus, in patriam rediit, ibique ordinis ſui monaſterium condidit: tantæ virtutis ac facundiæ orator, ut quod HENRICI HERONIS teſtimonio *in annal. ad annum* 1253. in FABRICII *bibliothec. lat. med. T. I. p.* 657. & apud OVDINVM *l. cit.* conſtat 60000. auditores numeraverit, defunctus in patria anno 1272. ob ſanctitatis odorem, & miraculorum famam beatorum inſertus albo. Conſ. OVDIN. *de S. E. T. III. p.* 443.

THEMIVS (*m*): *quia ſermonum popularium declamator fuerit egregius*, *de tempore ſimul & de ſanctis congruos eum ſermones compoſuiſſe*, & alio loco (*n*) *in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenii fuiſſe* aſſerit.

§. VII. Floruiſſe Davidem ingenio & doctrina pro conditione ævi ſui, & imprimis in morali & aſſetico argumento, eruditionis ſacræ virtutem oſtendiſſe facile credi poteſt TRITHEMIO (*o*), cui *vir* audit *divinis ſcripturis exercitatus*, & MARIANO (*p*); qui *in omni morum doctrina probatum* vocat, nam qui ſcripta pii viri & diſerti accuratius evolvunt, non tantum naturalem ingenii pulchritudinem detegunt, ſed et judicium practicum, humani animi receſſus probe explorans, experientia atque attentione pulchre edoctum, quæ præclariſſimæ moralis doctrinæ virtutes ſunt, obſervant. Tum & dictionis perſpicuitate, tractationis ordine, ſtyli Latini puritate ſupra ſeculi ſui conditionem longe aſſurgit, quamvis ex ejus ſordibus aliquid traxerit. Qua vero ſanctitatis laude floruerit, vel ex eo judicium fieri poteſt, quod beatorum choro eum inſeruerit curiæ Romanæ ſententia, quæ ſanctitatis ac miraculorum opinionem ad hanc beatitatis declarationem poſtulare ſolet. Et utrumque etiam ſcriptores eccleſiaſticæ hiſtoriæ de eo jactant. Et TRITHEMIVS (*q*) quidem ſatis caute, ut ſolet: *doctus, devotus & ſanctus, qui multis & vita & poſt mortem commiſſis* perfertur *miraculis*, alioque loco (*r*) *vita & converſatione inſignem* vocat, quibus addimus *conformitatum S. Franciſci ſcriptorem*, cui *vir* audit, *in omni diſciplina decentiſſimus*. His recentiores ſuccinunt, & imprimis hujus ordinis encomiaſtæ eum magnifice extollunt, quos hoc loco exſcribere, eſſet lectoris pa-

Fama celebritas.

(*m*) *Annal. Hirſaug. l. c.*
(*n*) *de S. E. l. c* (*o*) *l. c.* (*p*) *chron. ord. minor. l. II. c.* 17. apud OVDINVM *S. E. T. III. p.* 447. (*q*) *l. c. annal.*
(*r*) *de S. E. l. c.*

tientia abuti. Vt ex ungue leonem cognoſcas, lege, ad ſcriptorum ejus editionem quæ non nemo (*s*) præfatus eſt, ibi enim *medulla evangelicæ perfectionis*, invidendo elogio appellatur. Nemo vero ambitioſius in ejus laudes excurrit, quam, quem diſcipulum habuiſſe diximus, Berchtholdus; ſi enim veteri cuidam ſcriptori, cujus nobis ex codice mſcr. verba conſervavit MATTHAEVS RADERVS (*t*) fides habenda, *hora obdormitionis revelata fuit S. Berchtholdo acta Ratisbonæ prædicanti, qui recommendans eum populo hunc verſum:*

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit & quietus,
Vita dum præſens vegetavit ejus
corporis artus.

in ejus laudem dixit.

Mortis tempus. §. VIII. Mortis tempus ignorari, nec ſe definire auſum eſſe ait CAVEVS (*u*); FABRICIVS (*x*) annum ponit cIɔccLXXII. ſecutus LVCAM WADINGVM (*y*) & CASIM. OVDINVM (*z*), quos tamen confudiſſe Berchtholdum & Davidem certum eſt. Ille enim cum hoc anno exſpiraverit, prius hunc ejus magiſtrum fatis conceſſiſſe oportet, quod eum pro roſtris laudavit. Certiora tradit Anonymus vetus, cujus hæc verba ex mſcr. Bavarico produxit RADERVS (*aa*) *anno prædicto* cIɔccLXXI. *XVII. Kal. decembres obiit reverendus religioſiſſimus pater David in Auguſta ſepultus, ſocius fratris Berchtholdi de Ratisbona.* Quietis locum in cœnobio Auguſtano obtinuiſſe tradit etiam TRITHEMIVS (*bb*). Intercedit vero

(*s*) *Bibl. max. Col. Tom. XIII.*

(*t*) *Bavar. S. Vol.* 1. *p.* 54. KHAMM. *l. c.* ad chronica Saxonica provocat WADINGVS *de ſcript. ord. min. p.* 99. ſed Bavarica eum dicere voluiſſe putamus, qui hæc commenta ridet, in *Annal. ord. minor. ad annum* 1272. *n.* 15.

(*u*) *Hiſt. lit. S. E. p. m* 632. (*x*) *l. c.* (*y*) *ibid.*

(*z*) *l. c.* (*aa*) *l. c.* quod & P. KHAMM *l. c. P. II. p.* 246. repetit.

(*bb*) *l. c. annal.*

vero utrique *SS. Auguſtanorum editor*, cui alius & annus mortis & locus ſepulchri eſſe videtur, moto auctoritate epitaphii, quod Gemündæ Suevorum his verbis legitur: *Candide lector: hoc ſub lapide requieſcunt oſſicula Davidis fraterculi, qui a S. Franciſco huc miſſus ſeptem cum fratribus, anno cIↃ cc VIII.* Vidit vir illuſtris annum hunc non quadrare temporibus Davidis de Auguſta; cum autem certum haberet, non alium Davidem, niſi Auguſtanum, intelligi, mendum in numero quæſivit, & vel annum XXVIII. vel XXXVIII. ponendum eſſe judicavit. Quæ nollemus tanti acuminis & palati critici viro excidiſſe; quem ex adductis a ſe teſtimoniis latere non potuit, Davidem noſtrum Auguſtæ ſepultum eſſe, qui & ipſe monuit ſerius, quam iſtud epitaphium aſſerit, non alium fratrem ad Suevos, quam Cæſarium miſiſſe Franciſcum,& quiBerchtholdum diſcipulum paulo poſt obiiſſe longe ſerius non ignorabat. Vnde totum illud epitaphium aut de alio Davide intelligendum, aut ob manifeſtum anni temporisque errorem inter ſuppoſita eſſe referendum putamus, ideo effictum, ut fraterculi illi antiquitatis ſibi dignitatem emendicarent, quod & ipſa dictio inſcriptionis, quæ recentiorem ætatem ſapit, prodere videtur.

§. IX. Sed non viva tantum voce, verum etiam calamo diſcipulos formandos, aſcetasque curæ ſuæ commiſſos, maxime novitios, erudiendos ſibi eſſe ſtatuit David noſter, qui etiam orationes ad populum habitas vel ſcriptas reliquit ipſe, vel ab aliis ſcripto excipi, quod celebribus oratoribus interdum fieri videmus, paſſus eſt. Hujus generis conciones paſſim inter manuſcr. bibliothecarum latere catalogi literarii ſcriptorum eccleſiaſticorum, apud Wadingum, Caveum, Oudinum, alios, teſtantur. In Baſileenſi quoque bibliotheca ejus reperiri tractatum *de perfidia religioſorum*, auctor eſt *B. SPIZELIVS* (*cc*) noſter; *Scripta.*
eum

(*cc*) *arc. bibl. reteƈt.*

eum vero argumenti invidia in tenebris retinuiſſe videtur. Lucem autem viderunt tractationes tres *formula novitiorum*, *formula interioris hominis*, & *de ſeptem proceſſibus religioſi ſtatus*, quæ ut ſuo tempore ob auctoris celebritatem, & argumenti pietatem plurimi ſiebant, ita inter aſcetas quoque recentioris temporis auctoritatem obtinuerunt. Harum primam ſeorſim, & paulo poſt tres iſtas, edidit ſimul nonnemo Auguſtanorum eruditorum *ad inſigne pinus*, *apud Ioh. Prætorium cum privilegio Cæſaris perpetuo anno* cIↃ IↃ *XCV. 12.* quem vel Marcum, vel Paulum Welſerum ejus fratrem, virum itidem eruditiſſimum fuiſſe, & locus editionis ac typographeum & dedicatio inſcripta *Ioh. Antonio Welſero, Ioh. Aug. Vind. II. viri F. Societatis Ieſu presbytero* & ſtylus atque forma cum Welſerianis reliquis conſpirans, nobis perſuadent. Adeo vero rara eſt hæc editio, ut pleræque ſunt, quæ ad inſigne pinus prodierunt, ut viri etiam literatiſſimi, & in his Fabricius & Oudinus, eam non viderint, & annum editionis verum ignoraverint, quem cIↃ IↃ XCIII. ponunt. Quæ ſine dubio raritas commovit bibliothecæ maximæ editores, ut has Davidis Auguſtani ſcriptiones ſuæ collectioni (*dd*) inſererent. Sed & alia ratio huic eas collectioni inſeruiſſe videtur. Paſſim enim inter Bonaventuræ opuſcula conſpiciuntur, vel quod ipſius Bonaventuræ fuiſſe crederentur, vel quod Doctor Seraphicus primam eorum texturam dediſſe, David incrementum plenamque elaborationem videretur. Recte autem monuit *WADINGVS* (*ee*) *informem fuiſſe diſcriminatim omnium D. Bonaventuræ nomine opuſculorum* congeriem, unde nullus dubitat, quin hæc tria ad Davidem de Auguſta pertineant. Notiſſimum enim, Franciſcanæ religionis ſodales corraſiſſe, quæcunque poterant, & Bonaventuræ ſuppoſuiſſe, ut haberent, quod S. Thomæ Aquinatis πολυγραφίᾳ opponerent. Nolimus tamen contentioſuis

(*dd*) *T. XIII. ed. Col. V. XXV. ed. Lugd.* (*ee*) *l. c.*

ſuis refragari, ſi quis contendat, vel ex Bernardo, vel ex Bonaventura Davidem ſapuiſſe; qui & olim mos fuit, & hodie etiam inter ſcriptores celebres interdum obtinet. Fecit autem argumenti præſtantia, ut in Germanicum quoque idioma verterentur, qualem editionem nuper Auguſtæ excuſam vidimus. Latere quoque in Belgii bibliothecis libellos Davidis *de modis revelationum, de generibus viſionum, de ſpeciebus tentationum, de virtutibus, de profectu religiogioſorum; de affectu orationis;* tradit ANDR. SANDERVS. (*ff*).

§. X. Solet ob hæc ſcripta im myſticorum catalogo poni David Auguſtanus, quod etiam *POIRETVS* (*gg*) & qui hunc ſequutus eſt ARNOLDVS fecere. Aſt hos ipſos ejus libros non vidiſſe, quod Poiretus ipſe etiam innuit, inde patet, quod nihil myſtici habet, & nec famoſam illam purgationis, illuminationis & unionis viam ſequitur, nec reliqua myſticorum principia urget, ſed aſceticorum more homines religioni ſaddictos ad formandam pie ſolitudinem vitæque cœnobiticæ ſanctitatem, & ſuperandas vitæ ſecularis tentationes adducit. Cujus exemplo eſſe poteſt libellus cui *ſpeculi de ſeptem proceſſibus religioſi ſtatus* titulum præfixit; Illi enim fervoris, laboris, conſolationis, tentationis, remediorum, virtutis & ſapientiæ ſunt, quare inſtar theologiæ alicujus moralis cœnobiticæ haberi poteſt. Multa quoque pulchra, ſeria, ſana monet (*hh*) & moralem Ieſuitarum multorum theologiam longis poſt ſe paraſangis relinquit, dignus qui exſanguem impiamque horum nominum philoſophiam in ruborem det. Et ſi verum fatendum, haud diſplicituram pietatis faciem in illâ ſeculi ruditate & doctrinæ impuritate depingit, dignus qui noſtræ quoque ætatis lectioni vehementer com-

An ſcriptor myſticus fuerit?

(*ff*) *Hiſt. Belg. erud. T. II. p.* 136.
(*gg*) *cat. auct. myſt. T. II. add. tr. de eruditione p.* 586.
(*hh*) *vid. loca p.* 260. 270. 273. 356.

commendaretur, niſi duo nos quam maxime offendederent momenta, quæ corruptioni doctrinæ, quæ illo tempore invaluerat, adſcribenda ſunt, at, dici non poteſt, quam turpiter reliqua omnia commaculent. Nempe vel parum vel nihil habet de Chriſto, ut hunc omnis ſanitatis fontem vel ignoraſſe, vel neglexiſſe tantum non videatur; & ſemipelagianiſmo adhærendo (*ii*) prodit, quam impuræ ſcaturigini ſua debeat. Verum poſterius ſeculi ſui vitium fuit, quod nondum emaculavit Romana eccleſia, prius forte ſuppoſuit magis quam neglexit; uno enim loco (*kk*) ſcribit: *ideo te quæras conjungere Chriſto, ut ſanctificeris ab ipſo.* Ceterum multa veritatis teſtimonia in his ſcriptis inveniet lector attentus, & alienus a ſectæ ſtudio; unde Davidem Auguſtanum inter ſtellas primæ magnitudinis in iſto cœlo nebuloſo, qui in ſeculo XIII. lucem theologicam obnubilavit, collocare nulli dubitamus.

(*ii*) *conſulatur locus p.* 139. (*kk*) *p.* 436.

OBSERVATIO III.

Notitia rariſſimæ verſionis Gemanicæ libri Pſalmorum,

a

D. OTTOMARO NACHTIGALLO ſivo LUSCINIO confectæ. (*)

§. I.

Occaſio ſcribendi. DEdit nuper de GASPARIS AMMANI *Pſalterio Germanico longe rariſſimo Auguſtæ Vindelicorum* 1524. *edito* obſervationem doctiſſimam vir πολυμαθέστατος IO. HENR. a SEELEN in elegantiſſimis *ſelectis literariis* (*a*), quorum auctam editionem bono

(*) Extat *Amœnit. liter. T. VI. p.* 455. *ſeqq.* quam jam in haud paucis mutatam & emendatam hoc loco exhibemus.

(*a*) *p.* 732. *ſeqq.*

bono publico exhibuit, inque ea tum de verſionum S. bibliorum, tum de literaria Auguſtanæ urbis hiſtoria egregie meruit; licet, num ille Ammanus Auguſtanus fuerit, vel ex patricia in ea urbe Ammanorum gente oriundus, non conſtet (**). Et illuſtris quidem a longo tem-

(**) Ignotum ſibi eſſe Ammanum hunc faſſus eſt cel. Seelenius. Neque tamen ita obſcurum fuit viri doctiſſimi, & inter reſtauratores philologiæ Ebraicæ jure meritoque ſuo numerandi, nomen, nec ita nulla ejus de literatura Ebraica merita, ut plane ejus memoriam neglexerint tum præceptor ejus, tum diſcipuli. Et præceptorem quidem habuiſſe Ammanum Joannem Boeſchenſtainium, haud incelebrem circa auſpicia ſeculi XVI. literarum Ebraicarum doctorem, ex illius dedicatoria ad Ioannem Reuchlinum epiſtola, præfixa elementali introductorio in Hebraicas literas Teutonice & Hebraice legendas conſtat, ubi inter diſcipulos Boeſchenſtainii etiam Ammanus inter primos occurrit, qui ſenio proximus ſacrarum literarum ſtudio vehementer delectatus ſit. Patetque ex hoc loco, quod in *templo bonorum Germanorum eruditioni reſerato*, T. I. dec. 2. p. 56. *not. m.* probavimus, fuiſſe Ammanum theologiæ doctorem & provincialem familiæ Auguſtinianæ Laningæ, & circa annum 1505. & ſequentes per quinquennium a Boeſchenſtainii ore pependiſſe. Diſcipulos autem Ammanus habuit viros præclare de literatura Ebraica ſeculi XVI. meritos Wolfgangum Capitonem & Ioannem Oecolampadium, quorum epiſtolas præfixas eſſe Ammani grammaticæ Ebraicæ, quæ manu auctoris conſcripta extet Tiguri apud Conradum Pellicanum refert SIMLERVS *epit. bibl. Geſner.* p. 216. Fuiſſe autem præceptorem in Ebraicis ſibi & Oecolampadio tradit W. FABR. CAPITO in *vita ejus*, Hiſpanum quendam, etſi infelicem & invidentem ipſis cognitionem ſ. linguæ. Ex quo loco PAVL. COLOMESIVS in *Hiſpan. orient.* p. 219. *ſeqq.* collegit, fuiſſe Ammanum gente Hiſpanum, eundemque cum Gaſpare Ammonio. VALERIVS ANDREAS autem in *bibliotheca Belgica* p. 255. patria, ait, fuiſſe Ammonium (quem cum Ammano unum eundemque eſſe nemo temere negaverit, qui ejus temporis teſtimonia inter ſe comparaverit) patria Haſſelentenſem, gentis Eburonicæ, præſidem provincialem Auguſtinianæ familiæ in Suevia S. theol. D. virum integerrimum ac linguæ Ebraicæ peritiſſimum, eoque nomine Seb. Munſtero aliiſque familiarem, ſcripſiſſeque Grammaticam Ebraicam in libros quinque diſtinctam. Hunc ſecuti ſunt FRANC. SWEERTIVS & PHIL. ELSSIVS, quorum loca indicat B. I. CR. WOLFIVS *ad l. c. biſt. or. Colomeſ.* Qui & addit, aliis Suevum dici, ideo ſcilicet, quod in Suevia rerum ſuarum ſedem fixerit. Nobis Suevum natione fuiſſe veriſimile facit nomen & familia, inter Suevos a multis ſeculis haud igno-

tempore eſt Ammanorum proſapia, quæ ut immortalibus de republica meritis olim jam (*b*), & imprimis noſtris temporibus magnum ſibi nomen peperit, ita viros protulit & eruditione ſummos, & eruditorum Mecœnates maximos, in ejus tamen monumentis tabulisque genealogicis Gaſpar ille non apparet. Novum vero ita quoque dedit vir præſtantiſſimus ſpecimen, quam egregie Germaniæ hic ocellus, Auguſta, de ſacris oraculis olim jam fuerit ſollicita, quamque egregie de ejus verſionibus & editionibus meruerit (*c*). Quod ut omni laude eſt digniſſimum, patriæque ſplendorem eo magis auget, quo majore dignitate excellunt ſacræ paginæ, ita nos quoque excitavit, ut parem de alio pſalterio æque rariſſimo, cujus nullibi mentionem factam eſſe nobis hactenus innotuit, quodque ex eadem officina prodiit, præſtantia vero illud longe ſupe-

bilis: in re tamen incerta nihil definimus. Habuiſſe hujus viri grammaticam Ebraicam mſc. B. Beckium noſtratem, ex MEELFVHRERI *acceſſionibus ad Almelovenii bibl. promiſſ. & lat. p.* 8. conſtat. Multus eſt in præceptoris ſui, Boeſchenſtainii laudibus Ammanus in *dedicatione pſalterii*, quod inter reculas noſtras velut eximium exorientis literaturæ Ebraicæ cimelium ſervamus.

(*b*) Iam enim ante introductam regiminis civilis apud Auguſtanos formam democraticam, ſummis reipublicæ honoribus duumviratus functus eſt Ioannes Ammann, anno ſcilicet 1348. vid. GASSAR. *Ann. Augſburg. ad h. a.* & *Hiſtoria Regiminis Auguſtani* noſtra cura edita *l.* 1. *p.* 15. quam dignitatem ex eadem familia geſſit quoque ab anno 1701. ad annum 1716. vir illuſtris GODOFREDVS AMMANVS, vid. *l. c in calce*, ubi reliqui quoque enarrantur, qui ſenatorio axiomate ex hac proſapia hactenus inclaruerunt.

(*c*) Diximus in *Amœnit. liter. l. c. p.* 457. *not. c. ad h. l.* non nihil de meritis reip. Auguſtanæ in edendis bibliorum codicibus, & imprimis de antiquiſſimis nonnullis editionibus, quæ Auguſtæ prodierunt, diſſeruimus. Latius ea poſtea & accuratius enucleavimus, in *collectaneis criticis ad hiſtor. crit. linguæ Germanicæ pertinentibus P. V. p.* 9. *ſeqq* quo loco cum ſatis prolixi eo de argumento fuerimus, liber autem in omnium manibus ſit, maluimus lectorem harum rerum curioſum ad eum locum ablegare, quam quæ ibi copioſe dicta ſunt, hic cum ejus tædio repetere.

Digitized by Google

ſuperat, daremus notitiam, particulam quandam ad hiſtoriam literariam ſacram in patria collaturi.

Auctoris nativitas & ſtudia juvenilia.

§. II. Non ignotum fuit auctoris, OTTOMARI NACHTIGALLI ſive LVSCINII nomen inter ſui ævi eruditos, cum haud una ratione melioris literaturæ reſtaurationem, maxime Græcanicæ eruditionis nitorem ſtudiumque adjuverit, dolendumque, viri de eo eruditionis genere non mediocriter meriti memoriam tantum non noſtra ætate intercidiſſe (*d*). Non ingratum itaque fore confidimus lectori, ſi quæ de eo ſparſim deprehendimus, iterato labore paulo accuratius pleniusque enarraverimus. Fuiſſe patria Argentoratenſem, (in qua urbe ejusque ſchola (*e*) & agro mature & ſub initiis reformatarum diſciplinarum humaniorum, elegantiorum literarum ſtudia caput extuliſſe rerum literariarum ſeculi XV. gnaris ignotum haud eſt) ipſe prodidit, faſſus alicubi (*f*): ſe ab Argentina vitam pariter & rei literariæ primitias olim accepiſſe. Habuiſſe autem Ioannem Ruſcrum, Græce doctiſſimum, præceptorem, & floruiſſe jam in ejus pueritia Græcæ linguæ ſtudium in ſchola Argentoratenſi, patriæ honoris memor, nobis eodem loco narrat. Quo tamen anno orbi Luſcinium dederit Argentoratum, hactenus non exploratum nobis eſt. Illud certum, ante annum clↄ Iↄ XV. jam multis inter eruditos ſcriptis celebre nomen obtinuiſſe (*g*); nec vanis

(*d*) Præter eos, qui ſeculo XVI. ejus meminerunt, ſuo loco indicandos, omnes fere biagraphi ejus obliti ſunt. Nuper diligentiſſimus NICERONIVS T. *XXXII. virorum doctorum biographias* condendo ea, quæ a cel. Schelhornio atque me in *Amœn. liter. l. c.* allata ſunt, in ordinem redegit, ejusque vitam enarravit, qua tamen nec accurata ſatis nec plena eſt.

(*e*) Nempe antequam in publicum gymnaſium erigeretur, quod conſilio Iacobi Sturmii factum anno 1538. ordinante Ioanne Sturmio.

(*f*) *Præf. collectaneorum SS. Græce diſcere cupientibus neceſſariorum, Arg.* 1515.

(*g*) Hoc anno enim jam inclaruerat *collectaneis ſacris Græcis*, itemque ISOCRATIS *paraneſi ad Demonicum*, & *oratione de gu-*

nis argumentis conjicimus, doctoris nomen & axioma, quod ſe habere in pſalterii hujus præfatione prodit, ante hunc annum ſuſcepiſſe, literis Græcis & Latinis elegantiſſime ornatum. Ex quo cum veriſimile ſit, virili jam ætate Nachtigallum eo anno floruiſſe, recte inde infertur, circa annum circiter MCCCCXC. vitæ initium eum feciſſe. Fuiſſe autem ea tempora inter Germanos vix diluculo renaſcentis elegantioris literaturæ memorabilia, & imprimis Græcæ linguæ ſtudium poſt agricolam Reuchlini potiſſimum induſtria urgeri demum cœpiſſe, in vulgus notum eſt. Vnde a veriſimili non diſcedit conjectura, quæ ex Reuchliniana apud Baſileenſes inſtitutione noſtrum Græca quoque didiciſſe, hariolabitur. Cumque ante hunc annum Græcam eruditionem viva voce ſcriptiſque jam adjuverit, privari eo non debet honore, qui eum inter reſtauratores elegantioris literaturæ apud Germanos collocat.

Loca ubi docuit. §. III. Docuiſſe Luſcinium non Argentorati tantum, ſed Viennæ quoque, & in hac quidem univerſitate ſtudiorum muſicæ artis præcepta juventuti tradidiſſe, ex ipſius indicio novimus (*b*). Fecit parta iſta induſtria eruditionis gloria, ut & primæ dignitatis atque famæ viris doctis fieret amiciſſimus, & Argentinenſi quoque ſocietati literariæ adnumeraretur (*i*). Itaque cum Ioannes Schrott, monaſterii ad

D.

bernando regno ad Nicoclem, vid. *cat. bibl. Aug. p.* 574. porro: LVCIANI *Dialogis Deorum*, vid. *ib. p.* 628. 693. MARTIALIS *epigrammatis* 16. *p.* 718. Immo, adſcito Græco *Prognei* nomine jam *anno* 1511. edidit *hendecaſyllabum*, *Vbertini Puſculi Brixienſis duobus Simonidos libris præmiſſo*, *Aug. Vind. apud Io. Ottmar.* vid. cel. SCHELHORN. *Amœn. lit. T. VI. p.* 601. in *inſtitutionum* quoque *muſicarum Argent.* 1515. editarum dedicatione ait, *in frequenti ſe illas olim Viennenſis academiæ auditorio fuiſſe profeſſum.* Tandem ex epiſtola IAC. WIMPHELINGII *præmiſſa ep.* ERASMI *de ſodalitate literaria Argentinenſi* patet, ejus noſtrum membrum quoque fuiſſe anno 1514. conf. cl. BVRCARD. *de fatis L.L. in Germania P. II. p.* 405. 406. Itaque anno 1515. jam celeberrimum fuiſſe oportet.

(*b*) Vid. quæ in *antec. nota* dicta ſunt.

(*i*) Conf. *ib.* Erant autem eo tempore ſodales, Sebaſtianus

D. Vlrici apud Auguſtanos abbas (*k*), S. Benedicti ordini adſcriptus (*l*), de revocanda in fratrum conventum pulchriori doctrina, & imprimis Græcæ

Brant, Iacobus Sturmius, Thomas Rappus, Thomas Aucuparius, Matthias Schurerius, Joannes Rudalfingius, Stephanus Siclerus, Ioannes Guida, Petrus Heldungus, Hieronymus Gebuilerus, Ioannes Ruſerius, Otmarus, alii. Ex quo catalogo amici Nachtigalli cognoſci poſſunt.

(*k*) Dixeramus olim *Amœn. lit. T. VI. p.* 461. abbates Leonardum Wurſtlinum & Ioannem Schrott literariam inquilinis ſuis ſcholam tum erexiſſe, ſecuti fidem excerpti alicujus ex Gaſſerianis annalibus tunc nondum editis. Iam meliora edocti monemus lectorem, delendum eſſe Wurſtlini, ſive Wagneri nomen, ille enim non abbas ſed monachus fuit, ſcribendi artificio celebris, qui teſte KHAMMIO *hier. Aug. P. II. p.* 293. centum diverſarum ſcripturarum librum cæſari Maximiliano I. obtulit, quem noſtris oculis in bibliotheca monaſterii aſſervatum vidimus mirabili calligraphiæ ſtudio commendabilem.

(*l*) Decoctorem fuiſſe hunc abbatem, dilapidandis magis quam augendis bonis monaſterii intentum, chartæ hiſtoricæ illius temporis referunt, ex quibus eam famam repetiit GASSARVS *ann. Augstb. ad ann.* 1505. *ſeqq.* conſpirante, qui easdem conſuluit, BRVSCHIO Transfert totam eam culpam in hæreticorum calamum, viros eccleſiaſticos hoc modo depingentem P. CORBIN. KHAMM. *hier. eccleſ. l. c. p.*291. ſed præter meritum. Vt enim taceamus Bruſchium aliosque idem teſtantes, fatentemque ipſum Khammium, catholicos chronographos ſcribere, derelicta abbatiæ dignitate Schrottum fuga elapſum eſſe, ipſi fratres monachi, Khammio non inficiante, teſtes ſunt, qui eum abbatiæ dignitati nuntium mittere, & parochiam quandam ruralem accipere coëgerunt, quamvis honoris cauſſa ſponte id ab eo factum eſſe, ut ſolet, in inſtrumento reſignationis publico dicatur. Interim non negamus, veriſimile nobis fieri, partim belli ruſtici invidia bonis monaſterii valde diminutis, partim exturbatæ ignaviæ, & revocatarum literarum odio Schrottum preſſum, familiæ huic ita exoſum factum eſſe, ut conſultius duceret, tempeſtati cedere, quam diutius inimicitias ſuorum perferre. Illud certum, virum minime malum de reſtituendo in familiæ ſua literarum honore ſerio cogitaviſſe, fuiſſeque LVSCINII teſtimonio in *præf. ſcript. Græc. moral.* virtutis & literarum præcipuum columen. Neque ſane unquam Matthæus Langius cardinalis favore ſuo dignum Schrottum judicaſſet, ejusque cauſſam ſuſcepiſſet, niſi, quod ſolebat, virtutis & eruditionis cultorem eum eſſe cognoviſſet. Quare facile manus abſolventi ab hac contumelia Schrottum Khammio damus: Gaſſarum autem bona fide illam ab ipſis monachis chronographis

Latinæque linguæ ſtudio ſerio cogitaret (*m*), ab eo Auguſtam anno circiter CIↃ IↃ XVII. (*n*) vocatus eſt, ut ludum literarium in eo cœnobio aperiret (*o*). Quam vocationem Noſter ſecutus in urgenda diſciplinarum repurgatarum cura & viva voce, & libris quoque editis ſtrenuus fuit, & imprimis ad ſacra oracula ex fontibus intelligenda, (quod ſtudium eo tempore caput extollere Auguſtæ ceperat,) reſpexit. In quo cum doctrinam probaviſſet, & magna inter Auguſtanos præclaræ eruditionis, ſacræ quoque, & ad intelligendam ſcripturam ſacram traductæ opinione viveret, a Fuggeris fratribus, qui patroni fuerunt ædis S. collegiatæ ad S. Mauritium, ad docendam eccleſiam vocatus eſt (*p*), forte quod eo tempore Oecolampadius

ſparſam & a catholicis ſcriptoribus traditam repetentem a diffamandi culpa merito liberamus.

(*m*) GASSARVS *l. c.* HARTMANNVS *chron. Aug. P. III. p.* 266. KHAMM. *l. c.*

(*n*) Supra quidem jam obſervavimus anno 1511. Luſcinium Auguſtæ Vindelicorum VBERTINI PVSCVLI *hendecaſyllabum de puero Tridentino* edidiſſe. Aſt concludere inde non licet, eum jam iſto tempore Auguſtam fuiſſe vocatum. Ex loco Wimphelingii enim ſupra laudato clarum eſt, anno 1514. adhuc Argentorati inter primæ notæ viros doctos floruiſſe, conſtat etiam ex ſcriptorum catalogo infra dando, anno 1515. adhuc libros eum apud Argentoratenſes edidiſſe, quin anno 1517. adhuc quosdam Luciani dialogos ab eo Latine verſos prelum Argentoratenſe exercuiſſe. Nihil tamen certi heic dici poteſt.

(*o*) Conſtitutum fuiſſe Luſcinium in monaſterio Vlricano Græcæ linguæ lectorem tradunt GASSARVS & KHAMMIVS. Lectores autem in monaſteriis dicuntur illi, qui ex conventus familiæve religioſæ gremio ad profeſſoris munus obeundum vocantur. Ex quo ſuſpicio nobis olim enata eſt, annon Ottomarus S. Benedicti ordini adſcriptus fuerit, cum vix veriſimile ſit, ab ordinis ſui more abbatem receſſiſſe. Fatemur tamen, contrariam ſententiam plus habere probabilitatis, tum quod mature ex iſto monaſterio Luſcinius diſceſſit, nec in aliud tranſiit, tum quod imagines priſcæ Luſcinii, hodie in urbe noſtra extantes & coævæ, habitum illi monachi Benedictini non affingunt, tum quod ad ordinarii concionatoris munus in templo eccleſiæ iſtius collegiatæ non adhibitus eſſet, alienis vinculis adſtrictus; ut alia taceamus, quæ contra hanc ſuſpicionem militant.

(*p*) Dudum id ſuſpicati ſumus ex *dedicatione pſalterii Nach-*

dius, Rhegius aliique præclaræ doctrinæ viri cauſſam reformari tunc cœptæ religionis magnis eruditionis conatibus adjuvarent, putarentque viri illuſtres, ſimilis doctrinæ famæque virum ipſis opponendum eſſe, qui relictis ignorantiæ aſylis ſplendidiori eruditionis apparatu in receptorum dogmatum confeſſione populum Auguſtanum retineret (*q*). Quod ſtrenue quoque & pro viribus feciſſe Nachtigallum publicorum monumentorum fide conſtat. Quamvis enim veternum ignorantiæ exuiſſet (*r*), & in repurgata quoque doctrina puriore, maxime quæ ad juſtitiam peccatoris apud Deum acquirendam pertinet, multa egregie obſervaſſet (*s*), ſectæ tamen & patronorum ſtudio,

tigalli ad Raymundum & Antonium Fuggeros fratres, cujus rationes *l. c. not. l.* attulimus hic non repetendas. Certiſſime enim jam nobis ea de re conſtat, poſtquam accuratiſſimus rerum Auguſtanarum ſcriptor generoſiſſimus PAVLVS A STETTEN in *hiſt. Aug. c. VIII. p.* 309. ex monumentis fide digniſſimis id confirmavit.

(*q*) Patebit hoc ex dicendis. Erant eo tempore, quod probe monet ſcriptor laudatus *l. c.* Fuggeri unum fere columen Romanæ apud Auguſtanos cives eccleſiæ.

(*r*) Legi merentur præfationes ſcriptis ejus præfixæ, quibus eam, quam de literis tenebat, ſententiam pulchre interdum expreſſit.

(*s*) Pulcherrima ſunt & maximam partem ſana, quæ in annotationibus ad pſalmos paſſim inculcat. Vt paucis fidem faciamus, en ex multis quædam: ad Pſal. V, 5. *Die ir Gerechtigkayt auffrichten, ſeind der göttlichen gerechtigkayt nit underthænig, darum iſt not, das uns Got hierinn leere.* Pſ. I, 2. 3. *Das Geſaz Gottes am erſten iſt ſein vvil und begeren gegen uns darinnen er gefallen hat, vnd dievveil das, ſo in dem alten geſatz gebotten, vil iſt, ſchvver und unmöglich zu volbringen, hat uns Got ain vverck furgehalten fur die all, das vvir glauben in Ieſum Chriſtum ſeinen Geſandten Ioan. 6. durch vvelchen glauben vvir allein mugen rechtfertig gemacht vverden Rom. 3. Dyſer glaub halt innen das ain menſch vveder Vater, Mutter, vveyb, Kind, tod, leben, reychthumb, armut, gevvalt, hoch anſehen verachtung, und in der gemayn nichts anſeh, ſonder alles gut in Chriſto, ſeinem vvort und zuſag, vvie in dem rechten brunnen ſuche, ſich allain in kunftiger glori erfreu, alle zeitliche hab, alſo brauch, als ob ers nit het, vnd alles gemuet allain zu Got richt, aus dieſem erſten folgt das ander, das er gepflanzt vvürt, vvie ain baum zu den lebendigen vvaſſern, die in erfeuchten vverden, das ſeynd*

dio, & fortaſſe æmulatione quoque concionatorum quorundam Auguſtanorum, de quorum eruditione magna apud omnes erat opinio, ductus, tanta vehementia in orationib⁹ ſacris in cives repurgatæ doctrinæ adhærentes invectivis inſurrexit, ut ne ab injuriis quidē abſtineret, hæreticosque & rebelles vocaret. Quod cum magnam illi apud cives Auguſtanos invidiam creaſſet, & diſſidiorum ac ſuſpicionum igniculos, ſub cinere in civitate latentes, ſuſcitaret (*t*), ſenatus providendum rat⁹, ne ex mutua & acerba oratorum publicorum in ſuggeſtu ſacro contentione res publica detrimenti quid caperet, Nachtigallo ab injuriis & contumeliis ſibi non temperanti,

des hayligen geiſtes gaben. Vnd bleibt dazu auch das dritt nit auſs, die frucht zu ſeiner zeyt, dann der alſo geſint iſt mit dem glauben, vnd den hayligen gayſt zu einem lerer bey ihm hat, vvürt one zvveyfel nichts anders handlen, dann vvas zu der er Gottes dient, ſeinen nächſten, dem es not iſt, vvas er vermag, mittaylen, dann im an dem mer gelegen, dardurch Got gelobet vvurt, dann an dem zeytlichen gut, und erzelt ſant Paulus die Frucht ſo von aingebung des hayligen Gayſts vvachſend Gal. 5. Es iſt liebe, freud, fryd, gedult &c. Aus dem allem volgt, das der recht glaub nit ain ſchlechts vverck iſt, das er auch nit müſſig ſtet, ſonder durch die vverck bevvert man den glauben, vvie man durch die frucht des baums gütte, als der herr ſpricht auſs den fruchten vverdet irs erkennen, Matth. 7. Paria habet, licet brevius ad alia Pſalmorum loca ad Pſ. V, 5. ad verba *Erhalt mich vm deiner barmherzigkayt vvillen: Darum vvirt uns geholfen, vnd nit um der vverck vvillen, die hernach volgen, &c.* Conf ad Pſ. XXII, 31. XV, 1. XXIV. ult. Pſal. XXXVIII. ubi in argumento Pſalmi: *Es iſt billich das vvir alle ſæligkayt in ſein erlöſung, und nit in unſere gutten vverck ſezen;* ad Pſ. L. addit: *Hie ſicht man, daſs in unſer natur nichts guts iſt, darum iſt not, das Got von nevven erſchöpf.* Paria ubique fere, imprimis ad ea loca habet, ubi meritum Chriſti, eaque nixa divina miſericordia extolluntur, ubi egregia multa monet. Sed his hac quidem vice non immoramur.

(*t*) Intelligi hæc ſatis non poſſunt, niſi quæ apud Auguſtanos tempore reformatæ religionis ab anno 1520. acta ſunt, ſimul conſulantur, quæ tamen heic loci afferre eſſet extra oleas vagari. Memoratu digniora ſuppeditabunt annales Gaſſariani a B. MENCKENIO inter *ſcriptores rerum Germ. T. I.* editi, & *hiſtoria Auguſtana gen.* STETTENII, qui imprimis ad hunc locum noſtrum *p.* 294. *ſeqq.* eſt conſulendus. Vnum hoc loco monemus, latuiſſe receptæ apud Auguſtanos reformationis patronos ad annum 1524. quo induciis ob religionis partes in comitiis Noricis factis prodiit, quicquid cœcutire amplius nolebat.

ranti, per ſcribam ſenatus, Martinum Heydium, & miniſtrum quendam ſenatus, interdixit, ne in publica urbis via comparere auderet. Interceſſere tamen Gabriel Comes ab Ortenburg, & Georgius Truchſeſſius Waldenburgicus, cæſareis tunc negotiis occupati, cum Auguſta tranſirent, permoveruntque ſenatum, ut ab ea interdicti ſeveritate nonnihil remitteret. Cathedra tamen excluſus eſt Nachtigallus, Fuggerisque injunctum, ut de tranquillo concionatore diſpicerent (*u*).

§. IV. Coëgit hæc ſenatus Auguſtani ſeveritas Nachtigallum, ut Auguſtam relinqueret. Quæ poſt id tempus fata habuerit, nobis certo haud conſtat. CL. IAC. BVRCARDVS, eccleſiaſten poſtea apud Baſileenſes fuiſſe, & Eraſmo amicum, poſtea inimicum extitiſſe, neſcio, qua veriſimilitudine, affirmat. Id certum, ſcripta eum nonnulla Plutarchi Argentorati anno cIↃ IↃ XXIX. edidiſſe, anno cIↃ IↃ XXXI. adhuc floruiſſe, & allegorias pſalmorum Pariſiis anno cIↃ IↃ LI. altera vice prodiiſſe. De reliquis vitæ ejus fatis, quod certum afferam, non habeo. *Vita reliqua*

§. V. Fuit Nachtigallus vir doctus, & elegantioris pariter literaturæ, maxime Græcæ & Latinæ, atque ſacrarum diſciplinarum accurate peritus, diſertus, magni & elati animi, at ſupra modum vehemens, & auctoritatis, quam doctrinæ celebritate acquiſiverat, ita tenax, ut alios præ ſe contemneret, adeo autem intemperantis linguæ, ut facile ad verborum contumelias & injurias in amicos quoque bene de ſe omnique eruditione meritos inveheretur, qua acerbitate non parum, quam ſibi acquiſiverat, famam contaminavit. *Ingenii dona & mores.*

(*u*) Conf. VON STETTEN *l. c.* & quos laudat. Solet quidem in catalogis veteribus concionatorum Auguſtanorum, qui evangelium reſtitutum prædicarunt, Nachtigallus comparere, ſed id perperam fieri ex dictis eſt manifeſtum. Interim non a vero diſſimile, initio eum, ante publica religionis diſſidia ob agnitas probatasque veritates multas Lutheri amicis fuiſſe chariſſimum. Id vel una Sigiſmundi Grimmii amicitia ſuadet, qui Luthero addictiſſimus fuit.

navit. Quamvis autem Ebraicarum literarum parum gnarum fuiſſe, facile largiendum ſit, certum tamen, & ex verſionibus, quas dedit, ſcriptorum Graecorum, Plutarchi, Luciani, Cebetis, Stobaei, anthologiae, item ex progymnaſatis Graecae literaturae, quae vulgavit, manifeſtum eſt, haud vulgarem Graecae linguae notitiam eum prodidiſſe. Interpretationis eam rationem tenuit, ut, judice HVETIO (*x*) collata ſupra modum & plena oratione turgeat, nec ſemper auctoris membris & inciſis inſiſtat, & tamen eum preſſum & attenuatum dicendum eſſe, prae iis, quae a Simone Grynaeo, verboſiſſimo & paraphraſtae ſimillimo interprete edita ſunt. Quem interpretandi modum & ingenio ſuo debuit Luſcinius & mori temporis, quo non recte verſionem dari poſſe viri docti credebant, niſi libero orationis curſu, neglecto fontium ordine, dicendi ubertatem Latina oratione ſectarentur. Id enim Luſcinio accidiſſe, verſiones ejus loquuntur, ex quibus, quemadmodum ex Martiale ab eo edito, manifeſtum eſt, Romanarum elegantiarum & poëſeos non ignarum fuiſſe. Adderemus linguae quoque Ebraicae notitiam, ſi fidendum eſſet titulo pſalterii Latine ab eo verſi, quod a ſe eum, qua fieri potuit, cura & diligentia e Graeco & Ebraicis dialectis Latinitati redditum eſſe aſſerit, id quod etiam Germanicae interpretationis titulus prae ſe fert. Aſt utramque verſionem cum textu originali & verſione LXX. virali comparanti manifeſtum erit, ad hanc ſolam eum attendiſſe, huic preſſo pede inſtitiſſe, Ebraicorum rationem non niſi ex Felicis Pratenſis obſervationibus habuiſſe. Conſtatque ex nonnullis locis (*y*), ne lectionem quidem Ebraei codicis reſpexiſſe, ubi Graeci recedunt. Germanicae linguae eam copiam demonſtravit, quae ab homine in Alſatia nato & educato in iſtius aetatis infantia ſperari poteſt, multo tamen elegantius,

(*x*) *de claris interpret. p.* 274.
(*y*) Vid. *ad Pſalm.* LXXIII. 10.

tius, nervoſius, plenius ſcribit, quam σύγχρονοι καὶ συμπατριῶται alii, interdum ſatis ἐμφατικῶς ſenſum textus exprimit, longoque intervallo Ammanum poſt ſe relinquit. Quin nec philoſophiæ fuiſſe ignarum, conjici poteſt ex libro ejus, cui titulum: Grunnio ſophiſta, præfixit, & in quo de humanæ miſeriæ pelago diſſerit, diſceptans, utrum hominis an bruti animantis natura ad virtutem & felicitatem propius accedat. Quam vero exegeticæ & dogmaticæ theologiæ notitiam habuerit, dandum infra ſpecimen verſionis pſalterii pluribus demonſtrabit. Talis cum eſſet, dolendum ſane eſt, virum doctum & de reſurgenti diſciplinarum honore præclare meritum, debitas laudes linguæ intemperantia, convitiis in viros doctos ſparſis, invectivarum acerbitate, animique inſolentis impotentia ita conſpurcaviſſe, ut bonis onibus inviſus evaderet. Cujus eſſe exemplum poteſt, quod ne trigæ quidem virorum ſua ætate inter eruditos principum, Eraſmi, Hutteni, Melanchthonis famæ doctrinæque pepercerit (z), eamque turpi latratu laceſſere auſus fuerit. Qua intemperie animi calamique meruit, ut pro luſcinio corvi vulturisque nomen obtineret, & hunc in modum in eum Melanchthon luderet (aa):

Quum laceras miſeros crudeli carmine manes,
Nomen erit vultur, non philomela tibi.

§. VI. Diligentiam & eruditionem Nachtigalli demonſtrat librorum catalogus (bb), qualem hic exhibemus: *Scripta reliqua*

I. Vbertini Puſculi Brixienſis libri duo Simonidos ſive poëma heroicum de Simónis pueri Tridentini a Iudæis crudeliter necati martyrio, cum hendecaſyllabo O. Progni, Aug. Vind. 1511.

II. M. Valerii Martialis epigrammata cum inter-

U 5 pre-

(z) CAMERAR. *vita Melanchthon. p. m.* 99.
(aa) Conf. BVRCARD. *l. c.*
(bb) Conf. *Cat. bibl. Aug. bibl. Geſnero - Simler l. c.* SCHELHORN. *l. c.* & ex his NICERONIVS *l. c.*

pretamento dictionum Græcanicarum, quæ paſſim in toto opere continentur. Arg. 1515.

III. Collectanea ſacroſancta, Græce diſcere cupientibus non aſpernanda, præmiſſæ ſunt introductiones elementares Helleniſmi. Arg. 1515.

IV. Iſocratis paræneſis ad Demonicum & oratio de gubernando regno ad Nicodem. Gr. & Lat. ib. 1515.

V. Inſtitutiones muſicæ, Arg. 1515.

VI. Luciani Deorum dialogi numero 70. una cum interpretatione e regione Latina, Arg. 1515.

VII. Senarii proverbiales Græci e Stobæo collecti ſecundum locos communes in ſenarios Latinos converſi Arg. 1521.

VIII. Grunius ſophiſta ſive pelagus humanæ miſeriæ, quo docetur, utrum hominis an bruti animantis natura ad virtutem & felicitatem propius accedat. Arg. 1522.

IX. Sententiæ morales multorum virorum illuſtrium Aug. Vind. 1523. 8. apud Sigism. Grymm.

X. Progymnaſmata Græcæ literaturæ, cum auctario, quo docetur, qua ratione citra præceptoris operam Græce diſcere poteris Arg. 1523.

XI. Dye Evangeliſch Hiſtori, nach aller Ordnung wie ſie ergangen, in ain Red geſtelt, allen Chriſtlichen Gemyeten nutzlich zu betrachten, und zu ainer Gedächtnuſs der Göttlichen Guttat zu machen dienſtlich, von Ammonio Alex. Kriechiſch beſchrieben, und durch Ottmar Nachtigalln Doct. zu Latein und Teutſchen gebracht, Aug. Vind. 1524. ex offic. Symp. Ruef.

XII. Seria jocique, quibus continentur Plutarchi commentarius, docens, quomodo deprehendas, te certo profeciſſe circa virtutem: & epigrammatum Græcorum veterum centuriæ duæ Latinitate donatæ, cum indice & epitome Aug. 1529. Muſurgia quam prodiiſſe 1535. ait VOSSIVS (cc), cum inſtitutionibus

(cc) *De ſcient. mathemat. c. 60. p. 352.*

bus muſicis ſupra enarratis eandem eſſe conjicimus.

§. VII. Facile tamen XIII. principatum inter ſcripta Luſcinii obtinet verſio Pſalterii Davidiei Latina atque Germanica. Et illius quidem veſtibulum hoc titulo ſplendet: Pſalterium Davidis regis & prophetæ, ea qua fieri potuit cura & diligentia e Græco & Hebraicis dialectis Latinitati redditum. Præmiſſæ ſunt allegoriæ pſalmorum Davidis ſecundum literarum ordinem plectra in ſingulos pſalmos, quos rei totius ſummam ſive argumentum appelles licebit; ſcrupi pſalterii vulgatæ editionis, qui lectorem a Germana intelligentia remorantur, Aug. Vind. 1524. Patet autem ex allegoriarum dedicatione, enatos hos labores in Pſalmos Davidis ex prælectionibus in monaſterio habitis, & ex altera ſcruporum, emendandi vulgatæ barbariem ſcopum ſibi Luſcinium fixiſſe. Plura de hoc labore dabit præſtantiſſimus SCHELHORNIVS noſter (*dd*). **Pſalterium Latinum.**

§. VIII. XIV. Germanica verſio hanc habet inſcriptionem (*ee*): *Der Pſalter des Kinigs vnd Propheten Davids, ain ſummari vnd kurzer begryff aller hailigen Geſchrift durch Otmaren Nachtigall Doctorem, von Grund, aus den lxx. vnd Hebreiſcher Sprach art vnd Aygenſchafft zu verſtendigem und klarem hochteütſchen gebracht, dergeleychen vor nie geſchen, ſamlt ayns yeden pſalmen kurtzen innhalt vnd begryff vnd puncten, wie man die verſtön ſol. Vnd wie ſie den Menſchen zu einem Chriſtlichen leben weyſen, Got zu Lob vnd Eer. Mit Kayſerlichem privilegio vnd freyheit auf ſechs jar.* **Titulus libri.**

§. IX. Editionem libri in ſe recepit Sigismundus Grimm Zwickavienſis (*ff*), Auguſtanus civis, Medicinæ **Germanici editor.**

(*dd*) *l. c. p.* 478. *ſeqq.*

(*ee*) Ex bibliotheca celeberrimi polyhiſtoris HIERON. WOLFII, qui tergo libri titulum ſua manu inſcripſit, poſt varias latebras tandem noſtræ ſuppellectili librariæ acceſſit.

(*ff*) Ita enim habet ſubſcriptio in fine: *Gedruckt zu Augſpurg durch Simpert Rüffen Got zu lob und Eer. In Koſten und Verle-*

dicinæ doctor, vir & ipſe melioribus literis tinctus, & ſuis ſumtibus bonorum librorum editioni obſtetricans (*gg*). Plures enim melioris notæ codices imprimis puriorem doctrinam complexi ejus ſumtibus publici juris facti ſunt (*hh*). Vnde & in fine ſymbolum ejus ſignumque adjectum eſt, addita inſcriptione trilingui (*ii*).

§. X.

gung Doctor Sigmunds Grymm. Im Augſtmond Anno &c. XXIV. Eadem eſt ſubſcriptio ſentent. moralium Noſtri.

(*gg*) Hujus luculentum teſtimonium dedit noſter in *præf. ſentent. moral. Græc. Equidem*, ait, *Chriſto O. M. duce, clariſſimus Vir Sigismundus Grimmius, Auguſtenſis medicus ita induxit in animum, ut nullis unquam parcere velit impendiis, dum in hac re bonorum commodet ſtudiis, idque ſedulo præſtare, ne aliorum opera in pari conatu ſuperetur.*

(*hh*) Quo pertinet & *Pſalterium Ammani*, vid. cl. A SEELEN *l. c. p.* 747. & aliquot ipſi libros ex ejus officina prodeunt vidimus. Non poſſumus vero non ea huc tranſcribere, quæ celeberrimus Altdorfienſium theologus B. GEORG. GVSTAVVS ZELTNERVS olim ad nos de hoc argumento perſcripſit. Ita vero vir ſuo jure ſummus: *Sigismundi Grymmii induſtria ſub initium repurgatæ eccleſiæ maxima fuit, librique ejus cura prodiere multi, quorum in vita Vlr. Hutteni Burkardus, & in Boſchenſteinii occaſione Cantici: Da Jeſus an dem Creutze ſtund, ſatis deſcribendis B. Serpilius hinc inde meminere, quosdam & ipſe vidi meisque his manibus tractavi. Digni plerique ſunt, quorum præfationes excutiantur diligentiſſime, utpote quæ rerum iſthoc tempore in republ. & eccleſia geſtarum rationes mirum in modum dilucidare poſſunt. Socium in operis typographicis domi ſuæ promovendis habuit Marcum Wirſungum &c.* Fuit vero iſte Sigismundus Grimmius Zwickavienſis, medicinæ doctor apud Auguſtanos, uxor vero Magdalena Welſerin ex illuſtri & antiqua Welſerorum proſapia, propriumque, ut in libro quodam mſc. annotatum reperimus, habuit pharmacopoleum & typographiam. Chymicis operationibus vero ſua inſumſit, non ſine adverſitatibus. Dedicavit ei Io. Aubanus Teutonicus Bohemus librum *de moribus omnium gentium* conf. CAR. STENGEL. *comm. rer. Aug. P. II. c.* 62. *p.* 251.

(*ii*) Eſt id: *Monſtrorum profligator Hercules, tricipitem canem interimens*, additis ad latera bis lemmatibus: הולי לא אירא מי־יעשה לי ארם, ex *Pſal. CXVIII.* 6. ad dextram; τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα Θεὸς προπάροιθεν ἔθηκεν, ad ſiniſtram: Infra vero: *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Idem ſymbolum ſententiæque moralibus quoque ſententiis noſtri ex eadem officina prodeuntibus ſuffixæ ſunt.

§. X. Viſa externa hujus verſionis libri Pſalmorum facie, tempus eſt, interiorem quoque ejus faciem & conditionem inſpiciendi. Hic vero cum ſe varia oſtendant pluraque obſervatione non indigna, quam quæ brevis hæcce ſcriptiuncula capere queat, pauca tantum eaque ſelecta adducimus verſionis a Luſcinio ſuſceptæ ſpecimina, ut cum aliis, imprimis B. Lutheri tranſlationibus, poſſint comparari, & ex iſtis de toto libro fieri judicium. ***Specimen verſionis.***

Pſalmo I.

1. *Selig iſt der Man, ſo ſeinen wandel nit gehabt hat in dem rath der verachter Gottes, darzu auf dem Weg der Sünder nit geſtanden iſt, vnd in dem ſtul der ſchanden nicht geſeſſen* (*kk*).

Pſalm. II.

6. *Aber ich bin von im zu einem Künig geſezt über Sion ſeinen hayligen berg, daß ich ſeyn gebot predigen* (*ll*).

7. *Der Herr hat zu mir geſprochen, du biſt mein Son, heut hab ich dich geboren.*

12. Er-

(*kk*) Vt mens divini Auctoris eo magis conſtet, adjecit noſter notas primo quidem pſalmo uberiores, reliquis breviores, ex quibus pauca quoque delibaſſe ex re noſtra erit. Ita vero ad h. l. *Dem vver noch vvol zu helſen, der den Rat der Unglaubigen het angenomen, und vverſchon in iren Weg getretten durch die That, vvann er nur noch die forcht Gottes het, underkennet, das es unrecht vver, ſo er aber nyderſizt, und gefelt im ſelbs vvol darynnen, acht es auch fur kain Sünd, ſonder kan im ſelbs recht geben, und entſchuldigung ſuchen in der Ausred über die ſünden &c. mit einem ſölichen iſt es geſchehen, dann er hat die peſtilenz am hals, die in ſelbs verderben vvürt, und darzü auch ander vergifften, dann vvir ſehen, das in diſer Welt ergernis groſſen ſchaden that, ſo ainer auf den andern ſündet und ſpricht, das thun die gevvaltigen, gelerten und hochverſtändigen, es iſt mir auch recht, und bedenkend nit, vvie du hie lieſeſt, das man alle ding nach dem Geſaz Gottes ſol handlen, dann menſchen ſeind menſchen, vvie geleert und gevvaltig die ſeynd Darum hab ich diſe Mainung mit dem ſtul der ſchanden vvollen ausdrücken, dabey du verſtandeſt, das durch ain ſchändlich verruechts leben ſollicher Unrat ervvachs. Der Kriechiſch Text der lxx. hat λοιμῶν, das iſt, manniger peſtilenz, und der hebreiſch der verſpotter &c.*

(*ll*) Secutus noſter τοὺς ό accentuationem Ebræam inſuper habuit, ut ſæpius. Verba vero hæc non de generatione filii æter-

12. Erwiſchend ſein leer, damit der Herr nit erzürne, vnd ir von dem gerechten weg irr geet (mm).

Pſalm. III.

1. Ain Pſalm dem (nn) David, da er flohe vor dem Angeſicht ſeins Sons Abſolon.

2. Herr wie haben ſich die gemeret, die mich betrübend, ir ſeind vil die mich überfallen.

Pſalm. IV.

1. Zum End (oo), in manigfaltigem lobgeſang ain Pſalm dem David.

Pſalm. VI.

7. Ich hab gearbaytet in meinem ſeufzen, mein bedt würd ich alle tag wäſchen mit meinen zæhern, mein Gelyges würd ich gantz erfeuchten.

8. Mein Aug hat ſich von vnmut entricht, darzu bin ich alt worden vnder allen meinen Feinden.

Pſalm. VII.

15. Nembt war, im iſt wee worden zu der boſshayt, er

na, quam interpretationem hic coactam nominat, ſed de reſurrectione Chriſti in notis explicat.

(*mm*) Δράξασθε, *iſt beſſer im Teutſchen zu reden, dann im Latein, und iſt geredt umb der kürze vvillen unſers lebens, das uns täglich entlaufft, darum ſehe ain yeder zu, das er ſich nit verſaum, das iſt ervviſchen.* . Exemplum emphaſeos ex verſione quæſitæ, de qua ne gry quidem in textu originali.

(*nn*) Rationem, cur verterit Auctor, *dem David*, & non *des Davids*, hanc addit: *Weil dabey zu verſteen, das ſie von Got geoffenbaret ſeind vvorden, dem die eer geben vvürt, als dem rechten mayſter, vviev vol ſie David gemacht hat, ſeind ſie im ye doch von oben herab kommen.* Verum Ebræorum h. Genitivum, auctoris imprimis vel poſſeſſoris notare, quis eſt, qui ignoret? v GLASS. *Ph. S. l. IV. tr. I. pag.* 1182. B. DANZ. *Interpret. c. IV.* §. 151. *p.* 202.

(*oo*) Hæc ad mentem τῶν ὁ expreſſa cum Ebræo ita conciliat Luſcinius, ut dicat, ita excitari fideles ad prælium conficiendum victoriamque in fine reportandam: in Ebræo enim dici, victori, למנצח. Vox variis interpretum ſententiis vexata. Vulgatus Græcos ſequitur, Tigurini, *ein ermanlich geſang*, Vatablus: *præfecto citharœdorum peritiſſimo*, Lutherus, *vorzuſingen*, alii aliter; ſollicitatori dicas, cantusque ἐργοδιώκτῃ, vid. quæ erudire notat IO. FORSTERVS *Lex Ebr. p.* 587. SCHINDLER *Lex Pent. pag.* 1151. & poſt eos lexicographi & commentatores alii.

er hat empfangen müe vnd Arbayt, darzu geborn das vbel.

Pſalm. VIII.

1. Zum End fur die Weintrotten (*pp*).

Pſalm. X.

14. Du ſichſt es aber dieweyl du ſollcher arbayt vnd vnwillens warnimmſt, alſo das du in dir ſelbſt in die hend gibſt.

Pſalm. XI.

2. Dayn nymm war, die Sünder haben den bogen aufgeſpannen, vnd die Pfeil verordnet in den Köcher, daſs ſy ſchieſſen, in der dunckle des Mons (*qq*) *die ſo ains rechten herzens ſeind.*

Pſalm. XII.

9. Die Verachter Gotes gænd vmb zu ringweyſs, du haſt die ſun der Menſchen in deiner Pflicht gehabt, alſo daſs ſie in aller maſs, wie du erhöcht ſeind worden (*rr*).

Pſalm. XVI.

6. Die Schnyer (*ss*) *ſeind mir gefallen in den meinen*

(*pp*) Torcular, a tretten.

(*qq*) Hæc ita explicat Luſcinius: *Si nemen inen etvva ain ſchein der Gerechtigkayt für, damit ſie fug haben, die vvarhayt unter zu drucken, es iſt aber alles finſter, die vvarhayt iſt klar und lautter, bedarf ſölcher fünd nit.* In Ebræo nihil de luna, & Græcorum quoque vox σκοτομήνη, quam expreſſiſſe vult auctor, nihil aliud niſi noctem illunem, adeoque craſſam caliginem notat, quam inſidiatores eligunt ne detegantur. Fruſtra itaque eſt auctor hac obſervatione.

(*rr*) Hæc ita explicat: *Got hat geſtattet, das die Verachter Gottes ſeynd in ſöllichen Eren hie gehalten vvorden, als ob ſie vvarlich Gott vværen.* Græci, quos noſter ſequitur: Κύκλῳ οἱ ἀσεβεῖς περιπατοῦσι, κατὰ τὸ ὕψος σου ἐπολυώρησας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Vox πολυωρεῖν varie jam veteribus accepta. Theodoretus: ὕψος μὲν τὴν δύναμιν λέγει, πολυωρίαν δὲ τὴν πολυχρονιότητα· ἵνα ᾖ τὸ λεγόμενον τοιοῦτο διὰ τῆς σῆς ἰσχύος πολυχρονιότητα, καὶ αἰώνιον ζωὴν δέδωκας, μετὰ γὰρ τὴν σωτήριον ἀνάστασιν εἰς ἀπεράντους αἰῶνας τὰ τῆς ζωῆς ἡμῖν ἐκτείνεται· ἄλλος, ἐπολυώρησας, πολλῆς φροντίδος ἠξίωσας. Multa hic dicta, de quibus nihil in Ebræo textu, qui propter conciſam brevitatem aliquantum obſcurus eſt. B. Lutherus noſter παραφράζει.

(*ss*) Addit in notis: *Mit den ſchnyeren hat man vorzeyten die Felder ausgemeſſen vnd getbailt.* Ita & Lutherus Joſ. XVII. 5. 14. Deut. XXXII. 9.

nen allerbeſten, vnd warlich iſt mir mein erb das allerbeſt.

Pſalm. XVII.

20. Mein feind haben mein ſeel vmbſeſſen, ir ſchmer (tt) verſchloſſen, ir mund hat geredt übermut.

Pſalm. XVIII.

9. Es iſt ain Rauch aufgangen in ſeinem zorn, vnd das feur würt ſich vor ſeinem angeſicht entzünden, die kolen haben von im anheben zu brynnen.

10. Und er hat die Hymel hinab gebogen, vnd iſt abgeſtygen, auch iſt die dunckle vnter ſeinen füſſen.

11. Er iſt dazu geſeſſen auf die Cherubim (uu), vnd geflogen, er iſt geflogen auf den federn der winde.

Pſalm. XXI.

13. Du wirſt ſie dazu bringen, das ſie dir den rucken bieten, vnd ir angeſicht verordnen zu den verlaſſnen (xx).

Pſalm. XXII.

14. Si hond gegen mir aufgethon ihren mund wie ain zukender vnd lühender lew.

Pſalm. XXIV.

2. Er hat es auf das Meer, wie auf ſeine grundfeſte geſetzt, vnd auf die flieſſende waſſer nidergeriſtet.

Pſalm. XXXII.

9. Ir ſolt nit werden wie das Pferd vnd der Mauleſel, die kainen Verſtand haben. Mit dem gellbiſs vnd dem zaum ſollſtu ire backen nöten, die ſich zu dir nit næhnen.

Pſalm.

(tt) *Sie vermaynten ain fayſste beut an mir zu haben.*

(uu) *Zu hebraiſcher ſprach iſt Cherub ein Vogel, vnd iſt die Mainung, Got iſt geſchvvebt in den Lüfften, alſo daſs er auch auf den Voglen geritten iſt.*

(xx) *Die verlaſsnen ſeind, die Got nit zu im nymmbt, das iſt, die verdammbten, und iſt das der ſyn, die veracbter und durchæchter Gottes vverden im den rucken bieten, ſo er ſie jagen vvürt, vnd vor augen haben die hell, darein ſie muſten zu den verdambten, das inen faſt peinlich vvürt ſein.* Hic a Græcis quoque abit, qui una cum Aquila aliisque videndi apud LAMB. BOS. *ad h. l. p.* 735.

Digitized by Google

Pſalm. XXXV.

20. Dann ſie redtend wol frydſame Ding mit mir, aber baymlich haben ſie liſt erdacht (*yy*).

Pſalm. XL.

5. Sælig iſt der Man, des aynige hofnung iſt der nam Gottes, vnd hat nit geacht der vnfruchtbaren œden ding (*zz*) *auch nit der ſynnloſen vnwarbayt.*

7. Lebendige und ander opfer haſtu nit begert, ſonder den leyb mir verordnet vnd zuberayt (*a*).

Pſalm. XLII.

9. Bey tag hat der Herr ſein erbermd gebotten, vnd bey der nacht dieſelb erzaygt (*b*).

Pſalm. XLV.

4. Gürt din ſchwerd auf die ſchamb, du gewaltiger (*c*).

Pſalm. XLVIII.

15. Er wurt vns waydnen wie ain hirt in ſeinem regiment imer vnd ewiglich (*d*).

§. XI.

(*yy*) Obſervat hic: *ἐπ' ὀργὴν, der das groſs Etymologicon hat gemacht, zaygt vrſach an, vvarumb man hier nit zorn ſoll leſen, ſonder haymlich, und beduncket mich auch, es laut alſo baſs, vergleycht ſich auch dazu mer mit dem hebreiſchen*, vid. BOS. *ad h. l.*

(*zz*) *Die auſſerhalb des glaubens ſeynd. Rom.* 14.

(*a*) His hunc ſenſum eſſe putat: *Die Opffer ſeind ein ſchätt und bedeutung gevveſen in dem alten geſaz, darum ſo der leyb, der den ſchatten macht, das iſt die vvarhayt kommen iſt, bedürffen vvir des ſchatten nit mer. Rom. X. Eſ I.* Alii hæc de humana natura aſſumta intelligunt, nihil de obedientia per aurem ſervi perforatam indicata dici contendentes, vid. FR. IVN. *parall. p.* 1605. AL. MORVS *ad h. l.* THEOD. AKERSLOOT *ad Ebr. X.* 6. *p* 761. PH. A. LIMBORCH *ad Ebr. l. c. pag.* 657. qui tamen ſuæ parti ſervit, conf. quæ ex Græcis adducit L. BOS. *ad h. l. p.* 747.

(*b*) Subjicit Noſter: *Die alten haben all ἐδήλωσεν, vnd nit ᾠδὴ αὐτῷ geleſen, nemlich Arnobius und Auguſtinus, vnd iſt der beſt ſynn meines bedunckens &c.* Poſterior lectio eſt Codicis Alex & Editt. Complut. & Aldin. prior. Cod. Romani, quorumdam Patrum, Pſalt. vet. & Aethiop.

(*c*) *Wird Menſch gebohren vnd gib damit zu verſteen die krafft deines Worts.* Conf. JAC. LYDIVS *de re milit. l. III c.* 8 *p* 205.

(*d*) In Ebræo dicitur עַל־מוּת, quæ vox varias interpretationes paſſa eſt, vid. PAVL. SLEVOGT. *diſſ. acad. p.* 1438. *ſqq.*

X

Iudicium de eo. §. XI. Hæc ſunt, quæ ex multis, quæ in hac Pſalmorum verſione memoranda occurrunt, excerpenda nobis viſa ſunt, ut de ea aliquod daremus exemplum atque ſpecimen. Non vulgarem vero hæc produnt Græcæ linguæ cognitionem & eruditionem pro iſtorum temporum conditione minime ſpernendam, animum præſertim puritate doctrinæ ſacræ mature, & ſub ipſis fere repurgatæ eccleſiæ auſpiciis ex parte imbutum, quia vero auctor Græcos interpretes duces ſibi conſtituit, mirum non eſt, eum ab Ebræi textus veritate interdum recedere. Ceterum quam benignis radiis ſub ipſam redeuntis Evangelii auroram Auguſtam illuſtraverit (*e*), & ſuſcipiendæ ibi quoque reformationis fundamenta iſtis laboribus poſuerit divina gratia, novum ex hoc libro grato erga divinam benevolentiam animo capimus argumentum. Dolemusque auctorem illi manus poſtea ſubtraxiſſe.

Græci ad puncta non attenderunt legentes עולמות, *εἰς τοὺς αἰῶνας* quos ſequitur noſter, more ſuo.

(*e*) Mature, immo, ſi dicendum quod res eſt, ante initia reformationis a B. Luthero ſuſceptæ variæ veritatis ſcintillæ e tenebris pontificiis eluxere Auguſtæ, ingruentem diem annunciaturæ. Ita in libello, cui titulus: *Spiegel der krancken vnd ſterbenden Menſchen*, *Aug. Vind.* 1498. edito ita ægrotus compellari jubetur: *Seze allen deinen Troſt in den Tode Criſti, vnnd bevilhe dich im ganz, vnd ob dir furgehalten vvirt dein Verdampnuſs, ſo beſchirme dich allein durch den Tode Chriſti des herren, und hab ganzen vvillen, dich zu vereinen mit ſeinem vvillen vnd ganz hoffen, er vverde dich heylvvertig machen ſeiner bittern marter, vnd das du allein durch ſein verdienen ſælig vvirſt &c. cap. X.* vero S. ſcripturæ lectio admodum commendatur, *c. XII.* magnæ barbariei, quæ iſta tempora preſſit cauſſa indicatur inſcitia concionatorum & inopia virorum doctorum. Paria vero ex alio libro *Auguſtæ* 1488. ſub titulo; *Spiegel des menſchlichen lebens*, edito adducere poſſemus, ubi graphice in vitia cleri pontificii, rapinas, adulteria, impoſturas, impietatem, quæque reliqua ſunt, inſurgit Auctor, ſi id jam ageremus, nec id eſſet vagari extra oleas. Sarcinulas igitur colligimus & ſcriptiunculæ huic imponimus finem.

OBSERVATIO IV.
De verſione Italica hypotypoſeon PHILIPPI MELANCHTHONIS.

§. I.

NOtitiam libri tibi exhibemus, lector bibliophile, quo vix rariorem & notatu digniorem exſtare, omnes, quæ alias libri raritatem evincunt, circumſtantiæ loquuntur. Nam ita rarus, ita paucis viſus eſt, ut viri in his literis ſummi, & in rarioribus libellis inveſtigandis longe feliciſſimi, eum inter fictitios libros, & ex errore tantum vel fabula quadam enatos, retulerint (*a*). Adhæc, ipſæ textus originalis editiones cum per ſe raræ ſint, immo rariſſimæ (*b*), *Libelli raritas*

 hæc

(*a*) Teſtes hic volumus duumviros, in hiſtoria literaria magnum nomen adeptos, & ſingulari in libris raris perquirendis felicitate gaviſos, plurimum reverendos viros, *Io. Georgium Schelhornium*, amicum noſtrum per multos annos longe jucundiſſimum, & *Io. Vogtium.* Quorum ille in amœniſſimis *amœnitatibus literariis Tom. VII. pag.* 109. ſermone de hoc libro inſtituto, ſcribit: *Neminem novi, qui eum librum, iſtud nominis in fronte gerentem, ſe unquam vidiſſe, profeſſus fuerit.* Hic vero in *catalogo librorum rariorum*, nuper inſigniter *aucto*, *pag.* 381. relata quoque *Scaligeri* relatione, de qua poſtea, eadem prorſus repetit, & *Schelhornianam* ſententiam confirmat. Cui non leve pondus accedit, quod non tantum omnes, quotquot hujus libelli mentionem faciunt, uno *Scaligeri* ore loquantur, adeoque eum ipſi non viderint, ſed & ipſe *Scaliger* non ex inſpectione, ſed relatione amici, eum noverit. Primus, & quidem hactenus unicus, qui librum videndi, &, quod re vera exſtet, indicandi, occaſionem habuit, eſt B. *Chriſt. Aug. Saligius*, qui ejus ex celeberrima bibliotheca sereniſſimi Principis Guelpherbytani deſumti indicium fecit in optimæ frugis plena *hiſtoria Aug. confeſſ. P. III. pag* 532. in *annotat.*

(*b*) *Hypotypoſeon*, ſeu *locorum communium*, *Philippi Melanchthonis* primas editiones, quæ ſcilicet ab anno 1521. ad 1533. prodierunt, ubi totam earum faciem *Philippus* mutavit, eſſe rariſſimas, ignotum illis eſſe nequit, qui reformationis hiſtoriam literariam didicerunt Nam & pauca initio deſcribebantur exemplaria, & in tantis animorum de religionis negotio motibus avide

hæc longe rarior verſio ſe eo magis raritate ſua commendat. Habet auctorem virum in eccleſiæ hiſtoria longe celeberrimum, & de ejus reformatione & puriorum ſacrorum reſtitutione poſt *Lutherum* omnium meritiſſimum, immo & bonarum artium cum evangelica doctrina inſtauratorem feliciſſimum, cujus libros primæ editionis inter rariſſimos referri, quod ſint αὐτόγραφοι, id eſt, vivis tantis auctoribus editi, harum literarum peritis ſatis notum eſt. Libri porro exhibemus notitiam, in ipſo veritatis cœleſtis, in Italia quoque orientis, diluculo, veriſimili ratione in celeberrimo quodam & rarorum librorum parente typo-

coëmebantur & diſtrahebantur, unde ſingulis fere annis editionem repetere neceſſe habuit *Melanchthon.* Omnium tamen rariſſima eſt editio prima, A. 1521. 8. Vitebergæ edita, niſi anno 1520. primæ ejus lineæ publici juris factæ ſint, quod præfatio nobis ſatis luculenter innuere videtur; (conf. *præfationem editioni Tomo I. operum pag.* 147. inſertæ præfixam,) etſi certum quoque eſt, A. 1521 demum iſtas *Hypotypoſes* perfecta forma lucem vidiſſe, unde corrigendus eſt *Seckendorfius*, qui in *hiſt. Luth. ſuppl. ad Ind. primum* §. 48. annum 1520. ponit. Illam enim editionem ſuo tempore diſparuiſſe, conqueritur *Leonhardus Hutterus* in *locis theol. fol.* 9.; unde merito gratiæ agendæ ſunt ven. *Herm. von der Hardt*, quod, laudabiliſſimo inſtituto, libellum ad cognoſcendam primam eccleſiæ reformari & emendari cœptæ faciem *hiſtoriæ reformationis literariæ P. IV. art.* 6. *pag.* 28. *ſeq.* inſeruerit Conf. *ejusd. Avtographa Lutheri Tom. I. pag.* 12. *Altes und Neues* 1728. *pag.* 194. rev. *Vogtii catal. libr. rar. pag.* 382. & alii. Nos non iſtam quidem primam Vitebergenſium editionem, cujus tamen duplex in bibliotheca Guelpherbytana occurrit exemplar, vidimus; præſentem tamen intuemur & poſſidemus ejusdem a. 1521. editionem Baſileenſem, & a. 1522. Argentoratenſem, utramque cum Vitebergenſi exacte convenientem, itemque verſionem Germanicam, ea, quam *Iuſtum Ionam* concinnaſſe, & anno 1536. ad electorem, hunc ad *Lutherum*, revidendam detuliſſe, refert illuſtr. *Seckendorfius hiſt. Luth. Lib. III.* §. 50. *pag.* 142. multo antiquiorem, editam A. 1522. 4. hoc titulo: *Der Haupt-Artickel und fürnemſten Puncten der ganzen hayligen Schrifft, durch Magiſter Philipp Melanchthon Lateiniſch gemacht, und folgent verteutſcht, ayn vvunderguts Biechlin von allen Stenden der gantzen Chriſtenhayt dienlich.* Cujus verſionis auctor, niſi fallimur, *Georgius Spalatinus* eſt. Quia vero *Philippus* in ſingulis fere editionibus quædam mutavit, id quod in plerisque libris ſuis feciſſe eum, opportune notavit ven.

typographeo excuſi, & teſtis veritatis, caput extollentis inter mediam aulæ Romanæ contra evangelium tyrannidem. Librum tibi deſcribimus, & in ſe paucæ molis, & exemplarium prima mox diſtractione rarum factum, imo, quod raritatem ejus ad ſummum faſtigium evexit, ultricibus flammis ita deletum, ut vix duo exemplaria conſervaverit Germania. Quis non, tot librorum rarorum criteriis in unum conſpirantibus, libellum hunc albis corvis rariorem eſſe, fatebitur? Cum vero non communi librorum rariorum conditione prematur, qui plerumque, quo rariores ſunt, eo pejores eſſe deprehenduntur, ſed inter libros optimos, & qui ad ſanctiſſimarum doctrinarum puritatem reſtituendam plurimum inter noſtros, imo etiam inter adverſarios, contulere, primo loco referatur; non ingratum fore lectori bibliophilo putamus, ſi, quæ de eo ſciri poſſunt, omnique adhibita a nobis induſtria exquiri, cum eo communicemus.

§. II. Titulus vero libelli, quem non præſentem tantum intuemur, ſed & proprium aliqua literaria felicitate poſſidemus, hic eſt: *I principii della Theologia, di* Ippofilo da terra negra. *Con gratia & privilegio.* Neque vero locos impreſſionis, neque typographi nomen, vel etiam annus editionis, additus eſt, conſtatque paginis, vel foliis potius, (averſa enim paginæ pars numero non ſignata eſt,) octoginta ſeptem; **Titulus**

 eſt

Krafftius in *emendandis & corrigendis ad hiſt. verſion. germ. bibliorum Lutheri, a Io. Fr. Mayero conſcriptam, pag.* 30.; hinc egregiam ſymbolam ſacræ hiſtoriæ reformationis adjiceret, qui, conquiſitis editionibus iſtis uſque ad annum 1533. quo libri faciem mutavit *Philippus*, & collatis inter ſe, mutationum indicia daret, &, qua ratione in poſterioribus *locorum communium* editionibus ab iis receſſerit, exponeret, ſimulque totam celeberrimi operis hiſtoriam explicaret. Etſi enim id facere contendit *Georgius Frid. Stiberus* in *hiſtoria theologiæ dogmaticæ Lutheri & Melanchthonis, Lipſiæ anno* 1712. 8. edita, & quædam etiam erudite poſt cel. *Hardtium loc. cit.* monuerit B. *Io. Franc. Buddeus* in *Iſagoge in hiſt. theol. liter. P. I. pag.* 383. *ſeq.*; ea tamen non impediunt, quo minus accuratam & argumento ſuo aptam hiſtoriam hujus celeberrimi libri avide optemus.

eſt quoque omiſſa præfatio ad *Tilemannum Pletenerum*, quem Stolbergæ ad Hercyniam paſtorem fuiſſe, ex dedicatione verſionis vernaculæ patet.

Fata. §. III. Manſiſſet vero in obſcuro, & erepta non manibus tantum & oculis, ſed & memoriæ hominum ſubducta fuiſſet hæc *Hypotypoſeon Melanchthonianarum Italica verſio*, niſi fata libelli inter Germanos ignoti nobis enarraviſſet *Ioſephus Iuſtus Scaliger*, ex cujus ore *dictorum ejus fortuitorum* collectores ſequentia notaverunt, quæ, licet ſæpius ab aliis adducta, hic tamen neceſſario repetenda ſunt, quia nobis libelli hiſtoriam & fata, & ſimul cauſſam inſignis raritatis, enarrant. Ita vero dicto loco, articulo *Rota* (*c*): *Parlamentum Papæ vocatur Rota. Hujus erat conſiliarius, qui nunc eſt cardinalis, vir bonus, Monſignor Seraphino, qui dixit mihi: nos habuimus hodie litem jocoſam; impreſſi erant loci communes Philippi Melanchthonis Venetiis cum hoc titulo: per Meſſer Philippo di Terra nera* (*d*). *Et illi loci communes miſſi Romam per annum integrum emebantur, & legebantur cum magno applauſu, & jam non amplius reperiebantur, ita, ut oportuerit iterum petere Venetiis. Tandem Franciſcanus quidam agnovit librum, & dixit, ſe habere eosdem locos, Lutheranos eſſe Melanchthonis. Volebant mulctare typographum, qui non legerat fortaſſe. Ipſi eſt remiſſum, & exemplaria combuſta & ſuppreſſa. Ita ſpectatur, non quid, ſed quis, dicat.* Ex hac *Scaligeri* relatione omne illud dimanavit, quod apud viros doctos de eadem relegimus, quorum nemo libellum ipſum vidit, ſed ad *Scaligeri* fidem quilibet narrationem retulit. Videndi *Wagenſeilius* (*e*), *Morhoſius* (*f*), *G. Fr. Heupelius* (*g*), *Vincentius Plac-*

(*c*) *Scaligerana ſecunda pag. m.* 207.

(*d*) *Scaligerum* librum ipſum non vidiſſe, vel ex ſolo, minus accurate relato, titulo patet. Non enim *Philippo*, ſed *Ippofilo*, & Guelpherbytanum & meum exemplar habent.

(*e*) in *Telis igneis ſatanæ pag.* 18.

(*f*) in *Polyhiſtore Tom. III. Lib. IV.* §. 17. *pag.* 539.

(*g*) in *ſylloge amœnitatum hiſtorico-criticarum n. LX.*

Placcius (*b*), *Iac. Fr. Raymannus* (*i*), *I. G. Schelbornius* (*k*), *Io. Vogtius* (*l*), *Io. Chr. Wendlerus* (*m*), *G. F. Stieberus* (*n*), *Io. Franc. Buddeus* (*o*); ex Gallis *Colmeſius* (*p*), *Dupinius* (*q*), *Teiſſierius* (*r*), *Bailletus* (*s*). Omnes enim titulum minus recte referunt (*t*).

§. IV. Nos non quidem certiora multa promittere curioſo lectori poſſumus; faciamus tamen periculum, quousque conjecturis, ſua probabilitate non deſtitutis, hiſtoriam libelli, quoniam eo præſente utimur, aſſequi liceat. Et, quod primo quidem ad auctorem attinet, fictitio illo nomine *Philippum Melanchthonem* denotari, & *Scaliger* retulit, & ipſa celeberrimi theologi nominis ſignificatio prodit. Vt vero larvatus incederet, nulla alia cauſſa fuiſſe videtur, quam ut nomen auctoris, atro carbone jamjam in aula pontificis notatum (*u*), tutius lateret, liberque eo ſecurius legeretur. Nec dubitamus hoc arti- **Auctor**

 ficium

(*b*) in *theatro pſeudonymorum pag.* 58.
(*i*) in *Introd. in hiſt. liter. Sect. III. Lib. IV. pag.* 123.
(*k*) in *amœnit. liter. Tom. VII. pag.* 109.
(*l*) in *catalogo librorum rariorum pag.* 323. *ſeq.*
(*m*) in *diſſert. de meritis quorundam theologorum eccl. ev.* §. 4. *pag.* 34.
(*n*) in *hiſtoria theol. dogm. Lutheri & Melanch.* §. 23. *p.* 156.
(*o*) in *Iſagoge in hiſtor. theol. liter. P. I. pag.* 385.
(*p*) *Remarques ſur les Scaligerana pag.* 263.
(*q*) *Bibliotheque des Auteurs ſeparez de la communion de l'Egliſe Romaine Tom. I. pag.* 58.
(*r*) *Eloges de Mr. Thou & Teiſſier Tom. II. pag.* 29.
(*s*) *Iugemens des Savans Tom. V. P. II. des Auteurs deguiſez pag.* 462.
(*t*) Ab his enim omnibus Auctor ex ore *Scaligeri* vocatur *Filippo*, qui tamen in ipſius libri fronte *Ippoſilo* vocatur, id quod primus notavit, qui librum vidit, cl. *Saligius loc. cit.*
(*u*) Vix ediderat contra *Thomam Radinum*, *Lutherum* anno 1520. Romæ publica oratione allatrantem, *Melanchthon*, fictitio *Didymi Faventini* nomine uſus, *orationem pro Luthero*, quæ *T. II. Opp. pag.* 38. exſtat, cum *Ioannes Cochlæus* anno ſequente *confutationem abbreviatam adverſus Didymum Faventinum Philippi Melanchthonis* conſcriberet, quæ tamen demum *Lipſiæ anno* 1534. edita eſt, in qua recens elapſas prelum *Hypotypoſes Melanchthonis*

ficium cum *Bailleto* (*x*) imputare amicis *Melanchthonis*, vel potius veritatis evangelicæ aſſertoribus clandeſtinis (*y*), quos & ſimili inſtituto *Lutheri* & *Buceri* libros perſonatos in Italia evulgaſſe, ſatis notum eſt (*z*).

Editio. §. V. Ipſe libellus Venetiis editus eſt, etſi locum titulus non præ ſe ferat. De eo enim nos teſtimonium *Scaligeri*, qui ex ore cardinalis *Seraphini* id accepit, dubitare non ſinit. Quem vero typographum editorem habuerit, hariolando difficile quidem eſt; non tamen

ita ſuis commendat, ut canina rabie in eas detonet, & id rogum poſtulet. *Vidi heri*, ait, *quos jam edidiſti, locos communes, ſeu Hypotypoſes theologicas, novum plane Alchoranum. Qui tanto pernicioſior erit Babylone Lutheri, ſi non ſtatim deleatur de terra viventium, quanto eſt tibi, quam illi, & ſtilus ſuavior, & ingenium nobilius.* Sed & reliqua legenda ſunt, quæ excerpſit ex libello rariori cl. *Schellhornii* diligentia *amœn. liter. Tom. VII. pag.* 106. in quibus optat, ut mox Vulcano libellum tradere poſſet. Talibus ſyſtaticis commendatas hypotypoſes *Melanchthonis*, *Radino* Romano in furias a *Melanchthone* acto, quis, aperto auctoris nomine, in Italiam deportare fuiſſet auſus? Aliud ſpecimen odii pontificii in hos locos communes ſunt *Alphonſi Hiſpani Invectivæ Philippicæ.*

(*x*) *loc. cit.*

(*y*) Inter hos, præter Auguſtanos *Lutheri* & *Melanchthonis* amicos, (in qua urbe amplum ſemper cum Italis fuit commercium, & multa converſatio,) meretur imprimis notari *Calvus*, bibliopola Papienſis, de quo *Io. Frobenius* in *Epiſtola ad B. Lutherum*, quam legimus apud *Stiberum loc. cit. pag.* 70. *ſeq.*, ita: *Calvus quoque, bibliopola Papienſis, vir eruditiſſimus & muſis ſacer, bonam libellorum* (Lutheri) *partem in Italiam deportavit, per omnes civitates ſparſurus. Neque enim tam ſectatur lucrum, quam cupit renaſcenti pietati ſuppetias ferre, &, quatenus poteſt, prodeſſe.*

(*z*) Explicationem orationis Dominicæ, quam *Lutherus* conſcripſit, Venetiis Italico ſermone, omiſſo auctoris nomine, editam cum applauſu, refert *Io. Matthesius* in *vita Lutheri Conc. XV. p. m.* 177. *b.* De *Bucero* vero ita *Io. Sturmius* in *Anti-Pappo IV. P. I. pag.* 11. *Bucerus in pſalmis explicandis verſabatur, neque quisquam omnium eſt, qui plura tunc ſcripſerat, quam Bucerus. Capito quædam in lucem ediderat, non tam ſuo judicio, quam amicorum ſtudio divulgata. Habebat autem tum Bucerus commentarios pſalmorum, quos Aretii Felini nomine inſcripſit, opus valde vendibile, etiam cardinalibus & epiſcopis laudatum, dum verus auctor ignorabatur.* Conf. *Morhof. polyhiſt. Tom. III. Lib. V. pag.* 539. & imprimis *Bailletus T. V. Jugemens P. IV. n.* 1. *pag.* 465. *ſeq.* & Colo-

tamen a vero longe abeſſe putamus, ſi ad prelum *Manutianum* a *Paulo* A. 1533. reſtitutum (*aa*), referamus. Literæ enim, charta, modus ſignandi primas capitum literas, aliæque circumſtantiæ, mere cum *Manutianis* conveniunt. Et tempus quoque coincidere poſtea videbimus.

§. VI. Cum vero nec annum editionis adſcriptum libellus habeat; ille quoque meris conjecturis definiendus eſt, quibus tamen libellus ipſe argumenta quædam ſuppeditat. Eſt enim hæc verſio adornata ad editiones *hypotypoſeon* primas, & quidem ad eam, quæ *Auguſtæ Vindelicorum A. 1524. 8.* ex *typographeo celebris medici, Sigismundi Grimmii*, prodiit (*bb*), & in **Annus**

meſius ad *Scaligerana pag.* 263. Ita exſtat quoque *Calvini Catechiſmus in Italicum ſermonem*, nec loco, nec auctoris nomine, commemorato, *translatus*, & *anno* 1545. 8. editus. Vt alios proteſtantium libros, pari artificio in Italia typis impreſſos & divenditos taceamus. Immo, in ipſo *Indice prohibito rio Hippophili Melangæi Comm. in Ev. Matthæi* prohiberi, quid aliud ſuadet, quam ſub hac larva hunc quoque librum noſtri in Italiam excurriſſe?

(*aa*) Vt conjecturæ noſtræ ſua veriſimilitudo conſtet, ex hiſtoria typographei *Manutiani* repetendum eſt, poſt mortem *Aldi* & *Andreæ Aſulani*, ſoceri, ita res *Manutianas* perturbatas fuiſſe, ut *Franciſcus* & *Fredericus Aſulani*, qui una cum patre ab obitu *Aldi* curam rei typographicæ in ſe ſuſceperant, prela per quatuor annos, 1529. 1530. 1531. & 1532. quieſcere ſinerent. Vid. *Vict. Trincavelli præfatio* ad *Gaſpar. Contarenum*, *Themiſtio*, *ex Aldina officina edito anno* 1534. *præmiſſa*, anno vero 1533. *Paulus Manutius*, conſilio, opere, & induſtria *Ioannis Baptiſtæ Egnatii*, typographiam parentis, pulcherrimis characteribus ornatam, inſtauravit, narrante *Georgio Logo*, nobili Sileſio, in *præf.* ad *Gratii Poema*, *anno* 1534. apud *Manutium* editum. Hoc itaque anno *Paulus* libellum imprimere facile potuit. Accedit vero & aliud, quod non exiguam nobis veri ſpeciem ſuadet. Conqueritur *Manutius Epiſtolarum Lib. I. Ep. 7. de inimica natione virtutis ac diligentiæ, quæ & patri ſuo negotium exhibuerit, & ad ſe vexandum atque opprimendum conſpiraverit, ita, ut durius habuerit negotium, ut ſuas fortunas in tuto collocaret.* Hæc verba ſi cum narratione *Seraphini*, Cardinalis, conferantur, non improbabile fit, *Manutium* eum typographum fuiſſe, qui vix a mulcta ſe liberaverit, manibusque inquiſitionis ſe extricaverit.

(*bb*) Debemus hæc benevolentiæ reverendiſſimi eccleſiarum Guelpherbytanarum præſulis ſummi, *Io. Bern. Haſſelii*, qui

in qua varias emendationes & additiones atque variationes à prima editione *Melanchthon* adhibuit. Cum vero A. 1533. aliam plane libro faciem indueret *Philippus*, quæ, nomine ejus per Auguſtanam Confeſſionem per omnem orbem pervulgato, facile intra anni vel biennii ſpatium in Italiam penetrare potuit; non inepte inde conjicere licet, poſt annum 1534. vel 1535. verſionem hanc adornatam non fuiſſe (*cc*). Additur vero huic libro Italico in fine admonitio ad lectorem, in qua duæ retractationes, de quibus poſtea, auctoris referuntur. Inter has eſt ſententia de illicitis Chriſtianis litibus coram magiſtratibus, quam epilogi hujus auctor monet revocaſſe *Melanchthonem* peculari ſcriptione: *An licitum ſit Chriſtianis litigare.* Hæc etſi inter opera *Melanchthonis*, immo & alias ejus opuſculorum collectiones non occurrat (*dd*); conſtat tamen, editam eſſe an. 1529. 8. (*ee*) Cum ita-

non tantum, noſtris precibus exoratus, exemplar Italicum, in bibliotheca ducali aſſervatum, cum noſtro contulit, ſed & cum variis editionibus, ob variationes inter ſe diverſas, comparavit, unde denique compertum eſt, hanc Auguſtanam editionem interpretem ab oculos habuiſſe. Id quod conjecturam confirmat, pariis amicis *Melanchthonis* Auguſtanis, quos ſibi in comitiis celeberrimis comparaverat, poſt annu 1530. hanc verſionem Venetiis ſuſceptam, & circa hos annos editam fuiſſe.

(*cc*) Alias dubium non eſt, quin interpres, vel qui ei hunc libellum vertendum commendavit, novam, eamque mutatam ſatis & emendatam, editionem adhibuiſſet.

(*dd*) Exſtat quidem inter *Melanchthonis conſilia theologica Part. II. p.* 371. unum ad quæſtionem: *Vtrum ad cœnam Domini admittendi ſint, qui a judicibus petunt defenſionem, aut pœnam, ſeu ut rei &c.*; ſcriptum vero anni 1559. ab hac ſcriptione differt. In eo conſilio ait, *ante annos fere quadraginta viro cl. D. Hier. Schurfio veram interpretationem pergratam fuiſſe, cum quidam ex eccleſia univerſum agmen forenſe ejicerent.*

(*ee*) Hoc debemus induſtriæ cel. *von der Hardt*, qui *Tom. I. Autographorum Lutheri pag.* 262. hujus libelli meminit hoc titulo: *Chriſtianis an liceat litigare in judicio* Philippo Melanchthone *auctore, ad* Caſparum Müllerum, *Cancellarium Comitis in Mansfeld. Aliquot Pſalmi in verſus conjecti per* Io. Mycillum, *Haganoæ*, 1529. 8. *Tom. III.* vero *pag.* 184. etiam hujus ſcriptionis in dialectum inferioris Saxoniæ converſæ meminit. Conf. cl. *Saligius hiſt. Aug. Confeſſ. Tom. III. pag.* 534.

itaque, propter additam libello noſtro in fine mentionem hujus ſcripti, ante annum 1529. verſio hæc confici non potuerit; recte, niſi nos omnia fallunt, & non ſine veri ſpecie, conjicimus, circa annum 1531. vel 1532. fuiſſe hanc verſionem confectam, & an. 1534. *Manutiano* prelo expreſſam.

§. VII. Veriſimilia hæc eſſe, nemo, qui has circumſtantias probe conſideraverit, temere negabit. Non tacebimus tamen, quod iis potiſſimum queat obverti. Quicquid ſcilicet de libelli hiſtoria & fatis novimus, illuſtris *Ioſephi Iuſti Scaligeri* relationi debemus, ex cujus ore *Io. Vaſſanum* eam excepiſſe, atque cum fratribus *Pithœis* communicaſſe, conſtat. Quodſi vero hujus relatione ſtandum eſt, accidit iſta hiſtoria tempore ipſius, cui eodem die, quo in Rota Romana evenit, cardinalis *Seraphinus* nuntiavit. *Scaliger* vero filius an. 1540. natus eſt, unde, hæc ſaltem ante annum 1560. tanquam eum annum, quo *Scaliger* cum magnis viris juventutis cauſſa converſari potuit, non accidiſſe, facile colligitur; tum vero per annum demum lectus eſt libellus, Venetiis impreſſus. Non diffitemur, hæc prima fronte cum ſuperioribus conciliari non poſſe; quoniam vero & libri ipſius argumentum, ad primas editiones formati, & character atque forma typi, inferiorem ætatem apud eos, qui plures hujus ætatis libros, Venetiis impreſſos, viderunt, non admittere videntur, non inique ad ἀβλεψίας a *Vaſſano* admiſſæ ſuſpicionem deducimur, qua is ea, quæ *Ioſephus Scaliger* de parente *Iulio Cæſare* narravit, de illo ipſo intellexit. Talia enim oſcitationis ſpecimina in his collectaneis *Scaligeranis* plura occurrere, multaque inde non cohærere, dudum viris doctis obſervatum eſt (*ff*). Recte vero, minime- *& tempus.*

(*ff*) *Plurima* in his collectaneis *dicta inconſtanter, quæ inter ſe non cohæreant, pugnent etiam nonnunquam*, olim jam judicavit *Fr. Vavaſſor de Ludicra dictione pag.* 240. Conf. quos laudat *B. Wolfius* in *præf. ad Caſauboniana* §. 8. *pag.* 14. & imprimis, qui ſimilem difficultatem chronologicam obſervavit, *Baylius* in *Dict. Tom. II. Art. D'ſturat not. e. pag.* 256.

nimeque præter rem, nos ad hæc delabi, quilibet perſpiciet, qui expenderit, *Ioſephum*, filium, in Gallia natum & educatum, juventutis annos in Gallia, virilis ætatis inter Batavos, transegiſſe; patrem vero *Iulium Cæſarem*, in Italia natum & educatum, de ſuſcipiendo poſt deſertam militiam ordine *Franciſcanorum* cogitantem, Bononiæ ſtudiis theologicis invigilaſſe, & virili demum ætate in Galliam delatum eſſe. Vero itaque ſimilius eſt, *Iulium Cæſarem*, Romanæ eccleſiæ addictum, & in Italia diu verſatum, Romæ cum cardinalibus fuiſſe converſatum, quam *Ioſephum*, inter Gallos primo, tum inter Batavos, & in eccleſia reformata, viventem. Quodſi ad patrem eam relationem referimus, cuncta rite cohærent; ſin ad filium, omnia pugnant, præſertim cum *Ioſephi Scaligeri* tempore libellus hic ſub corrupto *Hippoſili Melangæi* nomine jam in indicem prohibitorium relatus fuerit (*gg*).

Argumentum. §. VIII. Quod ad ipſum vero libelli argumentum & tractationem attinet, nolumus hic eſſe prolixi, & illa deſcribere, quæ nec ad inſtitutum noſtrum ſpectant, & facile ex ipſa libelli Latini, nunc omnium lectioni in *hiſtoria reformationis literaria Hardtiana* patentis, inſpectione, qua maxime dignus eſt, hauriri poſſunt. Id unum monemus, & in hac noſtra verſione Italica easdem ſingulares ſententias, quas in juventute *Melanchthon* ſecutus eſt, & a quibus ſenex totus abhor-

(*gg*) Vid. cel. *Schelhornius loc. cit.* qui recte judicat, hunc libellum fictitio hoc nomine prohiberi; etſi, hoc nomine prodiiſſe, nullo alio argumento conſtat. Vnde ſuſpicamur, libellum tunc, cum index primus anno 1548. conficeretur, (vid. *Francus* de *Indicibus prohib. & expurg. Cap. I.* §. 6. *pag.* 4. 5.) jam per 12. annos ſuppreſſum & evaneſcentem, auctores indicis non ſuis oculis vidiſſe, ſed ex aliorum tantum relationibus noviſſe, ſicque ipſos nomen fictitium effinxiſſe. Quodſi vero in primis adoleſcentiæ *Scaligeri*, filii, annis jam indici libellus adjectus eſt; in ejus annis maturioribus demum edi & ſupprimi non potuit. Adeo nihil in tota narratione cohæret, ſi ad *Scaligerum* filium eam referamus.

abhorruit, inveniri. Inter quas cum & aſſerta abſoluta neceſſitas confeſſionis privatæ, baptiſmi neceſſitate non minor, itemque rejectæ omnes lites & interdictæ Chriſtianis coram magiſtratu fuerint, quas mature & ante hujus libelli verſionem mutavit *Philippus*, neceſſarium interpres duxit, hac de re in epiſtolio lectorem monere (*bb*). Reliqua vero, & imprimis duram illam ſententiam de neceſſitate omnium rerum abſoluta, nec corrēxit, neque emendandam monuit (*ii*) interpres, novo ſpecimine, ex primis editionibus unam adhibitam eſſe ab interprete, unde ſua transferret.

(*bb*) Dabimus monitum interpretis, in fine additum, ſuo idiomate: *Al Lettore. Io mi ſono aviſato lettor Chriſtiano, di ricordarli due coſe, le quai legendo queſto libro, ti potrebbon dar noia. La prima è, che parlando della confeſſione, dice, l'aſſolutione privata è coſi neceſſaria, come il batteſimo: tu dei intendere queſto, quando la conſcientia tua non ſi poteſſe acquietar per il general verbo dello Evangelio; all' hora veramente hai biſogno della privata aſſolutione, cio è della ſententia over parola dello Evangelio. Altrimente, ſe tu credi al Evangelio, in qualunque modo tu l' oda, tu ſei aſſolto, & ſonoti rimeſſi tuoi peccati, come ſi lege a Rom. I. & Marco al 16. & Luca al 24. L' altra è, che, parlando de' Magiſtrati, dice, peccar quelli, chi litigano. Queſto luco ha poi l' autore ritrattato in piu luoghi, ma ſpecialmente in un libretto, che hà intitulato, Se ſia licito a Chriſtiani litigare, dove ei prova eſſere licito, purche non per vendeta ne per odio, ma ſolo perche ſia data ragione a cui perviene. Imperoche ſe è licito haver magiſtrati, è ancora licito a eſſi dimandar aiuto, come fece Paolo quando appello à Ceſare, nelli atti al Capo 25.*

(*ii*) Vt ſpecimen verſionis quoque demus, en pauca hac de ſententia quædam: *Pag. 7. a: La divina predeſtinatione togliera a l' huomo ta libertade perche tutte le coſe auuengono ſecondo la divina predeſtinatione, coſi le opere eſteriori como le cogitationi interiori in tutte le creature. Pag. 8. a: Io giudico che non ſi poſſia inſegnare ne la fede ne il timore di Dio, ſe non perſuadiamo Dio fare tutte le coſe in tutti. - - La Scrittura toghe via la libertade a la voluntà noſtra par la neceſſità de la predeſtinatione.* Temperavit tamen ſibi *Philippus* in hac editione a duris illis primæ editionis verbis: *Omnia ſimpliciter neceſſario evenire*, etſi reapſe illud dicat, id quod, noſtro quidem judicio, fruſtra excuſat *Seckendorfius hiſt. Luth. Lib. II. ſegm. 21. §. 79. pag. 289.* a qua ſententia totus poſtea abiit *Melanchthon.* Conf. *Baylius Dict. Tom. IV. Art. Synergiſtes not. A. p. 217.*

ret. In iis enim editionibus, quas nova facie ab anno 1533. emiſit *Melanchthon*, hunc fatalitatis errorem recte & prudenter *Philippus* abjecit.

OBSERVATIO V.

De vita MATTHIAE SCHENCKII, gymnaſii ad D. Annæ, quod Auguſtæ Vindelicorum eſt, Primarii.

§. I.

Schenckii memoria tenebris immerſa.

QVod pulcherrimis interdum ingeniis accidere videmus, ut præſtantiſſimis naturæ dotibus ornata & præclare quoque de republica civili & literaria merita, tenebris tamen & ſua ætate & in poſteritatis memoria involvantur, nec claritatis, quam aſſecuta videri poſſunt, remunerationem accipiant, id MATTHIAE SCHENCKIO quoque, viro de diſciplinis humanioribus & imprimis de ludo literario Auguſtano pulchre merito eveniſſe dolendum eſt. Quamvis enim tam pulchre diſciplinis eſſet ornatus, ut cum elegantiſſimis ſuæ ætatis hominibus poſſet comparari, lyceum Auguſtanum autem ea fide & dexteritate rexiſſet, qua immortalitatem nominis inter cives ſuos conſequi fas eſt, habuiſſet quoque filium haud obſcurum inter medicos eruditos nomen tuentem (*a*), adeo tamen ejus notitia tantum non omnis evanuit, ut, quam de rebus ſuis ad Hieronymum Wolfium ſcripſit epiſtolam (*b*), plerorumque oculis

(*a*) Ioannem Schenckium phyſicum Norimbergenſem, non confundendum cum Ioanne Schenckio, medico Friburgenſi, obſervationum medicarum auctore, parente Io. Georgii Schenckii, cui bibliothecam medicam debemus, de quo MERCKLINVS *Lind. renov. p.* 676. & FREHERVS *theatr. clar. vir. p* 302.

(*b*) Vrgebat Hieronymus Wolfius, qui tunc temporis gymnaſio Anneano ephorus præerat, Schenckium, qui primarius præ-

oculis ſubtraxerit fatorum invidia, priſtinæque obſcuritati, ex qua nomen Schenckianum protrahere Wolfius conatus eſt, memoria ejus manſerit immerſa. Bene itaque & laudabiliter de pretio literis ſtatuendo meruit eruditiſſimus SCHELHORNIVS noſter (*c*), quod epiſtolam Schenckianam de rebus nonnullis ad eum pertinentibus, & imprimis, cur ἄγραφος manſerit, in lucem iterum protraxit (*d*). Ad quam cum olim pauca quædam analecta dediſſimus (*e*), & B. CROPHIO quoque ad condendam hujus viri ſuccinctam biographiam nonnulla ſuppeditaſſemus, maluimus ex illis, quæ ad noſcendas res Schenckianas nobis in promtu ſunt (*f*), novam ejus biographiam paucis ſcribere, quam analecta illa, inutilia ſine epiſtola Schenckiana, quæ ad hanc noſtram ſyllogen non pertinet, recuſa dare.

§. II. Debet Schenckius lucem Conſtantiæ, haud ignobili Sueviæ ſuperioris urbi ad lacum Bodamicum ſitæ, & eo tempore, inter liberas imperii civitates numeratæ, in qua anno CIↃ IↃ XVII. (*g*) fuit editus, paren- *Nativitas.*

ceptor illud regebat, & cujus filius fratris Wolfii filiam in matrimonium duxerat, ut condito ſcripto aliquo nomen ab oblivione vindicaret, cum ab ejus multiplici doctrina plurimum ſibi polliceretur. Schenckius autem & natura timidior humilisque animo, & rationibus ſcholaſticis atque œconomicis impeditus, cur ἄγραφος obire, quam famam ineptis ſcriptionibus commaculare malit, elegantiſſima epiſtola ad Wolfium data expoſuit. Quam memoriæ affinis & collegæ conſulturus adjecit H. WOLFIVS G. MORELLII *tabulæ de origine & ſucceſsione veterum philoſophorum*, quam ſupplere & augere in ſe Schenckius, cum in vivis eſſet, receperat, & filio ejus, Ioanni Schenckio inſcripſit. Baſil. 1580. 8. Inſertus quidem liber a GRONOVIO *theſauro antiqq. Græc. T. X. p.* 293. *ſeq.* at ignotus tamen & obſcurus manſit, vid. *act. philoſ. Vol. III. p.* 493. *ſeqq.*

(*c*) *Amœnit. liter. T. X. p.* 1047. *ſeqq.*

(*d*) *Ibid. T. XI. p.* 362.

(*e*) In *hiſt. gymn. Aug. P. II. p.* 127. *ſeqq.*

(*f*) Sunt in manibus noſtris & *hiſtoria gymnaſii Annæani* a SCHENCKIO ſcripta & acta mſc. ad illud tempus pertinentia, quo gymnaſio præfuit.

(*g*) Epitaphium, apud PRASCHIVM *epitaph. Aug. P. I. p.*

parentibus, quod ipſe ſcribit (*h*), honeſtis, ſed iis non ſatis opulentis, ut neceſſe ipſi fuerit, arbitratu alieno eorum, qui ſubminiſtrarunt, quæ ad victum & cultum ſuppeterent, jam inde a pueritia prope vivere. Horum itaque ex voluntate magis, quam ex rei commoditate ſtudia inſtituere coactus eſt, doletque vehementer, non licuiſſe, quantum fortaſſe libuerit, aut certe oportuerit, laboris temporisque humanitatis ſtudiis tribuere. Itaque propitiæ magis Minervæ, vel naturæ potius, quas a divina providentia largas acceperat, dotibus adſcribendum eſt, quod in iſta puerilis & juvenilis inſtitutionis difficultate & impedimentis ad eum Latinæ Græcæque literaturæ cultum, quem & viri docti illius ætatis in eo laudant, & illæ ſcriptiones nondum editæ, quæ ad manus noſtras delatæ ſunt, maxime vero epiſtola illa ſupra laudata teſtantur, pervenerit. Etſi multum etiam improbi laboris ſtudio & inexpugnabili induſtriæ, qua excelluit Schenckius, tribuendum eſt. Ita formatus, ut ad adeundam ſanctioris diſciplinæ palæſtram in Argentoratenſem academiam mitteretur effecit. In qua cum magni nominis theologus, Wolfgangus Fabricius Capito præter Martinum Bucerum doceret (*), facile intelligi poteſt, quos præceptores quamque diſcendi εὐκαιρίαν habuerit. Et ſub eodem quoque præceptore fundamenta Schenckium Ebraicarum literarum jeciſſe, ſpectata eo tempore Capitonis in hoc literaturæ genere eruditio ſuadet, noſterque haud obſcure ipſe fatetur. Commendatus autem imprimis Ioanni Sturmio eſt, ut artes dicendi earum rudi, & progreſſus ea re in theologia non ſatis magnos facienti traderet (*i*). Ex Argentinenſi ſchola ad Marpurgenſem, ubi Alardus & Geldenhauerus tum docebant, &

Educatio literaria.

211. *Amœn. T. X. p.* 1050. HEVPOLDI *deſcript. ſcholæ latinæ Auguſt.* (*h*) *p.* 469. ed. Wolf. *p.* 1058. ed. Schelh.

(*) ADAMI in *vit. Capitonis, vit. theol. Germ. p. m.* 90. *ſqq.*

(*i*) Ipſe *l. c.* hic egregius fons eſt tot luminum in re ſcholaſtica, quæ Schenckius poſtea prodidit, neglectus licet & con-

& ex illa ad Wittebergenſem advolavit, Melanchthonis, ut veriſimile, fama per motus. In quo mentium mercatu ſe æquales ſuos, homines doctos, & in his ipſum Nicolaum Gallum Ebraicam linguam docuiſſe, ipſe auctor eſt (*k*). Redux in patriam cum ſacræ linguæ cognitionem, quæ tunc in ſuperiori Suevia Reuchlini, Boeſchenſtainii, Capitonis, Rhegii, Oecolampadii, Forſteri & imprimis Pauli Fagii cura & induſtria plurimi fiebat, & florere pulcherrime cœperat (*l*), præ ſe ferret, ad Fagium, qui Iſnenſem eo tempore gregem paſcebat, & præclaris inſtitutis philologiæ orientalis ſtudia adjuvabat, ut alibi demonſtravimus (*m*), miſſus eſt, ut hanc linguam addiſceret ſtudioſius, & ad habendas aliquando conciones tandem adhiberetur. Quod conſilium quanto ſtudio & accuratione executus fuerit, præclara viri optimi in diſciplinarum ſtudiis contentio loquitur. Incidere hæc in annum cIɔ Iɔ XXXVI. & ſequentes, facile ex mora Fagii, quam Iſnæ fecit, computari poteſt (*n*), & veriſimile quoque eſt, in edendis ſcriptis Ebraicis, quibus tunc totus Fagius incumbebat, & quæ recenſebat R. Elias Levita, noſtrum viris iſtis doctis auxiliatrices manus porrexiſſe (*o*).

§. III. His intentum Schenckium in patriam revocare jubet ſcholæ civitatis Conſtantienſis emendatio. Narrat enim ipſe: „commoranti Iſnæ literas „Conſtantiæ allatas eſſe, afflictiſſimum eſſe ſcholæ „ſtatum, eum enim, cujus opera ſint uſi aliquando in „ea *Vocatio in patriam.*

temtus, quod ſolida præ ſplendidis ſequenda eſſe a Sturmio didicerat.

(*k*) *l. c.* (*l*) Conf. SCHELHORNII obſ. *de meritis Sueviæ in liter. orient. amœn. liter T XII.*

(*m*) In *templo bonor. Germ. Vol. I. dec.* 2.

(*n*) Fagius enim 1537. eccleſiæ Iſnenſi præfectus eſt, poſtquam ludo literario regendo ab anno 1527 præfuiſſet, vid. *l. c.*

(*o*) Addi poteſt, Petri Bufleri, qui unus rem iſtam urgebat, munificentiam fuiſſe expertum. Conf. BEZA in *icon.* SCHELHORN. *l. c. templ. bon. l. c.*

„ ea regenda ſatis egregia atque fideli, jam diſceſſiſſe,
„ qui autem ſucceſſerit, eum officium non facere:
„ det itaque operam, ſi ipſos, ſi liberos ipſorum amet,
„ qui merito curæ ipſi debeant eſſe maximæ, ut advo-
„ let: in eo ſpem eſſe reſtituendæ in integrum ſcholæ
„ repoſitam omnem, qui Ioanne Sturmio præceptore
„ uſus, illud quaſi artificium aperiendi ludi, & ra-
„ tionem ac viam literas docendi teneret.„ Probe vidit Schenckius, abrumpi ſtudiorum non ſine laude hactenus cultorum curſum, & inutilem fore imprimis, quam in orientali lingua diſcenda poſuerat, induſtriam. At meticuloſior ſibique diffidens, cum difficilius ipſi ſemper videretur eccleſiaſtæ munus, graviusque, quam quod ſuſtinere poſſet onus: „ cre-
„ deretque, non minus ſe prodeſſe patriæ in forman-
„ dis ad pietatem humanitatemque pueris poſſe, quam
„ hominibus grandioribus: atque adeo defuturos
„ proſpiceret, a quibus pietatis beatæque vitæ do-
„ ctrina grandiore erudirentur, absque ludimagi-
„ ſtris fieſſet: denique, quia in patriam revocari ſe
„ videbat, & quidem ab iis, quibus pro ſuis in eum
„ meritis, & ea, quam in eum haberent poteſtate,
„ non facile denegare quicquam poſſet, auctoritati
„ magiſtratus paruit (*p*).

Fata domeſtica. §. IV. Feliciter ceſſit tum patriæ, tum Schenckio iſta mutatio, ita ut nec illam pœniteret demandatæ, nec hunc ſuſceptæ provinciæ. Nam cum inſtitutionis dexteritate juventutis, quam erudiendam regendamque acceperat, ſcholaſticæ incrementa doctrinæ morumque elegantia mire promoviſſet, ex magna, quam acceperat, ſcholæ ſolitudine eam effecit frequentiam, ut aucto diſcipulorum numero & claſſibus & magiſtris mox pluribus opus eſſet, nec deeſſent, qui in contubernium ac convictum ejus recipi vellent liberos ſuos. Id quod Schenckium commovit, ut regendæ rei domeſticæ cauſſa de ſocia diſpiceret, & uxorem duceret, ut regendis, quos ſtatim natus eſt pluri-

(*p*) *Ibid.*

plurimos, convictoribus par eſſe poſſet. Quod conſilium ex parte quidem vitæ difficultates levavit, at cum prole fœcundum paucis annis eſſet conjugium, nec lauto ille ſtipendio viveret, nova vivendi commode & literis vacandi incommoda de alenda familia in dies magis numeroſa ſollicito objecit. Quæ aucta mirum in modum ſunt, cum belli Smalcaldici infelicitate dejecta Conſtantia, oppugnata & libertate ſua privata in fidem ſe atque clientelam domus Auſtriacæ contulit (*q*). Quantis enim tunc calamitatibus implicita ſit civitas illa non ignobilis, & de revocanda evangelii puritate olim non parum merita, ipſe noſter, conſcripta patriæ de infelicitate ſua querimonia verſiculis elegantiſſimis, & veteris Latii genium mire referentibus, deſcripſit, & hiſtoria belli iſtius paſſim obvia ſatis ſuperque teſtatum facit. Tunc vero opprimi ſcholam quoque, & ſe ipſum publica ruina infelix ſenſit Schenckius. Nam & reipublicæ forma & religio mutata eſt, & diſcipuli diſſipati ſunt, quod coëgit eum ſcholâ cedere. Importunitate quoque præfecti urbis in eas anguſtias redactus eſt, ut quid faceret, neſciret, & de conſilio amicorum prorſus domi deliteſceret, paucos quosdam privatos diſcipulos docens, inops cum magno liberorum numero, in perpetuo exilii metu ob improbatam religionis doctrinam novam, in eamque deſperationem tantum non adductus, ut de mutando vitæ genere cogitaret, quod tamen conſilium evertit novum quod a Mauritii partibus imperatori inſtabat bellum. Eam tamen rerum publicarum & privatarum infelicitatem patienter pertulit, & volvere ſaxum, quod devolvere non poterat, fortiter perrexit, omni in divinam clementiam ſpe repoſita.

(*q*) Miſerabilem Conſtantiæ eo tempore conditionem ex ſcriptoribus belli Smalcaldici facile diſcere licet; cuncta eleganter complexus eſt SLEIDANVS *comm. de reb. rel. & reip. l. XXI. p. m.* p. 548. 552. editionis omnium primæ *Arg.* 1555. 8.

Occaſio eum Auguſtanis commendandi.

§. V. Non deſeruit fidentem ſibi Numen providentiſſimum, & de nova provincia proſpexit, qua ſine conſcientiæ periculo ſervire porro rebus ſcholaſticis, quibus juvandis velut natus erat, poſſet. Namque commendatus a diſcipulo quodam, qui Tubingam ſtudiorum ſedem elegerat, Ioanni Benigno, eloquentiæ publico eo tempore doctori, ejus vices miſeranti, novum in ejus benevolentia aſylum invenit. Cum enim poſt Xyſti Betuleji obitum ſchola Auguſtana miris præceptorum viciſſitudinibus haud parum labis accepiſſet (*r*), & præcipue deeſſet, qui reliquis præfici poſſet, & alere quoque diſcipulos privatim vellet & poſſet, miſſus eſt a republica Auguſtana Tubingam Auguſtinus Müllerus ſyndicus, ut neceſſarios ludimagiſtros conquireret, unum & alterum tales, qui in matrimonio copulatas uxores ſibi haberent, & eſſent ætate, doctrina & moribus ita graves & inſtructi, ut ad juventutem Auguſtanam Græce ac Latine mediocriter informandam ſatis valerent, & alere ſecum diſcipulos privatim vellent. Quales cum in academia Tubingenſi non reperirentur, recordatus Benignus, Schenckium in civitate ſua non optimo loco eſſe, credens autem, eum ætate & viribus corporis ac valetudine, nec non multa eruditione præſtantem & florentem magiſtrum Auguſtanæ pubis futurum, ipſi autem ex ejusmodi vocatione plurimum emolumenti acceſſurum, Schenckium Auguſtanis vehementer commendavit, eandemque huic quoque rem datis literis perſuaſit (*s*). Müllerus etiam negotiorum cauſſa menſe Decembri anni cIɔ Iɔ LII. Conſtantiam delatus Schenckium commovit, ut menſe Februario ſequenti Auguſtam literis evocari ſe pateretur. Etſi autem

(*r*) Vt intelligi hæc rite queant, legenda ſunt, quæ deſideratiſſimus CROPHIVS in *hiſtoria gymnaſii Auguſtani P. I.* §. 8. *p.* 16. *ſeqq*. hac de re commentatus eſt, quæ ex actis ejus temporis facile augeri poſſent, ſi id ageremus.

(*s*) Vtramque Benigni & Mulleri epiſtolam ex noſtri hiſtoria ſcholæ Auguſtanæ mſc. inſeruimus *Amœn. liter. T. XI. p.* 363. *ſeqq.* quarum potiſſimum verbis iſta narramus.

tem de conditionibus convenire inter ſe tunc quidem non poterant, miſſis tamen literis tandem eo res perducta eſt, ut pactus ſtipendium CLXX. florenorum etiam rudedonando ſolvendum, & habitationem cum tertia parte didactri ſcholæ extremo menſe Iulio anni cIↃ IↃ LIII. familiam uxore gravida & ſeptem liberis floreſcentem Auguſtam transferret, novumque munus capeſſeret.

§. VI. Collocatus in ſplendidiori theatro Schenckius, id ſibi demandatum recte pieque credidit, ut utilis civitati, gratus autem Deo & ſenatui eſſet. Itaque in id connitendum ſibi potiſſimum eſſe ratus eſt, non ut hominum opinione tumeret, & montes aureos promitteret, ſed ut fidem & dexteritatem in regenda & inſtituenda ſcholaſtica apud Auguſtanos pube demonſtraret. Itaque vix die VIII. Auguſti munus exorſus, ſupremamque claſſem ingreſſus, in qua XXIX. diſcipulos reperit, tentatis eorum viribus & profectibus, dici non poteſt, quantopere doluerit, neglectam ab ineptis & ambitione turgidis magiſtris juventutem ſcholaſticam, ad dialecticæ, rhetoricæ Græcæque linguæ ſtudia adductam eſſe, ut magnorum incrementorum laude ſchola efflореſcere poſſet, primorum autem fundamentorum, & imprimis grammaticæ, eam fuiſſe incuriam, ut non tantum ſcriptores, quos claſſicos vocant, negligerentur, ſed ne modice quidem ſupremæ claſſis diſcipuli Latine ſcribere poſſent (*t*). Itaque a rudimentis primisque fundamentis rite jaciendis initium faciendum rectiſſime ratus, quas ex incomparabilis Sturmii diſciplina didicerat, rationes ad ſcholam Auguſtanam adhibuit, rejectisque libris academica ſtudia præ ſe ferentibus, quibus ſuperbire poſt Betuleji diſceſſum, prudentius ea in re verſatum, præceptores nonnulli academico typho inflati cœperant, mentesque civium quaſi faſcino occœcaverant, urgere Latinæ vernaculæque linguæ ſtudia connisus eſt.

Vocatio Auguſtana

Y 3 Quod

(*t*) Hujus rei ſpecimina in hiſtoria ejus ſcholæ Auguſtanæ videnda extant.

Quod cum ſuſpicionibus & contemtu eum cumularet, Schenckius autem, vir ab oſtentatione alieniſſimus palpum obtrudere civibus nollet, ea de re graviſſimo libello, prudentiæ ſcholaſticæ pleno, ſcholarchas monuit. Qui cum pulcherrimum ſapientiæ ſcholaſticæ, ex Sturmiana inſtitutione hauſtæ, ſpecimen exhibeat; & noſtrorum quoque temporum cacoëthes, quo ſplendida magis jactare, quam ſolida ſectari moris eſt, quoque ſcholæ mire corrumpuntur, jugulet; totum eum ex Schenckii hiſtoria ſcholæ Auguſtanæ manuſcripta huic obſervationi in fine adjecimus. Conferendus autem, qui rem in compendio accurate enarravit B. CROPHIVS noſter (*u*). Non habuit ſurdos quidem ſcholarchas Schenckius, at turbulentis illis temporibus, quibus multum jactata eſt (*x*) reſpublica Auguſtana, eventui dari conſilia optima non poterant. Itaque cum non tantum morbis, quos prudenter detexerat, medicina non adhiberetur, ſed malum quoque, civitate tota, ſenatuq; imprimis, in imperii comitiis anno cIɔ Iɔ LV. curis aliis diſtracta (*), augeretur, novo libello de neceſſitate emendandæ ſcholæ ſcholarchas admonuit, candideque, ut erat homo planus & ſincerus, rem, qualis erat, expoſuit (*y*). Nec mo-„nendo ſibi ſufficiens, ipſe meliori methodo intentus „hanc docendi rationem tenuit, ut ſummotis e ſchola „auctoribus difficilioribus, oſtentationis inanis cauſſa „magis, quam quod diſcipulorum vel ætati vel eru-„ditioni convenirent, proponi ſolitis, libros in eam „introduceret, vel revocaret potius, uſitatos & notos „ſed eos neceſſarios.„ Quæ tamen res, licet optimo conſilio ſuſcepta, haud unam calumniandi virum bonum doctumque occaſionem ſuppeditavit (*z*), quem livore

(*u*) In *hiſtor. gymnaſ. Aug.* *P. I.* §. 9. *p.* 19. *ſeqq.*

(*x*) Conf. hiſtoria regiminis Auguſtani noſtra cura edita. GASSERVS *ann. Augſtb.* & gen. VON STETTEN. *hiſt. Auguſt. ad annum* 1554. 1555.

(*) Conf. quæ laudato loco *p.* 1064. conqueritur.

(*y*) Summam ejus habes apud CROPHIVM *l. c. p.* 21. *ſeqq.*

(*z*) *Ibid.*

livore vivum preſſum, & oneratum calumniis poſt mortem demum quietem laudemque reportaviſſe, publice faſſus eſt HIER. WOLFIVS (*aa*). Et hinc omnes illæ querelæ derivandæ ſunt, quas in laudata ad Wolfium epiſtola de munere ſuo ſcholaſtico effudit, quas ob miram viri diſerti eloquentiam malumus apud ipſum legi, quam huc tranſcribere: lumen cunctis affundent CROPHIANI de fatis gymnaſii Auguſtani commentarii (*bb*).

§. VII. Vidit, quo premebatur, onus Schenckius humeris ſuis eſſe moleſtius, quam ut ferre poſſet; nec contentionem de emendando gymnaſio ſuum ſcopum, ut optabat, attingere poſſe, nec vires ſufficere ſuas, cum importuno loco in ſchola habitans, diſcipulorum turbis & tumultibus crebro impediretur, ea autem eſſet rerum domeſticarum ſuarum ratio, cui ſalvo munere proſpicere quoque, & ita curam quaſi dividere cogebatur. Itaque perpetuo obtundebat aures ſcholarcharum, viro optimo bene volentium, ut de viro quodam eruditione celebri diſpicerent, cui ſcholæ inſpectio committeretur, quique auctoritate nominis & famæ ejus opinionem tueretur, doctrinæ autem copia ita inſtructus eſſet, ut mederi, quos deprehenderat, ſcholæ morbis poſſet. Tantumque valuit viri optimi & recta de puerili inſtitutione ſententia inſtructi cohortatio, ut poſt multas deliberationes, noſtri potiſſimum ſuaſu, Hieronymum Wolfium, qui eo tempore Antonii Fuggeri bibliothecam curabat, ſcholarchæ gymnaſii profeſſorem atque ephorum conſtituerent. Qua de re in vita Hieronymi Wolfii dictum, alioque loco (*cc*) expoſitum, quo conſilio, modo, docendi ratione & eventu factum id ſit. Id ad hanc narrationem noſtram pertinet, Schenckium viri boni & præceptoris fideliſſimi partes expleturum, novos Wolfii conatus mira alacritate adjuviſſe, eamque utriusque viri docti inde coaluiſſe amicitiam,

Cura ſcholaſtica.

(*aa*) In *præf. tab. phil. hiſt. Morell.* (*bb*) *l. c.*
(*cc*) CROPH. *hiſt. gymn. Auguſt. P. I.* §. 12. *p.* 25. *ſeqq.*

citiam, quæ affinitatis tandem vinculo arctiſſime connexa eſt (*dd*). Ab eo tempore multis de re ſcholaſtica deliberationibus cum Wolfio habitis, induſtriam ſuam ſcholæque curam Schenckius demonſtravit, adſcito, qui poſtea illi in primarii munere ſucceſſit, Simone Fabricio, viro doctiſſimo, ſub qua triga pulchre iterum efflorеſcere cœpit gymnaſium. Quæ omnia tamen non heic locum capiunt, ſed in ſcholæ Auguſtanæ hiſtoria debent enarrari, & ſuccincte expoſita ſunt a B. CROPHIO, poſſunt autem, ubi occaſio tulerit, ex monumentis ἀυτογράφοις præſtantiſſimorum horum virorum, aliorumque, qui tum temporis rei ſcholaſticæ moderati ſunt, quæ ſcrinia noſtra aſſervant, illuſtrari. Et hoc quidem pacto ad annum cIↃ IↃ LXXI. Schenckius docendo ſcholæ magis, quam famæ ſuæ, proſpexit, eo autem anno die XXI. Iulii ex morbo Hungarico obiit (*ee*), annos natus LIV. gymnaſio regendo præfectus XVIII.

Character ingenii animique. §. VIII. Fuit Schenckius ingenio præclaro, & natura pariter atque inſtitutione ita formato, ut ſi paulo plus fiduciæ illi tribuiſſet, longe illuſtrior nominis ejus fama ſurrexiſſet. Nam & methodi ordinisque amantiſſimus, & diſciplinarum rationes & artificia ex inſtitutione Sturmiana edoctus, pulcherrimam humanioris literaturæ cognitionem aſſecutus eſt, Græce Latineque doctiſſimus, poëta elegans, orator diſertus, virque ad ſcholaſticam diſciplinam natus. Aſt dolendum, virum ab omni ambitionis fuco alienum plane nihil virium ſibi tribuiſſe, maluiſſeque in pulvere ſcholaſtico obſcurum latere, quam tentare, qua ſe quoque poſſit tollere humo victorque virum volitare per ora. Nam præter elementa literarum & pietatis, quæ in Auguſtana ſchola pueris initio proponi ſolent, libellum utiliſſimum & mire prudentiam didacticam prodentem, editamque cum

(*dd*) Legenda dedicatio *Tabb. hiſt. phil. Morell.* ſcripta ab HIERON. WOLFIO.

(*ee*) *ib.* PRASCH *l. c.*

cum præfatione RIVII grammaticam, nihil vivus edidit. Cujus rationes longas multasque in laudata ad Wolfium epiſtola attulit, ex quibus conſtare poteſt, nobiliſſima interdum ingenia fatorum invidia ita deprimi, ut non poſſint non præter meritum ſordeſcere, obſtareque haud raro præclaris meritis famis depellendæ curam.

§. IX. Adjicimus his libellum ſupra in ſcenam productum, quem ſcholarchis de emendanda ſchola Schenckius exhibuit, ut ex hoc ungue leo cognoſcatur, intelligaturque, quid præſtare potuerit, ſi in alium locum, & tempus incidiſſet, vel ſuis quoque bonis ſumtis animis uti noviſſet. Ita vero Schenckius:

IO. MATTHIAE SCHENCKII

de docendi diſcendique ratione

Ad SCHOLARCHAS AVGVSTANOS epiſtola.

CVm neceſſe ſit ex ludo literario, quaſi officina ſenatus omniumque principum civitatis virorum, prodire omnes eos, qui ad reip. tum eccleſiaſticæ, tum politicæ gubernacula adhibentur; magnæ certe profecto curæ omnibus eſſe debet viris bonis, ut is quam rectiſſime ſe habeat, hoc eſt ita ſit comparatus & inſtitutus, ut quam maximos in eo facere pueri poſſint, tum pietatis, tum eruditionis gradus.

Quæ res in eo tota eſt ſita, ut magiſtri ludorum conquirantur, qui non modo præſtanti ſint doctrina, ſingulari diligentia, ſummaque fide, verum etiam judicio, in puerorum ingeniis dignoſcendis acri: & præter hæc διδακτικοὶ id eſt ejus artificii, quod in erudienda juventute requiritur, periti atque gnari. Ceterum in docendo cum alia multa, tum hoc potiſſimum, (propero enim ad id, quod proprium noſtri inſtituti eſt) ſpectandum, ut ii libri explicentur, qui adoleſcentulorum, quos ad humanitatem

informandos ſuſcepimus, ingeniis ſtudiisque quam maxime ſint accommodati.

Ita enim fiet, ut in iis rebus nec detineantur, quas jam ante noverunt, nec ea illis proponantur, quibus cognoſcendis diſcendisque apti eſſe non poſſunt. Quia vero magnæ illæ & crebræ, quas in rebus pub. incidere hoc tempore videmus, mutationes etiam in ſcholas penetrant: ipſisque ſcholis alii ſubinde atque alii præficiuntur magiſtri, quorum alius alio vel doctior eſt vel diligentior, conſequitur, nec eundem ſemper eſſe ſcholaſticorum, in eadem præſertim claſſe, numerum poſſe, nec in ceteris etiam rebus eandem ſemper ipſorum rationem: ſed jam ex mediocriter doctis, jam ex illiteratis, nunc paucis nunc multis pueris ſcholam conſtare.

Quod cum ita ſit, fieri certe quidem nec debet nec poteſt, ut iidem ſemper in ludo literario explicentur, & retineantur auctores: ſed cum puerorum ingenia ad ſcholæ morem & libros, qui in ea enarrari ſolent, aptari & inflecti non queant, id utique faciendum in proclivi quod eſt, ut conſuetudine ſcholæ diſcendentes, ad illorum nos captum in docendo accommodemus, eosque authores interpretandos ſuſcipiamus, in quibus audiendis aliquod facere diſcipuli operæ pretium poſſint.

Quemadmodum ergo caupones non eandem ſemper ſervant victus rationem, ſed alios hoſpites frugalius tractant, alios lautius pro ipſorum vel palato, vel facultatibus: (ita tamen, ut ſi plures ad ſe divertiſſe videant, non ad unius cujusque ſenſum ac voluntatem], id quod fieri nullo modo queat, ſeſe in apparando convivio accommodent, ſed majoris partis rationem habeant potiorem) ita ego plane ex officio præceptoris eſſe judico, libros diſcipulorum, ætati & ingenio accommodatos ſumere prælegendos: „ nec tam conſiderare quid quantumque hoſpites ſuos, „ (diſcipulos inquam) eſſe cupiat, quam quantum &

„ quid

„ quid maximam eorum partem capere & concoque-„ re poſſe confidat. „

Quare cum hoc tempore conſultetur, quinam potiſſimum auctores in prima illa claſſe (cui me præeſſe magiſtratus voluit) deinceps ſint prælegendi: ejus ipſius claſſis pueros ob oculos ponere, quantosque habeant in literis progreſſus, animadvertere profuerit. Illud vero non aliunde facilius poteſt, (mea ſententia) perſpici, quam ex ejus artis, unde cæteræ manant, cognitione, nimirum grammaticæ.

Qui enim eam Latinæ linguæ jam habet cognitionem, ut, quod animo concepit, verbis poſſit exprimere propriis & apte cohærentibus: (quod fit tum loquendo, tum ſcribendo) eum ſui profectus pœnitere nequaquam debet; quin ad reliquarum artium ſtudium atque cognitionem is, meo judicio, recta traducendus eſt, utpote ad quas aditum ei ipſa grammatica jam patefecerit & expeditum & facilem. Qui vero contra in illis primis liberalis doctrinæ elementis etiam nunc hæret, nec verba pauca apte contexere, aut paucorum verſuum epiſtolam conficere novit, is (ſi recte judicare volumus) ſat cito quidem, ſed non ita ſatis bene ad cognoſcendas artes reliquas & diſcendas literas Græcas admittetur.

Rectiſſime enim optimus pueritiæ inſtitutor Quintilianus inquit: niſi fideliter grammaticæ fundamentum ſit poſitum, conſiſtere illam artium doctrinam præclaramque eruditionem nullam poſſe. Nam quo ille pacto dicet ornate, aut ſubtiliter de re propoſita diſſeret, qui loqui nondum pure didicit, aut quomodo ejus ratio prudens, oratio vero elegans eſſe poterit, cujus ſermo & ſcriptio pura planaque non eſt? quo vero conſilio literas Græcas aggredietur, qui Latinas ignorat? aut carmen panget, qui orationem numeris ſolutam contexere non novit?

Neque vero eo hæc mea ſpectat oratio, tantisper pueros a dialectices, rethorices Græcæque linguæ

guæ ſtudiis arcendos, dum Latinam ad unguem norint. Sed huic primum locum dandum judico, & quam diutiſſime in grammaticis præceptionibus puerum detinendum cenſeo: meliusque de ejus ſtudiis ſperandum eſſe contendo, qui poſt habitis tum literis Græcis tum artibus, puri ſermonis ſcriptionisque præcepta quam exactiſſime cognoſcere ſtudet: quam qui neglecta loquendi ſcribendique arte, puerili quadam inſcitia, aut ſtulta cupiditate, vel etiam vana ſuperbia, ſe ad literarum Græcarum artiumque ſtudium confert. Puerum ergo in magna eruditionis ſpe repoſitum grammaticum eſſe volo. Quod dum dico, non tantum puerilem illam recitandarum ejus artis regularum diligentiam requiro: ſed ſcientiam etiam recte accommodandi eas ipſas ad quotidianum loquendi atque ſcribendi uſum poſtulo. Id quod non tam diſcendis præceptionibus conſequetur, quam accurata multaque optimorum Latinæ linguæ auctorum lectione. Quod ego utrumque in mea claſſe deſiderari video. Nam nec in ipſis grammaticis regulis (ita ut par erat) eſt exercitata, nec eos auctores cognovit, unde orationis puritatem, elegantiam & copiam petere atque haurire poſſet. Quo fit, ut (paucis exceptis, quatuor ſc. ad ſummum quinque, qui ne ipſi tamen quidem mihi ſatisfaciunt), nullus epiſtolam poſſit tolerabiliter ſcribere. De quo ego non dubitem, depoſito pignore (bona vero veſtra venia, viri clariſſimi, hæc dixerim) cum quovis contendere.

Quod ſi ergo hoc in tempore puerorum ſtudiis potius quam famæ tum ludimagiſtrorum, tum ſcholæ, (quæ hactenus ob magnorum quorundam auctorum explicationem celebris eſſe viſa eſt) conſulere volumus, curæ nobis imprimis erit, ut adoleſcentuli in lingua Latina rudes ne ſint, ſed (quod ſæpe jam dixi) pure emendateque tum loqui tum ſcribere diſcant.

Ad

Ad eam rem meo conſilio profuerit, non grammaticam modo identidem inculcare, verum etiam elegantem aliquem linguæ Latinæ auctorem, quem de manibus nunquam deponant, ipſis diſcendum imitandumque proponere.

Ac poſſent ſane quidem (ut ad rem ipſam tandem veniam), hoc tempore, quo ratio docendi ſuperioribus his annis uſitata, immutari prorſus nec poteſt, nec fortaſſis debet, horæ ſtudiis ſcholaſticis deputatæ, ad inſequentem modum (meo judicio) non incommode diſtribui; ut a ſeptima hora ad octavam usque (quemadmodum ita factitatum) dialectica Philippi explicetur, nona ejusdem rethorica, ita tamen, ut alternis diebus ejus loco grammatica aut Vergilius prælegatur; prima vero hora in Latinæ linguæ cognitione conſumatur, qua vel Terentium vel Ciceronis aliquod ſcriptum enarrandum quotidie cenſeo. Tertia autem Græcis literis tribuatur, ſic ut lectionem grammaticæ ſequatur poſtridie interpretatio auctoris quoque alicujus Græci, in qua præceptionum grammaticarum utilitas a præceptore oſtendi, atque ab adoleſcentibus perſpici poſſet. Quia vero compertum eſt, ſcribendi uſum conficiendarumque epiſtolarum rationem plurimum habere ad magnam eruditionem momenti, comittendum non eſt, ut id ſtudiorum exercitii genus ſublatum eſſe, ex hac noſtra ſchola, aut certe negligi, videatur.

Præſcribendum ergo ſi non ſæpius, at ſemel certe in hebdomade, argumentum Germanicum eſt, quod in linguam Latinam convertant, idque die ſabbathi faciendum potiſſimum, quo plus habeant ad eam rem vacui temporis ac ſpatii, h. e. majori diligentia transferre id ipſum poſſint.

Eamque ipſam ob cauſſam ex Ciceronis ſcriptis, quæ varia eſſe conſtat, epiſtolas primo loco prælegere placuit, quarum non pulcherrimas quidem, ſed ad noſtrorum temporum rationem accommodatiſſimas explicare (ſi ita vobis videatur) ſtatuimus quoad

ad hujus auctoris dicendi formis aſſuefiant adoleſcentuli, & confirmato cum ætate etiam judicio, orationibus ejusdem audiendis reddantur idonei.

Nec puto his lectionibus quicquam hoc ſcholæ ſtatu addi poſſe, quin intermittere aliquam harum, quam ſuperaddere quidquam (mea ſententia) fuerit utilius, cum nihil æque puerorum ſtudiis ſit noxium, ac illa lectionum varietas, atque auctorum diverſorum eodem tempore explicatio, qua ipſorum animos ita interdum obrui ac diſtrahi videmus, ut tantum non abjectis literis de omni profectu deſperent: quod idem illis etiam accidit, qui primis illis ſtudiorum annis grammaticæ fundamenta non ſatis fideliter jecerunt. Suæ enim inſcitiæ conſcii, nec loqui nec ſcribere quicquam quod quidem in aliorum manus veniat, audent, atque ita in perpetuum obmuteſcere, & literarum ſtudia plerumque deſerere coguntur, cum turpe ſibi fore ducant, id in adoleſcentia diſcere, quod pueros ignorare ſit fœdum.

Atque hæc quidem docendi ratio minime nova ſi non omnium diſcipulorum ſtudiis, certe plerumque ingeniis, meo judicio eſt accommodata. Quod ſi qui eo vel ingenio, vel eruditione, vel ætate ſunt, ut libros dialecticos & rhetoricos Ariſtotelis audire malint, quam Philippi, vel Demoſthenis, quam Aeſopi fabulas Græcas, Ciceronis Philippicas, quam ejusdem epiſtolas, ethicam aut phyſicam, quam grammaticam: illi in academiam aliquam (quod proximum eſt,) ſeſe conferant.

Id ſi commodum illis non eſt, patiantur me (more cauponis, qui non omnium palato ſatisfacere poteſt) majoris puerorum partis potiorem habere rationem quam unius & alterius, nec ſtomachentur, aut etiam rideant me, quod ad puerorum captum demittere me, quam magnis clamoribus, nec ſine jactantiæ & oſtentationis ſuſpicione, auctores graviſſimos quosque enarrare malo.

Quan-

Quanquam eos amandari meo conſilio præſtiterit, cum eorum libellorum, quos claſſi iſti meæ neceſſarios judico, explicationem jam ante ſemel & iterum a D. Xyſto & Langio audiverint, eaque ſint ætate, ut inter pueros deſidere totum diem jam pudeat; adhæc tanta magnæ cujusdam eruditionis perſuaſio atque opinio animos eorum invaſerit, nihil ut ſe amplius hic poſſe addiſcere, (me præſertim tam illiterato magiſtro) putent. Nam de odio, in quod me viri cujusdam boni malevola obtrectatione apud eos eſſe adductum conſtat, nihil dicam, quod ego nulla juſta de cauſſa ſuſceptum non diuturnum fore confido.

Complexus paucis ea ſum, quæ ad claſſem meam erudiendam hoc tempore facere videntur: quod ſi de tota ſchola optime conſtituenda ſit mihi propoſita deliberatio, aliam mihi neceſſe ſit rationem ſequi. In hac enim præſenti conſultatione tempori magis & neceſſitati quam ipſi rei inſervire ſtudui: iſthic vero ad optimum ſcholæ ſtatum totum meum conſilium referrem, item per claſſes ſingulas & quo pacto puellus aliquis ad ſcholam primum a parentibus deductus, quam maximo compendio ad piam illam eruditionem ſive eruditam pietatem (quam ſtudiorum ſcholaſticorum finem ſtatuimus) pervenire queat, edocerem: verum ea plus otii, quam mihi hoc tempore ab occupationibus meis datur, requirunt, & majorem eruditionem, quam mihi arrogare auſim, poſtulant. Nec dubium eſt, quin ſuperioribus his annis multa hujusmodi ſcripta dominis ſcholarchis a ludimagiſtris ſint oblata, ut Iliada poſt Homerum ſcripturus fortaſſis ſim, ſi de ea re meam ſententiam exponam, quod ad me attinet, dabo operam, quantam poſſum maximam, ne me intermiſſi officii mei accuſare merito quisquam poſſit. Valete.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

Synopſis vitæ

HIERONYMI WOLFII,

Gymnaſii Auguſtani ephori ab ipſo ſcriptæ, ad perilluſtrem Virum

WOLFGANGVM IACOBVM SVLZERVM,

cum ſupremam Duumviratus dignitatem A. S. R. cIↄ Iↄ ccXXXIX. IX. Cal. April ſuſciperet (*).

LÆtiſſimis plauſibus, fauſtiſſimisque acclamationibus, PERILLVSTRIS DOMINE DVVMVIR, dum Auguſta patria perſonat, quæ ad divinæ Pronœæ aras ſupplex, devotiſſimæ mentis offert ſacrificia, quod, erepto ſibi & ad beatiſſimas ſedes translato, qui hactenus gubernaculum reipublicæ moderatus erat, patre patriæ, Te potiſſimum, novum quaſi Atlantem nacta ſit, qui tanto oneri humeros ſupponeret fortiſſimos: ignavus merito cenſendus eſſem atque plane ingratus, niſi abſens quidem, affectu tamen civi ingenito gratulantium turbæ mixtus comparerem, & ex vicinia ingeminatum feliciter! acclamarem. Cum enim, judice Tullio, non nobis ſolis nati ſimus, ſed partem quoque noſtri patria ſibi vindicet, non poteſt ulla locorum intercapedo eſſe tanta, ut communis lætitiæ fontem ad cives undiquaque degentes profluere impediat, mentesque eorum ad con-

(*) Evulgavimus hanc diſſertationem epiſtolicam eodem anno peculiari ſcheda, quæ poſtea *T. IV. Tempe Helv. p. 503. ſeqq.* etiam inſerta eſt. Ipſa biographia in manibus noſtris eſt, & edendi cum annotationibus occaſionem expectat, poſtquam editionis, quam ante viginti, & quod excurrit annos, promiſerat rev. PAVLVS AMBERGERVS, ſpes evanuit.

congratulandum non excitet: nec privatæ pietati licet inter publica vota tacere, jubetque potius, preces jubilis devotas jungere, univerſa civitate in exoptatiſſima de futura felicitate vaticinia conſpirante. Nec tamen communi tantum excitatum lætitia calamum & ſcriptionem poſtulat officium, quod & me inter cives eſſe monet, quibus de ſalutis ſuæ ſtatore tanta benevolentia proſpexit divina providentia; ſed & ſingularis devotiſſimæ mentis ardor, & gratiſſima tanti patrocinii, quo hactenus Muſis meis frui licuit, memoria debitam injungit obſervantiam. Et qui poſſim aliter, quam non patriæ ſolum, cui auſpicatiſſima in novo præſide ſummis reipublicæ gubernaculis admoto ſidera illuxerunt, ſed & reipublicæ eruditæ boniſque literis, quas coli & florentes conſervari, tantis hactenus, VIR SVMME, benevolentia, labore, præſidiis curaviſti, exoptatiſſima fata prædicere, ſuavique futuri ſolatii vaticinio communem temporum noſtrorum levare miſeriam, cum, qui Te, PERILLVSTRIS DOMINE, norunt (intelligunt vero omnes, & innumeris teſtimoniis compertum habent, quanta a Te in patriam beneficia profecta ſint, qui virtutem, candorem, fidem ſuſpiciunt) unanimi ore, votivaque mecum mente conſentiant? Quod ſi beneficiorum & officii immemores taceant ingratæ linguæ, loquetur curia, loquetur civitas, loquetur eccleſia, loquentur ſcholæ, loquetur chorus patriæ literatus, quantum in TE nacta ſint præſidium, quantumque inde reipublicæ ſacræ & literariæ pollicendum ſit incrementum, quanta ſperanda felicitas. Et profecto, niſi, quæ excellentiſſimarum virtutum & immortalium meritorum Tuorum ſplendorem rariſſimo exemplo comitatur, modeſtia intercederet, quæ præſtando magis plurima, quam magnifice deprædicando ſingula nominis æternitatem juſtis ſperat legibus, niſi faſtigio non muneris tantum, quod ſuſcepiſti, ſplendidiſſimi, ſed & virtutum conſummatarum calami exilitas eſſet impar, liceret ſane publicis deprædicare encomiis, quam

magnificum patrum conſcriptorum collegium, quam eccleſiæ orthodoxæ antiſtites, quam ſcientiarum & artium doctores, quam artifices exquiſitiſſimi, quam tota Auguſtanorum civitas, & quam ipſa, ringens quidem, invidia fatentur ultro & extollunt, & tot ſpeciminibus convicti gratæ poſteritati tradunt, SVLZERIANI nominis gloriam. Tuæ enim prudentiæ & conſilio quid patria debeat, novit curia, loquitur ærarium, teſtatur ædilitas; quanto fervore & pietate pro gregis Chriſtiani libertate & cauſſa IESV CHRISTI vigiles, enarrat eccleſia; quibus curis rem juveris ſcholaſticam & literariam, extollit, Te præſide, auctus & ornatus Parnaſſus Auguſtanus & celebre gymnaſium: quanta æquitatis & ſapientiæ laude rem opificiariam artesque etiam nobiles promoveris, enumerat grata civium cohors. Quæ omnia & his majora etiam cum magnifica abunde ſint, næ infacundo me interprete opus non habent. Licebit tamen, quæ propiore forte, quam alii, experientia novi, ore grato deprædicare orbi literario: qui toties ad Te benevolentiſſime admiſſus, eos vidi & audivi eruditionis, non civilis tantum, ſed & literariæ, theſauros, toties a Te doctior diſceſſi, toties prudentiſſima ſuſcepi conſilia, toties ex inexhauſtæ lectionis horreo in condendis patriæ virtutis & doctrinæ memoriis adjutus ſum, ut quid porro literis in patria urbe ſperandum de Te ſit, omnium optime intelligam, jureque de Te fatear, quod de magno Welſero, ut duumviratus honoribus, ita eruditionis gloria Tibi anteceſſore, faſſus eſt ὁ πάνυ Hœſchelius noſter (*a*), per hunc patriæ noſtræ ocellum literas hic vere renaſci, quæ alio loco (*b*), ne ad priſtinam barbariem, unde vix emerſæ erant, relaberentur, timuerat. Qui itaque grata in doctrina præſtantium virorum cineres pietate laudes civium jure quodam aliquoties cecini, cur non Wolfium, non Hœ-

(*a*) *In dedic. Horapollinis ad M. Welſerum.*

(*b*) *In praef. nomenclatoris Graeco-Latino-Germanici, Aug. Vind.* 1593. 8. editi.

Hœſchelium, non Wegelinum, non Ehingerum, literatiſſimos olim patriæ noſtræ cives, in deprædicandis Mæcenatum ſuorum in literas meritis ſedulos gratosque imitatus, vivi & florentis rei literariæ inter Auguſtanos hodie ſtatoris meritis thura adoleam, & inter gratulantium choros non pietate tantum civili, ſed & amore erga renaſcentes ſub hoc Apolline literas votivas preces exhibeam? Numen itaque clementiſſimum, cujus curæ tam exoptatiſſimum reipublicæ præſidem Auguſta debet, quodque deſideratiſſimæ patriæ aurea ſub eo pollicetur ſecula, throno ejus advolutus humillime, ardentiſſimis compello precibus, ut feliciſſimum, quod patriæ ſaluti exortum eſt, ſidus cœleſtis gratiæ ſplendore ita irradiet, ut ab eo & gloriæ & honoris lumina, incrementorum omnis generis calore aucta, in patriam reflectant, novaque ratione tanto ſub Præfecto Auguſta fiat auguſtior. Ita fiet, ut & animi ad excelſa quæque nati vires, tanto oneri ferendo pares, & corporis vigor inexhauſtus, & immortalis nominis gloria, & æternus aviti ſtemmatis honor, tanquam juſtiſſima Tuam, VIR PERILLVSTRIS virtutem conſequantur præmia. Ita vero renaſcentibus quoque literis Auguſtano pomo ſuus porro erit honor (*c*), habebitque Auguſta, quem togatis priorum ſeculorum heroibus adjungat: certabunt inter ſe Muſarum filii in deprædicanda ſeculi noſtri felicitate & flore ſcientiarum, a tanto Mæcenate promotarum. Sic & Muſæ meæ nova ſæpius enaſcetur occaſio, Tuæ, PERILLVSTRIS DOMINE. magnificentiæ duratura erigendi monumenta. Quale ut & præſente ſcriptione excitem, & invitetur erudita gens ad pernoſcenda Tua ſumma merita, veniam devotiſſime expeto, de vita magni olim Auguſtani Heliconis ornamenti, HIERONYMI WOLFII, quem illuſtriſſimi ANTONII FVGGERI liberalitati & eruditorum patrocinio Auguſta debuit, pauca ex iis potiſſimum

(*c*) **Dixi de hoc lemmate typographiæ & ſocietatis Welſerianæ *l. c. p.* 20.**

mum ſchedis *ὡς ἐν συνόψει* exponendi, quas ipſe celeberrimus philologus vivus conſcripſit (*d*), quasque integras editum iri, optamus forte magis, quam ſperamus.

Genus & Parentes. Parentem habuit HIERONYMVS WOLFIVS, vitæ ſuæ, more veterum & recentiorum quorundam, (*e*) ſcriptor, Georgium Wolfium, in veteri comitatu Oetingenſi, nec virtute, nec dignitate, nec eloquentia poſtremum, opibus meliore illa ætate, moribus admiratione minus corruptis, ut ab egeſtate & a contemtu facile vindicaretur. Vetuſtate generis & equeſtris ordinis dignitate is paucis ceſſerat, cujus inſignia inter fundatores monaſterii Cæſarienſis prope Werdam Danubii in templo videntur (*f*); avus nobilitatis inſignia decorans, Oetingenſibus comitibus & reipublicæ Auguſtanæ, cujus quadringentos milites duxit, operam navavit ſtrenuam: ſcilicet propagata familia Wolfiorum a pincernis a ſaltu aprugno, quam ſtemmatis originem eleganti carmine celebravit Wolfius (*g*). *Nativitas.* Natus eſt in arce Oetingenſi A. R. S. cIↄ Iↄ XVI. Idibus Auguſti, intra 6. & 7. horam a meridie. Quod tempus cum *πλατυκώτερον* a mulierculis præſentibus annotatum ipſe moneat, mira-

(*d*) Vid. *ibid. p.* 8. MATTHAEI DRESSERI orationem *de Hieronymo Wolfio* mihi non viſam laudat. M. ADAMVS *vit. phil. p. m.* 308. qui ibi quoque vitæ Wolfianæ compendium exhibet. Ex hoc fonte omnes hauſerunt, qui res Wolfii enarrarunt, hiſtoriæ literariæ ſcriptores.

(*e*) Ipſe noſter quædam exempla in exordio ſcriptionis hujus affert, plura laudat P. D. HVETIVS *in fine comm. de rebus ad eum pertinentibus.*

(*f*) Inſignia familiæ ſuæ exhibet noſter in *prolegom. ad ſententias Iſocratis Baſil.* 1572.

(*g*) Adjecit hoc carmen dictis prolegomenis. Alia vero hæc eſt familia Wolfiorum a Ioannis Wolfii genere, celebris editis lectionibus memorabilibus, quem cum Hieronymo confundunt Bailletus apud TEISSIER. *eloges des hommes ſavans T. III. p.* 172. BOECLERVS *bibliogr. crit. p.* 450. notatus ideo MOLLERO *homonymoſcop. P. II. c.* 7. *p.* 141. & KRAVSIO *ad l. c. Boecleri. diar. erud.* apud BLOVNT. *cenſ. celebr. auctor. p.* 766.

miramur merito, virum haud obeſæ naris tanti tamen feciſſe aſtrologicæ artis partem *μαντικὴν*, ut ex horoſcopo thematisque genethliaci figura totam vitæ ſuæ, parum ſibi more ſuo placentis, ſcenam inſtruxerit, & prolixe in ipſo commentarii ſui limine his nugis immoratus ſit, quam *ἀςρολογομανίαν* merito in eo reprehenderunt viri docti, indeque judicium veris philoſophiæ præceptis non ſatis ſubactum collegerunt (*b*). Docte tamen ex artis illius præceptis in hoc argumento verſatus eſt, ſatisque prodidit, ipſum nec a veterum, nec a recentiorum lectione fuiſſe imparatum. Dignum tamen ex hac natalis ſui conſtellatione memoratu, quem ipſe inde elicit, vitæ ſuæ characterem notamus: factum inde eſſe, ut & animus naturali quadam deſperatione fractus nimium ſe abjiciat, & in diverſas diſtractus partes unum eundemque vitæ ac ſtudiorum curſum tenere non poſſit, & nihil purum putum decernatur; ſed ſi quid mellis inſtillatum fuerit, multo ſemper felle permiſceatur, & laboribus neque dignitas, neque gratia, neque auctoritas, neque præmia reſpondeant, ſæpe & ſucceſſus egregiis conatibus deſit, immo & infortunium, odium, invidia, obtrectatio, contemtus benevolentiam & ſtudium remunerentur; & fortuna oſtentetur ſæpius, nunquam contingat optata. Quas, animi magis ſui, quam vitæ, lineas per totum commentarium ubique exprimit, moroſumque ſenem, nunquam præſentibus contentum & de præteritis quiritantem atque inter ambitionis & deſperationis ſcopulos, timidique & elati animi ſyrtes fluctuantem ſæpiuſcule depingit. Recte vero hunc animi characterem ſecutam fuiſſe fortunam ad illum ſe effingentem notavit vitæ ejus ſcriptor cetera brevis MELCHIOR ADAMVS (*i*). Præter ſorores tres, *Fratres.*

(*b*) Cel. HEVMANNVS *act. philoſ. Vol. III. p.* 443. qui hanc ejus de aſtrologiæ fide opinionem ex annotationibus ad *Morellii tab. hiſt. phil. p.* 30. notavit.

(*i*) *l. c.* Paſſim in ſuis præfationibus ſe ita *μεμψίμοιρον* præbet, & nunquam ſua ſorte contentum.

tres, quarum in ſe fidem & amorem maxime prædicat, fratres ante ſe habuit natos duos, poſt ſe duos etiam, ex quibus reſtabat tum Henricus, philoſophiæ & medicinæ doctor, Norimbergenſis phyſicus, quem in arte ſua celebrem & apud nobilitatem gratioſum ætate licet minorem ſe & prudentia & proſperitate non minus, quam opibus & dignitate & totius vitæ proſperitate longe ſuperaſſe ſe ſcribit. Infantiam multa mox mala preſſiſſe conqueritur, matrem in inſanabile τῆς παραφροσύνης malum incidiſſe, peſtilentiam in fratrem natu majorem & ſorores graſſatam fuiſſe, œconomiam paternam diſſipatam: nec multo poſt ipſum quoque ex inteſtino apoſtemate plane deploratum, chirurgi tamen cujusdam potione fuiſſe ſanatum, ſæpeque in vita poſtea variis miſeriis jactatum illud Æneæ ingeminaviſſe:

Infantia.

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Ex hoc morbo diſtortus ei nonnihil ſiniſter oculus fuit, dextro firmior acceſſit acies. Ad undecimum ætatis annum partim rure, partim in belli ſervilis tumultibus Nördlingæ cum ſacrificulo vixit, parum tamen tam ob inconſtantiam ſtudiorum, quam paternæ œconomiæ diſſipatio attulerat, quam ob inſcitiam & injurias plagoſi ſui Orbilii ultra lectionem & ſcriptionem (quæ nec elegans nec diſtincta ſatis fuit, ut multis ſpeciminibus vidi) profecit (*k*): quam inepti magiſtri aſininam ignorantiam ridiculo exemplo illuſtrat, hic ubi compendium narrationis damus, non memorando. Id quod patrem Wolfii permovit, ut Theobaldo Gerlachio Billicano, theologiæ doctori, viro excellenti facundia & doctrina, Nördlingæ eum traderet inſtituendum, a quo Græcas & Latinas literas & dicendi ac diſſerendi artem edocendus eſſet: cujus tamen diſciplinam paulo ſeveriorem horrens, Norimbergam

Educatio.

(*k*) Conf. *præf. ad Guil. Morellii tabulas hiſt. philoſ.*

gam ad Chriſtophorum Iulium, clariſſimum ICtum fuit miſſus, ab eoque Sebaldo Heideno, viro ingenio & eruditione præſtanti, ſolertiſſimoque inſtituendæ pueritiæ artifici fuit commendatus, cujus inſtitutione ab anno 1527. ad 1530. uſus eſt cum aliqua ingenii & induſtriæ laude. Tum a Sebaldo præceptore in Ægidianum, quod ſenatus Norimbergenſis munificentia ex monaſterio erexerat, gymnaſium miſſus eſt, ubi tum magni viri, Ioachimus Camerarius Græcas & Latinas literas ac philoſophiam, Eobanus Heſſus poëtas Latinos, Michaël Rotingus dicendi artes, Ioannes Schonerus mathemata, Ioannes Boſchenſtain Ebræam linguam docebant. Quia tamen immatura id ætate fiebat, XIII. annum enim vix expleverat, parum ei utilitatis attulit virorum præſtantiſſimorum induſtria, cum omnia ei obſcura & difficilia viderentur. Et cum tandem aures ei aperirentur, & fructus aliquis ex iis, quæ tradebantur, ad animum ejus redire videretur, parentis literis triſtiſſimus in patriam revocatus eſt, id quod non exiguam rerum omnium deſperationem ei attulit, ſic ut puerili iracundia parenti ſcriberet, ſe delectari ſtudiis & præceptorum judicio iis aptum eſſe; ſi abſtrahendum pater duceret, ſartori vel ſutori inſtituendum traderet, ejus voluntati parere neceſſe ſibi eſſe. Quod patrem valde initio iratum permovit, ut ſe commodis & honori ejus rectius ac melius, quam pro ſtultitia ejus, conſulturum promitteret. Placato itaque patre, & commendationibus præceptorum auctus domum rediens, laudata ejus diligentia & doctrina, a parente cancellarii comitis Oetingenſis, Chriſtophori Iulii ICti præſtantis & omni genere literarum eruditi ſervitiis deſtinatur, facta ſpe aliquando in ſcholam redeundi. Quod patris conſilium ideo conceptum fuiſſe ipſe noſter fatetur, ut natura ejus triſtior & ſeverior, ac ſolitudinis quam frequentiæ amantior, aulica hilaritate dilueretur, & iracundia cum pertinacia quadam conjuncta conſuetudine dicteriorum emolliretur: id quod feliciter ceſ-

 ſit,

ſit, factusque eſt Wolfius ove quavis placidior. Cui cum probitas, diligentia, modeſtia accederent, a cancellario & aulicis vehementer dilectus eſt. Cum vero ob collegæ, in conclave ſcribis in arce deſtinatum eum non admittentis, pertinaciam in publico hypocauſto libelli legendi vel ſcribendum illi eſſet, ſibili & dicteria & vellicationes & grando oſſium & calceorum ſequebatur, quæ importunitas eum coëgit in montem vicinum vel rus concedere, ut deliciis ſuis frueretur. Laudatque tunc cum emolumento lectos ſibi Eraſmi Roterodami, Philippi Melanchthonis & Io. Ludocici Vivis libellos, quos cum poëtis aliquot Norimbergæ de ſuo peculio, fraudato etiam genio ſuo, & neglecto veſtium ornatu, ſibi paraverat. Multa tamen non intelligebat, cum ei deeſſet lexicon, & cancellarius, vir cetera eruditus, in eo genere ſtudiorum, quo Wolfius delectabatur, minus, eſſet verſatus, poëſi & lingua Græca: qui quoque ſæpius eum hortatus erat, ut, omiſſis nugis iſtis, jurisprudentiæ ſe daret, ut & reipublicæ inſervire, & rationibus ſuis conſulere poſſet, quare & inſtitutiones Iuſtiniani ei interpretabatur. Ipſe vero a ICtis, quos injuſtitiæ magis antiſtites, quam juſtitiæ ſacerdotes ſæpius eſſe, audiverat, valde abhorrebat, ignarus eadem re & bene & male uti licere, quod cancellarium permovit, ut invitis canibus venari velle deſiſteret, ea vero ipſi prædiceret, quæ ſuo poſtea malo in ſcholaſtico vitæ genere expertus eſt. Quam imprudentiam ſuam gravi querela deplorat Wolfius. Cum vero libri neceſſarii deeſſent, induſtria ſupplendum ratus, mane hora quarta ſurgebat, excitatus a vigile, & in dicendi & fingendi arte ſe ſatis infeliciter exercebat, conſcriptis iis, quæ in buccam venerant, cum non eſſet, qui emendaret, & parochi quoque filiis Terentium prælegebat, νεόφυτος διδάσκαλος. Quia vero huic vitæ generi deditus, ab aulicis tanquam fatuus & lunaticus ridebatur, id quum ille ægre ferret, conſilium cepit agendi aulicum. Libris itaque in ciſta

ſta concluſis pugionem, ornatum pileolum, faſcias tibiarum & alia aulicos decentia ſibi comparaturus, Nördlingam ad mercatum properat, & mercatores peregrinos jam abiiſſe videns, dum tabernas ingredi pudebat præ nimia timiditate & δυσωπίᾳ rediturus domum, bibliopolam offendit, qui libellos Francofurto allatos expoſuerat, inciditque in Valerium Maximum, & lexicon Græco-Latinum a Gilberto Longolio editum, & opuſcula quædam poëtica & rhetorica: quibus emtis domum properat & cum Muſis ſuis in gratiam redit, &, quod in aula occaſio deeſſet, de reditu in ſcholam dies noctesque cogitat. Quibus curis intentus in morbum incidit, quem cum partim diſſimularet, partim ipſe ſanare intempeſtive tentaret, vires tam corporis, quam ingenii, valde debilitatæ ſunt, adeo ut iſta moleſtia per ſeptem annos conflictaretur; quod tamen mali genus, quod gonorrhæam fuiſſe indignabundus Græcis literis adjecit, a Veneris cujusdam ira ſibi propullulaſſe ſuſpicatus eſt, cum caſtiſſime vixiſſet, & ſemper ſtudiis invigilaſſet. Nec conſulto etiam medico Nördlingenſi mali vis tolli prius potuit, quam fratris juſſu 1541. in thermas ferinas iret, quæ aquæ ſalutares ei ſæpius fuere. A patre itaque impetrata promiſſione, ſe ſumtus annum unum alterumque ejus ſtudiis facturum, 1535. Cal. Mart. Norimbergam rediit ad veterem præceptorem, a vini copia ad ὑδροποσίαν, & inter pueros magiſtro aſſidens addidicit, quæ ignorabat. Ægidianum vero gymnaſium plerisque doctoribus ſupra laudatis privatum offendit. Ioachimum itaque Camerarium Tubingam abeuntem illuc ſecutus eſt, inepte vero, de ſtudiorum ratione ineunda, præ verecundia eum non conſuluit, quo factum eſt, ut incerta utriusque linguæ cognitione impeditus optimos auctores exiguo cum fructu explicantem audiret. Id quod etiam ipſi in auditis Bigotii, Cæſarii, Gebhardi, Hildebrandi lectionibus philoſophicis & mathematicis evenit. Proficiebat tamen ex Schegkio Lucia- *Studia academica.*

num, Camerario Sophoclem, Benigno Quintilianum, Vejo Saluſtium interpretantibus. Sebaldi etiam Havenreuteri privatæ ei lectiones commodabant. Quia vero parens biennii tempus ei definiverat, quo relictis ſtudiis in aulam regis Ferdinandi eum ablegare conſtituerat, ut tempus ſine ſumtibus duplicaret, ſordidum famuli communis munus lætus atque alacer ſuſcepit, tanta frugalitate uſus, ut non niſi, ſi fontana aqua per imbres turbidior eſſet, vinum biberet: qua paupertate, virtutis & induſtriæ parente, valde gloriatus eſt Wolfius. Tum interpretatus eſt rector collegii Schegkius Evagoram Iſocratis; quæ prima noſtro occaſio fuit, auctorem hunc legendi & edendi poſtea ſæpius. Multum ſe paſſum refert Wolfius in eo munere a juvenibus, quibus contra mandatum rectoris portas noctu aperire recuſaverat, eamque cauſſam fuiſſe, ut miſſionem peteret, a patre præterea decumbente avocatus, qui lapſus ægrotabat. Ei dum miniſtrabat, tempus carminibus faciendis terit, parentis miniſterio minus, quam poſtea factum vellet, curato, a quo, quod ipſe dolens refert, multa humanæ vitæ utilia diſcere potuiſſet, quæ, ſibi vivens librisque ſuis, neglexit; quem ſibi in ſenio adhuc morem difficilem eſſe, ut cum nemine, niſi vocatus, congrediatur, fatetur, indeque evenire ait, ut in frequenti urbe ea ſibi ignorentur, quæ lippis & tonſoribus nota ſunt. Quam tamen vitam anachoreticam fraudi ſibi apud multos eſſe, & obtrectationes genuiſſe minus bene de ſe ſentientium, non negat. Parentis vero morbo moram trahente Tubingam redire ad ſtudia juſſus eſt, parens autem triduum poſt 20. April. 1536. ex ſubita narium hæmorrhagia obiit. Canes ea nocte lugubriter ejulaſſe refert noſter, quod dum notatum video Wolfio, in mentem venit Hieronymus Cardanus, vir magnus, ſed ſuperſtitione, aſtrologiæ judiciariæ amore & fide, ominumque & ſimilium obſervatione ſæpius notatus, quem in hac quidem animi inclinatione valde Wolfio noſtro plus ſemel obſer-

obſervavi ſimilem (*l*). Parentis obitu in patriam conſtituendæ rei familiaris cauſſa Tubinga revocatus, bis ſalutis & vitæ periculum fecit, divina providentia ictus telorum improviſos duos ab eo avertente: qualia divinæ tutelæ ſpecimina, quæ ſibi in vita eveniſſent complura, hac occaſione narrat. Inter quæ & errores in ſylva, atque ſitim inde magnam ortam enumerat, lacte tantum in caſa ruſtici cujusdam extinctam, unde læſo hepate ſibi ad eum diem usque exortos dolores hypochondriacos putabat, ideoque quoque repudiato vino Neccarico, tanquam a ſole minus cocto, vina optima expetebat, quod ſibi ut vinolentiæ vitium, quemadmodum jocos inter raras ſibi epulas ut licentiam, exprobratum eſſe conqueritur, hancque ſeveritatis domeſticæ & dolorum inteſtinorum reſpirationem fuiſſe innuit, interpoſito quoque uſu confectionis *διὰ ῥόδων* a Gaſſaro ſuppeditatæ, quam cum nuce muſcata annos ſibi prorogaſſe, alias pauciores futuros, monet. Quam morborum ſeriem & cauſſam in inopiam vini generoſi & optimi rejicit. Tubingam reverſus totum ſe jurisprudentiæ dare conſtituerat, & collegia ICtorum ideo adibat, quorum tamen prælectiones ſe non intellexiſſe fatetur. Quia vero malo iliaco per quatuor menſes illi erat confligandum, tantam ſenſit ingenii ex capitis imbecillitate & vertigine, morbo etiam levato, debilitatem, ut relicto iſto conſilio ad priſtina ſtudia redire cogitaret, moram reſtituendæ ſanitatis non tam minus patiens, quam, ingenio & temperamento ita ferenre, deſperans. In aulam tamen Epiſcopi Wirceburgenſis, ab amicis, præceptoribus & ipſo comite Oettingenſi commendatus ſecedens, receptus fuiſſet in cancellariam, *Vita aulica.*

(*l*) Multa Wolfius cum Cardano habuit communia, nam & hic in libro *de vita propria* conqueritur de inimicis & æmulis *p.* 53. de calumniis *p.* 54. de paupertate & detrimento in patrimonio *p.* 67. enarrat pari modo pericula vitæ, inſidias lethales, & aſſiduas *p.* 78. inſomnia *p.* 113. oſtenta naturalia & viſa rara *p.* 146. & his ſimilia.

riam, ſi fidem ei perpetuo obſtringere voluiſſet; inter aulicos tamen a principe recipiebatur. Commode ſe ibi vixiſſe, & optimis uſum fuiſſe amicis teſtatur, ſed ſine magno negotio, labore & mercede. Ex piſcium per quadrageſimæ tempus eſu circa æſtatem febri ardenti exorta, maleque curata venæſectione temeraria, cum cruciaretur ſiti, frigidæ potu, & ceraſorum acidorum devoratione iliaci mali reditum provocavit, ideoque in patriam remiſſus eſt. Ibi ſanitati ſororis cura reſtitutus Herbipolin revertitur, veniamque impetrat redeundi in academiam. Wittebergam itaque accedit, Melanchthonis eruditione & fama invitatus, & ab amicis commendatus. Ibi quamvis ſegnius & minus, quam neceſſitas ejus poſtulabat, pecunia ſubmitteretur, audivit tamen Lutherum, Melanchthonem, Winshemium, Amerbachium, aliosque, & deſcripſit annotationes magiſtrorum in eos auctores & artes, quas non integras audierat: frequentavit etiam bibliothecam principis, in qua bonam partem commentariorum Ariſtophanis deſcripſit, Hermetisque libellum de revolutionibus nativitatum, quem poſtea edidit, plurimum admiratus eſt, & in literis Græcis & Latinis aliquid fecit operæ pretium, in aſtrologia & mathematis non ita multum profecit. Offenſus vero urbis ſordibus, & pecuniæ inopia monitus media æſtate 1539. præceptori Sebaldo locavit operam, diſcipulos publice & privatim docendi, in Græcis vero literis diligenter elaborabat, & verſiones conferebat cum textu Græco. Ibi cum exiguum ſtipendium aliquantiſper eſſet auctum, ut præter cibum frugalem triginta florenis conſtaret, jucunde & contentus cum amicis Norimbergæ vivebat, & verſiculis Græcis & Latinis proceribus innoteſcebat, qui ei de meliore loco proſpicere, fruſtra tamen, cogitabant. Itaque in eo piſtrino hæſit ad annum 1541. quo novatis religionis ceremoniis, in patriam ad aperiendum ludum vocatus eſt. Vbi cum & affinis ei moleſtus eſſet, & merces maligne

Reditus in academiam.

Vita privata Norimbergæ.

&

& imtempeſtive numeraretur, Witebergam ad Melanchthonem rediit, ſcholaſticam conditionem expectaturus, quæ ei Cal. Ian. 1543. Myhlhuſæ Thuringicæ oblata eſt. Melanchthonem itaque ubi Lipſiæ in ædibus Camerarii acceſſiſſet, ibique Lycei ab eo Græcum accepiſſet nomen, quo diu uſus eſt, commendatus a magno viro Myhlhuſam abiit, nuper puriorem doctrinam amplexatam, & a turbis Anabaptiſtarum nondum plene liberatam. Nec tamen hæc ſchola capiebat Wolfium, cum vix duodecim haberet diſcipulos, quibus utriusque linguæ elementa traderet, reliqui alphabetarii eſſent, quorum parentes ſatis haberent, ſi filioli legere utcunque & ſcribere didiciſſent. A plerisque tamen honorifice tractabatur, & nullibi magis in privatis ſtudiis majore unquam ſucceſſu & commodiore valetudine, quam iſto biennio, uſus eſt. Perlegebat enim totum Ciceronem, Quintilianum, Iſocratem, Xenophontem; Ariſtotelem & Platonem magna ex parte; cui Iuſti Menii, viri eloquentis conſuetudo admodum jucunda accedebat, cui Wolfium Melanchthon de meliore nota commendarat, ad quem etiam ſyſtaticas Melanchthonis affert, graviſſimum eruditionis Wolfianæ teſtimonium perhibentes. Deſiderat tamen in eo vir optimus animum hilariorem & in actione excitatiorem, auctoritatem vero virtute ipſum ſibi conciliaturum ſperat. Id quod defuiſſe ſibi, & optimum virtutis ſtudium nullam ſibi auctoritatem addidiſſe, immo contraria ſibi pleraque fieri more ſuo moleſtius conqueritur. Ejusmodi enim querimoniis totus hic commentarius plenus eſt. Hancque cauſſam innuit, cur & Myhlhuſæ ſibi bene eſſe deſineret, præcipue cum ibi primum ſentiret, ſe præſtigiis magicis impeti. Vrbem itaque aliam optans, ubi frequentia eruditorum major eſſet, Viti Theodori commendatione Norimbergæ locum, qualem optavit, invenit, curæ ſuæ duodecim ſelectis adoleſcentibus commendatis, quos ita ſibi conciliaverat, ut filiorum inſtar eum

Myhlhuſa.

Norimberga.

eum diligerent. Quos cum magna dexteritate erudiret, civitatis proceribus, imprimis duumviro Tuchero, ita commendabatur, ut, aucto ſtipendio, præter honeſtum victum, in ſingulas hebdomadés ſinguli ei floreni præberentur. Quare in portu jam ſe navigare credens, munere diligenter fungebatur, boni cujusvis ac docti gratiam nactus. En vero in ſereno ſubitam ex improviſo tempeſtatem. Cum enim neminem offenderet, nec inimicum ſe habere putaret, ita venenis & præſtigiis exagitabatur, ut mors, quam vita, ei eſſet optabilior (*m*). Neque diabolus & inſtrumenta ejus, verba ſunt noſtri, prius deſtiterunt, quam eum, non modo munere eo dejeciſſent, ſed & urbe cedere coëgiſſent. Menſe enim Dec. 1546. ſex continuis diebus intempeſta nocte ſubito terrore ſomno excutiebatur, ſtatimque gutta ex dextro oculo delabi videbatur, ut tandem in metum occæcationis veniret, & nec quicquam fere legere poſſet. Solus prandens vermes & araneolas in cibo reperiebat, vinum ſpuma, ut cereviſia, obductum afferebatur. Cum itaque ſe incolumem hoc loco eſſe non poſſe videret, miſſionem a magiſtratu petiit, non vero impetravit, quod melancholia ex ſtudiorum aſſiduitate contracta laborare crederetur, locum tamen mutare ad tempus aliquod ei permiſſum eſt. Thermas itaque ferinas ingrediens mediocriter convaluit, & per Hercyniæ ſylvæ nives Argentoratum excurrit, a ruſtico vero quodam Hercyniæ ſylvæ incola herbas quasdam & globulos accepit, quos Norimbergam redux cum ardentibus prunis impoſuiſſet, non corporis tantum magnam ſenſit mutationem, ſed & popularis quidam livida eum mox convenit facie & tubere, qui ſe ex lapſu ita fuiſſe concuſſum mentiebatur. Dicebatur etiam mulier quædam non ignobilis decumbere. Et ita quidem per aliquot hebdomades quietus vixit;

(*m*) Prodit hac hiſtoria Wolfius luculenter animi characterem, non recordatus, ſe ſupra ſcripſiſſe, hypochondriaco malo ſe vehementer fuiſſe afflictum.

vixit; ſed cum priſtini terrores & pericula redirent, abeundum eſſe, etiam invitis dominis, ratus, cum pro delirante eum haberent, quos tamen faſſos tandem eſſe, ait, ipſo jam in Helvetia degente, monachum quendam ſceleratum, qui præficam in iſto noſocomeo, ubi vivebat Wolfius, apud morientes agebat; iſtas ipſi tragœdias excitaſſe, quem magum eſſe conſtaret: quem tamen miniſtrum tantum alterius invidi fuiſſe credit, & ſuſpiciones animo quidem premit, non negat vero, certum ſibi videri, ſentinam hominum improborum in lentam ejus necem conſpiraſſe. Quæ ipſis Wolfii verbis ideo retulimus, ut quo animi corporiſque morbo, vir cetera bonus & eruditus, laboraverit, attentis pateat. Plura, quæ ex aſtrologicis rationibus affert, non addimus.

Vrbe itaque Norimbergenſi relicta, paulumque Nördlingæ apud ſororem commoratus, iter Tubingenſe, Argentoratenſe & Baſileenſe eſt ingreſſus, cum, ut veteres præceptores & amicos viſeret, tum ut quatuor Iſocratis orationes & duas Demoſthenis, quas converterat, Oporino excudendas daret, & patronis eas inſcriberet. Oporinus autem conſilium mutare, totumque vertere auctorem ſuaſit, ſumtusque & remunerationem promiſit, quod etiam Argentoratum reverſus in ædibus veteris amici Sebaldi Hauenreuteri perfecit, qui victum & domum ei obtulerat. Ita abſolutum Iſocratem Latine edidit 1548. in qua tamen verſione ſe magis fidelitati, quam puritati, ſtuduiſſe fatetur, cum majorem Græcæ quam Latinæ linguæ uſum & facultatem poſſideret (*n*). Primum hoc ejus & minime elaboratum opus, quod exiguo tempore confecerat, adeo probarunt amici, ut ejus fama commoti efficerent, ut Auguſtani ejus curæ committerentur diſcipuli, quos Baſileæ biennium, Lutetiæ *Itinera.*

(*n*) Totam Iſocrateæ verſionis hiſtoriam noſter enarrat in *præf.* ei non præmiſſa, ſed ſuffixa *p. m.* 1104. quæ pleraque in hunc comm. transtulit. Quæ vero ibi obſcurius de vitæ ſuæ fatis queritur ex allatis lucem capiunt.

tiæ unum annum inſtituit. Argentorati, cum opportunum erat, Petrum Martyrem, Martinum Bucerum, Paulum Fagium, Ioannem Sturmium & Iuſtum Felſium audiebat, ex quibus Bucerus ei ſpem faciebat, ſi in claſſe docere vellet, publicæ poſtea prælectionis. Verum ille corporis imbecillitati diffidebat, & ſuperiore loco ſe dignum judicabat, quam imprudentiam ſuam ipſe fatetur & deplorat. Poſtea Baſileam reverſus adoleſcentes dictos erudiendos ſuſcepit, ſecumque in eodem habuit conclavi & cubiculo, quatuor eos ſingulis diebus horas inſtruens. Totum ibi biennium convertendo & emendando Demoſthene, Oporino auctore, tranſegit, quanquam Amerbachius a conatu eum hoc deterrebat, quod nec Budæus nec Eraſmus in eum auctorem quicquam fuiſſent auſi. Pauſaniam, quem inchoarat, Abrahamo Lœſchero (*o*) mandavit, qui eum Baſileam ſecutus erat. A Ludovico vero Carino (*p*) rogatus, ut ſibi cum Io. Fuggero in Galliam ituro hypodidaſcalus eſſet, conſulto Hauenreutero annuit quidem, ſed non impetravit: Demoſtheni itaque vertendo totus incubuit, tanto ardore, ut cum lapſu graviore dextrum brachium luxatum eſſet, & confractum oſſiculum, læva dextram ſublevans, non multum, aliquid tamen, ſcriberet. Sebaſtiani autem Caſtalionis jucunda & utili conſuetudine utebatur, cujus non colloquiis tantum, ſed judicio quoque in emendanda verſionum dictione utebatur, cumque is familiam ex typographicis operis utcunque ſuſtentaret, tenuitatem ejus pro virili ſublevabat. Quod cum poſtea Wolfius Auguſtam delatus intermitteret, quod Caſtalionem, cui Græcarum literarum prælectio demandata erat, ſua ope non indigere crederet, isque noſtrum arro-

(*o*) Is eam verſionem edidit *Baſil.* 1550. *fol.* dedicatam Ioanni Iacobo Fuggero. Vid. *Fabricius bibl. Græc. Vol VIII p.* 471.

(*p*) Magna, quæ commodis & fortunæ ſuæ Carinus præſtitit officia & beneficia noſter deprædicat *peculiari elegia Nicephoro Gregoræ præmiſſa.*

arrogantia ſua, verſus Wolfii in converſionem bibliorum rejiciens offendiſſet, exacerbavit Caſtalionis animum, ut ei ſua potiſſimum opera in condendis verſionibus adjutum jactaret, vel morderet potius, id quod Wolfium, hac de injuria paſſim conquerentem (*q*) male habuit. Verum hoc gentis Gallicæ innato accidiſſe vitio putabat, quos ſui contemtores habuiſſe conqueritur. Abſoluto & edito Demoſthene, cum diſcipulorum parentes Wolfium Lutetiam ire juſſiſſent, Auguſtam id opus ſecum dorſo attulit, & ab Antonio Fuggero humaniter habitus eſt, qui eum ſuis ſumtibus in Italiam ablegaſſet, niſi ipſe a regionis moribus abhorruiſſet. Tum Baſileam redux Lutetiam comitatu ſedecim equitum profectus eſt, cumque circa Aprilem exeuntem ibi adveniſſet, Michaëlem Vaſcoſanum & Iacobum Gropylum, Petrum quoque Ramum & Adrianum Turnebum benevolos & faventes invenit, ſed Ioannes Strazelius regius profeſſor ejus interpretationes plane canina rabie pro ſuggeſtu exagitavit, & tamen cum eo coram loqui & conferre de ea re ſemper recuſavit (*r*). Habebat etiam quosdam Germanos ſui ſtudioſos, & inter hos Sigfridum Pfinzing, Norimbergenſem, Ambroſium Lobwaſſerum, aliosque. Sed & nihil Lutetiæ illi jucundum erat, nec urbis fœtor capiti, nec Sorbonæ in æmulos religionis æſtus animo gratus erat, valdeque ſibi de periculo metuebat. Quærebat

(*q*) Vid. *præfatio in Iſocratem.*

(*r*) Paſſim in *præfationibus* eum pungit Wolfius, & in elegia in Oporinum præfixa *Nicephoro* ita:

Æſchinis & Demoſthenis omnia ſcripta coëgit
Vertere cunctantem, convicia vana timentem:
Qualia Strazelius tumido deblaterat ore,
Et plerique ſonant, qui pulpita celſa tenentes
Laudibus alterius ſe perdere nomina credunt:
Seque putant doctos, ſi plus vidiſſe putentur,
Ignavum pecus, & mordax, plenumque venenis,
Ambitioſa virum quêis pectora fervere cernas.

bat itaque facultatem veniamque redeundi in Germaniam, diſcipulis de hypodidaſcalo, & de alia ſibi conditione diſpiciebat, quæ duplex offerebatur, apud Io. Iac. Fuggerum & in aula Mauritii principis a Chriſtophoro Carolovicio, quarum neutra tamen ſucceſſum habuit. Baſileenſe itaque iter pedibus tempore hiberno ingreſſus, carro ob defatigationem, qui ab uno equo trahebatur, conducto advenit, a nemine, ne ab Oporino quidem (*s*), admodum benigne & amice exceptus, quod ejus inconſtantia male omnes haberet. Obſervatque Wolfius, totum, quod Demoſtheni impenderat, triennium ipſi infauſtum fuiſſe, periiſſe pleraque exemplaria, quæ ex quinquaginta remunerationis loco ab Oporino accepta amicis deſtinaverat; patronum quadraginta florenorum honorarium decreviſſe, & cum aureos montes illi amici ejus promiſiſſent, nunquam ſe in majorem deſperationem & indignationem incidiſſe. Nec Demoſthenem in herili bibliotheca recognitum, Æſchine adjuncto, feliciorem fuiſſe expertum, cum patronorum offenſam ea editione incurrerit, ob adjunctam elegiam ad fratrem, in qua male Fuggeranæ familiæ ominari ſycophantis dicebatur. Interim Martinus Borraus Cellarius theologus Baſileenſis operam dabat, ut Græcas Wolfius literas doceret, decreto ſui muneris ſtipendio, quod cum exiguum XXXVI. coronatorum eſſet, typographica vero ſervitus ei diſpliceret, peſtilentia quoque ſerpere cœpiſſet, recuſavit. Auguſtam itaque tendens, Kaufbyræ a Georgio Hermanno & Gregorio Læto (*t*) humaniter habitus, eo tempore ibi advenit, quo Carolus imperator comitia habebat, unde vix locum in Conradi Mairii

Adventus Auguſtæ.

(*s*) Hujus tamen ingentia in ſe merita *l. c.* gratus extollit, ſcilicet indignabantur ejus amici inconſtantiam fortuna ſua uti ignorantem.

(*t*) Dictum de Hermanno in cl. SCHELHORNII *amœnit. hiſt. eccl.* T. I. *p.* 700. *ſeqq.* de Læto in *ſymbolis criticis ad L. Germanicam*, P. XIX. *p.* 394. *ſeqq.*

Mairii conſulis, patroni ſui, ædibus inveniebat: ubi initis de rebus ſuis rationibus iter in patriam inſtituebat, a Xyſto Betulejo vero, & ejus cura, a Io. Baptiſta & Paulo Hainzeliis retentus eſt, ut Auguſtæ conditionem ſibi aptam expectaret, ſine ſuo ſumtu. Ad eum itaque ſe contulit, ibique Epicteti converſionem inchoavit. Sed & Richardus Moriſinus, regis Angliæ Eduardi VI. legatus, eum ad erudiendum Suffolcienſem Ducem in Angliam luculento ſtipendio ablegaturus erat: cui tamen fortunæ mors principis adoleſcentis interceſſit. Poſtea ad Ia. Iacobum Fuggerum, cui Demoſthenem dedicarat, accerſitus eſt, ut ei operam in Latinis literis ſcribendis & curanda bibliotheca navaret, quam conditionem etiam ſuſcepit, cumque interrogatus, quod ſtipendium decerni vellet, nihil ipſe petiiſſet, altero anno centenos coronatos ſibi dari non ſine offenſa heri poſtulavit, cum initio bona cum gratia plus licuiſſet. Centenos itaque thaleros obtinuit, promiſſa ſimul, ſi quid deſuturum eſſet, heri liberalitate. In eo munere ſex integros annos verſanti, etſi pecuniæ nihil acceſſit (*u*), tamen Fuggeranæ familiæ ſingularem humanitatem fuit expertus. Eo tempore Iſocratem Græco-Latinum & Demoſthenem accuratius recognitos edidit, Æſchinem præterea oratorem, & commentarium aſtrologicum, & hiſtoricum Zonaram convertit, patronus vero eum ad aulicas dignitates promovere ſtudebat, cum vero & ſcholaſtici noſtri mores obſtarent, & homuncio quidam ſcarabeo nigrior doctrinam & mores ejus exagitando extenuaret, non magni eum facere videbatur, menſæ tamen adhibebat, in qua, quod herus abſtemius eſſet, ipſi vinum

Muneris apud Fuggeros.

Aa 2 Nec-

(*u*) Aliter tamen noſter in elegia ad *Lud. Carinum:*
Inde tuis patrociniis evectus in urbem
Auguſtam heroas Fuggeros novit amicos,
Fundamenta ſui qua jecit prima peculi,
Et patrias reparavit opes, quas ægra juventa
Caſibus afflicta variis exhauſerat omnes.

Neccaricum aqua dilutum apponebatur, ſtomacho ejus inimiciſſimum. Fatetur tamen, ſi occaſione uti ſciviſſet, facile ab hero impetraturum fuiſſe, viro natura liberali & magnifico, & laudis gloriæque cupido, ut codices Græcos convertere & Latine edere licuiſſet, quibus ea bibliotheca abundabat. Factum autem eſt, ut herus, priori conjuge Vrſula Starrochia, egregia heroina, defuncta, paulatim occaſionem quærere cœperit, ejus honeſte dimittendi; unde & per biennium minus ei gratioſus fuit. Hoc tempore Io. Dореſchwanus, vetus familiæ Fuggeranæ procurator, re familiari in Neoſolio Pannoniæ caſtello conſtituta, animi gratia Conſtantinopolin & Amaſeam usque Cappadociæ urbem excurrit, reverſusque Zonaram & Choniatem attulit, auctorque fuit Antonio Fuggero, ſcriptores hos diu deſideratos Wolfii opera Græce & Latine edendi. Factum id 1555. adjunctusque ei Hieronymus Martius poſtea phyſicus Auguſtanus, qui manu eleganti codices deſcriberet, & converſionem jungeret. Quod inſtitutum Ludovicus Carinus apud Fuggeros, quos pleroſque inſtituerat, gratioſus valde promovebat: cujus laboris hiſtoriam cum in Byzantinæ hiſtoriæ ſcriptorum præfationibus enarraverit, facile ea inde repeti poteſt. Interim per Gereonem Sailerum primo obſcurius, mox a ſcholarchis Auguſtanis per Ioh. Hainzelium cum Wolfio actum eſt, ut ſingulas horas quotidie Græce doceret: quam ſpartam poſt heriles injurias, qui ejus opera ſerviliter abuti cœperat, tandem trecentorum florenorum ſtipendio ita ſuſcepit, ut & in ſchola reformanda, & docendis Græcis literis, & ornanda bibliotheca Auguſtanæ reipublicæ operam ſuam in quinquennium promitteret, quod haud gravatim fecit, ignarus, ut ſcribit, in quantum calumniarum & ærumnarum pelagus præcipitaretur (*x*). Curandum

Ephoria gymnaſii Aug.

(*x*) In tutiſſimum ſtudiorum nidum eum ſe recepiſſe ait *Thuanus ad an.* 1550. quod verum eſt, ſi Wolfius tempore uti sciviſſet, quod magnis tum literarum patronis abundabat.

dum enim erat, ut in publico loco non in triviali claſſe docere videretur; providendum ne nova mutatio criminationes excitaret, deprecanda offenſa inſpectionis claſſium, & offerenda illius loco conduplicata docendi opera. Poſtulanda ſeparatio doctiorum, qui eum audirent, a rudioribus, iique in ſublimioribus magis exercendi & excitandi, quam iſta accommodatione ad captum rudiorum, quæ illi injuncta erat, expectatio multorum fruſtranda & ſtudia reſtinguenda. Quæ tamen omnia quo minus adverteret, & mature mutaret conſilium, publica auctoritas, & honeſtum ſtipendium, & novi inſtituti præclara ſpecies impediverunt, ita ut omnia plana & expedita & cum publica laude conjuncta ſomniaret. Erat etiam, qui academiam in urbe hac erigi non poſſe, moneret; quam voluptati & quæſtui magis, quam literis, ſervire ipſe pervidebat: pluresque docti homines indignabantur, ejus ingenium in his puerilibus rudimentis obſoleſcere, atque animum obtorpeſcere: queriturque, ſe poſt quatuordecim annorum balbutiem, ſi in frequentiori & celebriori auditorio docendum dicendumve eſſet, timere, ne referret oculos ad terram humique reperet, & ſe, in Auguſtano phrontiſterio pueris β ϗ α λέγειν opinarentur (*y*), ſe certe, quoties eruditi hoſpites lectioni interſint, vehementer & ſui & auditorii pudere, & doctiores adoleſcentes, cum ſemel eum audiverint, mox recedere, queſtos, quod tam pueriliter doceret. Hinc factum eſſe ait, ut ſe majori, quam meliori, parti attemperando in commentariolo Ciceroniano & Iſocratico plura dixerit, indigna fortaſſe quæ imprimantur, utilia tamen pueris (*z*). Circa illud tem-

(*y*) Alta ſpirabat inter magnam timiditatem Wolfius, hinc academicum munus anhelabat, neque tamen a Norimbergenſi ſenatu in gymnaſio Altdorfino oblatum accepit, ſed Thomam Freigium ei commendavit. Hinc ille contemtus lycei Auguſtani, quod ante eum Betulejus, poſt eum Hœſchelius magna nominis celebritate & ſine indignatione illuſtrarunt.

(*z*) Produnt hæc pleraque edita, cum in illo munere vive-

pus in thermas ferinas conceſſit, requieſcendi & inſidias, quas timebat, evitandi cauſſa: & reverſus in aedes Huldrici Fuggeri, qui communem victum ei obtulerat, immigravit: ubi cum affatim ei omnia praeberentur, propter ἀταξίαν tamen oeconomicam, quae poſt quadriennium in nervum erupit, parum ei vel in re familiari vel in valetudine profuit: 1562. tandem per calamitatem hoſpitis (*aa*) non ſine multis difficultatibus in libertatem aſſertus eſt, conductaque domuncula cibi capiendi gratia per annum oberravit, tandem anno ſequente parvam oeconomiam inſtituit, cui propter expenſas complures ſtipendium non ſuffeciſſet, niſi aliquid aliunde acceſſiſſet. Carolus enim Villingerus converſionem Suidae efflagitatam ducentis florenis remuneratus eſt: Auguſtana reſpublica, ob inſcriptionem commentarioli in Ciceronis officia, quinquaginta aureis eum donavit. Ita factum ut aes alienum vitaret, & ſtatum ſuum priſtino more tueretur, usque ad annum 1566. quo elocatio neptis Vrſulae Strauſiae, Ioanni Schenckio, Matthaei, Auguſtanae ſcholae primarii (*bb*) filio phyſico Norimbergenſi in matrimonium datae, cui quadrantem pecuniae ſuae doti dixerat, res ejus imminuit, effecitque ut expenſae reditus ſuperarent. Potuiſſet quidem, ſi ad rem attentior fuiſſet, & in bibliothecam, qua tamen per ſervitutem frui ei non licuit, non amplius mille florenis conjeciſſet, & in pauperes & cognatos minus contuliſſet, reculas ſuas pauliſper augere. Verum homo ἄγαμος καὶ ἄτεκνος in libris ſuis, ſi non ſatis utendis, diſponendis tamen & curandis tempus fallebat, & eos juxta argumenti ſummam ordinabat, &,

ret Wolfius, recteque id notavit cel. HEVMANNVS *act. philoſ. Vol. III. p.* 343.

(*aa*) Conf. GASSERI *annales ad h. a.*

(*bb*) *Vitam* hujus *collegae* ſui ad ſe ab ipſo ſcriptam ſuffixit MORELLII *tab. hiſtor. philoſ. p.* 463. unde repetitam edidit ven. SCHELHORNIVS *amoenit. lit. T. X. p.* 1047. *ſeqq.* novam nos ſupra dedimus.

&, cum hæc ſcriberet, feſſus ſenex (*cc*) fatetur, ſe nondum antiquos auctores ſibi comparare deſtitutum, ſi venales reperirentur. Verum ſe non numorum cura, ſed divinæ miſericordiæ poſſeſſione teneri pie fatetur, & ſe cœleſtis patriæ deſiderio occupari, tædio terrenorum ſatiatum pulchre innuit, ſuarumque ſimul ærumnarum amplum more ſuo recitat catalogum, & qua ratione tot curis, vigiliis, morbisque fractus æternitati ſe ſe paret, prolixe exponit.

His per digreſſionem dictis ad ſcriptiones ſuas, propter quas præcipue hunc commentariolum ſuſceperat, redit, & patroni liberalitatem laudat, qui Zonaræ & Choniatæ vertendis (*dd*) pro ſingulis paginis ſingulos florenos numeravit, qui ad CCC LXXII. excrevere, quo modo peculium ejus aliquantiſper auctum eſt. Oblatum etiam ei ſexageſimum anni ætatem agenti formoſæ & dotatæ puellæ conjugium eſt, quod tamen judicio Carini, qui vitam ei breviorem fore monuerat, rejecit. Dum vero in Byzantina hiſtoria dies noctesque laborat, ſtomachi vehementem imbecillitatem contraxit, quod maxime poculo nepenthe mixto tribuit (*ee*). Ea abſoluta ſcholæ Anneanæ præfectus, magiſtratui conſilium de ea emendenda exhibuit, in quo Michaëlis Toxitæ & Ioannis Sturmii libellis adjutum ſe eſſe fatetur, etſi minimam illorum partem in rem præſentem vertere licuit. Rivianum itaque opus de tribus dicendi artibus in ſcholam introduxit, paulo poſt valde exagitatus, ut qui Chriſtum ex ſchola ejeciſſet, in qua magiſtratus, opinionum varietate diſtractus, ſacra doceri noluerat, exceptis primis Chriſtianæ religionis fun- *Scripta.*

Aa 4 da

(*cc*) Acerbos hac de re queſtus edit in *præf. Qq. in offic. Ciceronis.*

(*dd*) De corpore hoc hiſt. Byzantinæ, vid. HANCKIUS *de ſcr. hiſt. Byz. c. XXXI. XXXIV.* CAVE *hiſt lit. ſcr. eccl.* OUDINUS *de ſcr. eccl. T. II. p.* 985. 782. IO. FABRIC. *biſt. bibl. ſuæ T. II. p.* 415. 419 420. IO. ALB. FABRIC. *bibl. Græc. L. V. c.* 5. *Vol. VI.*

(*ee*) Conf. *dedicat.*

damentis ſine ulla interpretatione tradendis (*ff*), cujus tamen contraria ratio paulo poſthabita & catechiſmus Lutheri minor introductus eſt. Qua occaſione, cum illis, a quibus ſuſceptus erat, dominis pareret, haud parum moleſtiæ illi ab aliis creatum, multamque invidiam conflatam fuiſſe conqueritur, dictantibus nonnullis a veteri domino (*gg*), qui ex ſcholarcharum ſuperiorum numero fuerat, rempublicam illo conducto inutili ſumtu oneratam fuiſſe, ut honorifice eum bonaque cum venia e familia ſua dimitteret. Id quod non omnino temere dictum fuiſſe, facile ex temporum illorum circumſtantiis, & deſerta mox poſt Wolfium docendi ratione academica, demonſtrari poſſet, ſi id ageremus: Wolfium vero male habuit, quem ſæpius pœnituit, non in montem regium Boruſſiæ abiiſſe, vel Ottonis Henrici electoris vocationem CCC. thaleros & victum aulicum ſpondentem non ſecutum fuiſſe, vel Argentoratenſium & Bernatum liberalitate uti non potuiſſe, quod fidem ſuam Antonio Fuggero & reipublicæ Auguſtanæ jam obſtrinxiſſet: adeo inviſum ei fuit, horologio ſervire, intra una mœnia, tanquam in ergaſtulum, concludi: unde cum quadriennio exacto ſcholarchas interrogaſſet, an opera ſua porro uſuri eſſent, iique moram reſponſionis necterent, per Hauenreuterum Argentorati locum extraordinarium ſtipendio CC. florenorum obtinuit; quia tamen trihorium ante, quam Hauenreuteri literæ adveniſſent, D. Chriſtophoro Peutingero (*hh*) duumviro, ea conditione, ut etiam valetudinario ſemiſſis annui ſtipendii numeraretur, reipubl. Auguſtanæ operam ſcholaſticam denuo erat pollicitus, ſuſcipere eum non potuit, id quod Wolfius ægerrime, ut erat fatorum indefeſſus accuſator, tulit, mutare non potuit. Ea enim erat ſen-

(*ff*) Conf. GASSERI *annales ad hos annos.*
(*gg*) Antonio Fuggero.
(*hh*) Epitaphium illuſtri viro ſcripſit noſter præfixum *Q. q. in Ciceronis officia.*

ſententia, ſcholam nomini ſuo caliginem offundere, non id nobilitare (*ii*).

Ita enarrata vitæ ragœdia potius, quam hiſtoria, cujus ſcenam ipſum Wolfii temperamentum ſupra modum difficile, cunctatorium, & occaſionibus atque hominibus captandis ineptum, atque poſt prave neglecta ſero pœnitens plerumque inſtruxit, ſcriptiones tandem ſuas Auguſtanas enumerat. *Auguſtæ edita.* I. Itaque in ædibus Huldrici Fuggeri Rivianum opus cum ſuis & aliorum annotationibus Aug. Vindel. 1557. edidit (*kk*), quo & anno II. dialogus de uſu aſtrologiæ prodiit. III. Commentarios Ptolemaicos & Porphyrianam iſagogen in Fuggerana bibliotheca converſa edidit Baſileæ Henricus Petri cum (*ll*) IV. Hermete de revolutionibus 1559. quorum interpretem ſe ob infinitas depravationes puduit. V. Eodem anno Nicephorum Gregoram abſolvit, non tam præmii cupiditate, quod C. florenorum fuit, quam metu offenſi patroni, qui in os dicebat, eum eſſe nimis locupletatum, cum ſegnius inſtaret. Ita vero hoc labore oculorum aciem hebetavit, ut vendendæ bibliothecæ conſilium caperet, quam ſibi DCC. florenis venalem eſſe tum quoque ſcribit (*mm*), quod in tali audi-

 torio

(*ii*) En ipſius verba ex *præf. ad Qq. cit. Quam ego laudem poſſem conſequi ex iis, qui, ne quid gravius dicam, ſtivæ quam ſcholæ eſſent aptiores, aut quæ reip. literariæ poſt me ſeminaria relinquere? cum, ſi qui forte induſtrii ſunt, ii non legitimos inſtitutionis liberalis fructus ſibi proponunt, ſed id agunt, ut quaſi carcere gymnaſii noſtri perrupto, in academiis fucoſis ornati titulis quam primum e nativis ſordibus emergant, & linguæ impudentis volubilitate freti vulgique applauſu evecti, tanquam Epicuri de grege porci ſaginentur. Hæc multorum ignavia atque perverſitas non raro facit, ut me prope mei pæniteat, utque fortunam meam miſerer, quod eruditio mea quantulacunque, magno certo ſtudio & indefeſſo labore perque multas & prope incredibiles ærumnas ab ineunte ætate conquiſita, tam anguſtis concluſa terminis, in obſcuro jaceat, & pleriſque ſordens, non eas, quas ſperaveram, & privatim & publice gignat utilitates.*

(*kk*) Conf. MORHOF. *polyhiſt. T. I. p.* 335. *cat. bibl. Aug. Ebingeri p.* 596. 715. 748.

(*ll*) Vid. FABRICIVS *bibl. græc. Vol. III. p.* 419.

(*mm*) Eam 1578. Lauingano gymnaſio binis plauſtris invectam ſcribit in *præf. tabb. Morellii.*

torio vel unius uſus ipſi non ſit. Tum vero nomen ejus a pontifice Romano proſcriptum eſt (*nn*), quod editionem Gregoræ ad annum 1562. diſtulit, fecitque, ut poſt patroni demum mortem publicaretur. Vidit tamen opus mſcr. cæſar Ferdinandus, & appendice præfationis delectatus, diſſimulanter eum per magiſtrum equitum Iacoslaum Bereſtainium calice aureo Ioannico elegantiſſimo donavit: potuiſſet etiam inter imperatoris Latinos ſecretarios recipi, ſi ſorte ſua uti vel noviſſet vel voluiſſet. VI. Poſt patroni res vehementer afflictas Epicteti opera omnia forma octava (*oo*) nec multo poſt VII. commentariolos in officia Ciceronis forma media excudit Oporinus. VIII. His continenter ſucceſſit Suidas Latinus, folio oblongo; calamitoſo & peſtilenti tempore & verſus & ab Oporino excuſus mendoſiſſime, ut ipſe fateatur, ſe multa loca nec ipſum intelligere ſine Græcis (*pp*). IX. Hæc ſecuta meliora tempora annotationibus Demoſthenicis & Iſocraticis impendit, quas Auguſtanus typographus mendoſe excudit: quod & in editione Græco-Latina factum eſſe conqueritur, quam typis Oporinianis edidit, cui & corrector & gubernator prelo defuit Oporinus, & in qua commentarius ſubmiſſus omiſſus erat, quod ipſe Oporinus, ad quem tamen fatis functum hic commentarius eo vivente 1564. cœptus, ſcriptus eſt, 3. Non Iulii M D LXVII. ultimis fatis erat functus. Qua morte multæ turbæ Wolfio concitatæ ſunt, ob rixas typographorum, ſibi libros Opo-

(*nn*) Vid. *index librorum probib. Romanus*, BLOVNT. *cenſ. cel. auct. p.* 766.

(*oo*) Vid. FABRIC. *bibl. græc. Vol. III. p.* 283. 264. Valde improbabat hanc verſionem *Iſ. Caſaubonus Ep.* 13. minus enim veteris philoſophiæ hiſtoria, quam Græcis literis inſtructus erat Wolfius.

(*pp*) FABRIC. *bibl. Græc. Vol IX. p* 635. reliquerat vero, teſte *Hæſchelio* ep. ad Iungermannum novam editionem, verum mortuo auctore typographus fidem fefellit. Prodiit 1581. altera editio. Wolfium immortaliter de Græcis literis meritum ob hanc Suida e verſionem minus feliciter ſuſceptam excuſat *Fabric. l. c. p.* 635. qui pluribus videndus.

Oporinianos vindicantium, dum interea nautri excuderent. Factum tandem Carini & Theodori Zwingeri fide, ut Oporiniani Iſocratem retinerent, X. Ciceroniana & XI. Demoſthenica Herwagiani ſibi vindicarent, quæ Epiſcopius non ſane ſpecioſe edidit. 1570. anno, quo hunc ſcripſit commentarium Wolfio nundinæ vernæ attulere XII. gnomologiam Demoſthenicam, Æſchineam & Vlpianam, obiter inter ipſos auctores relegendos excerptam, congeſtamque potius quam digeſtam, aut judicio adhibito limatam & auditoribus ad convertendum datam; atque XIII. Iſocratem cum commentariis (*qq*). In qua editione perverſe ea, quæ ad commentariolos pertinent, præmiſſa, præfatio ad cæſarem prætermiſſa fuit, contra ejus voluntatem, & illa ad ſcholarchas directa eos nonnihil offendebat. Ioannes tamen Crato vetus amicus in aula cæſaris hanc confuſionem excuſavit. Neque vero multum auri libris ſuis ſe acquiſiviſſe fatetur. Oporinus enim ne teruncium quidem ſubmiſit, ſed libros; & in amanuenſes tantum ſumtuum factorum compenſationem ab ejus ſucceſſoribus Wolfius flagitavit. Patronorum autem munera, præter Antonii & Caroli Villingeri, tanta fuiſſe ait, ut præter vecturæ & bibliopegarum ſumtus, conduplicato pretio a nemine mediocri notario vel ſimplicis deſcriptionis ſpem haberet. Nec ſe multum gloriæ conſecutum libris ſuis ait; in hac enim, ita ipſe ſcribit, urbe, quanti fiat, plerosque noſſe: momos vero, pontificisque fulmen cruciatum, & ſanguinem minans fructus βιβλιογραφίας habuiſſe. Quæ & alia, ingenii ſubtriſtis ſpecimina librorumque fata & hiſtoriam in præfationibus enarrat, ad quas lectorem, brevitati conſulentes, ablegamus. Vbique enim deprehendet Wolfium eruditum quidem, ſed fortem ſuam

(*qq*) Conf. IO. FABRIC. *hiſt. bibl. ſuæ T. V. p.* 228. IO. ALB. FABRIC. *bibl. Græc. Vol. I. p.* 857. ubi etiam *de gnomologia; & p.* 871. *de Demoſthenis, p.* 874. *de Æſchinis editione.*

ſuam deplorantem (*rr*); qui & de difficultate, ſua in poſterum edendi, inutiles querelas his affixit. Cujus ſi ingenium quis noſſe cupiat, en quæ in totius diſſertationis fine habet: „ Non ſcribendi cacoëthes me „ tenuit unquam, ſcriptor factus ſum per calamitatem, „ ſcriptor manſi hactenus fatuo quodam meo atque „ infelici fato: tanta enim fuit Oporini auctoritas, ut „ nec petenti denegare quicquam poſſem, nec hortanti refragari auderem. Ita factum ut ſextum ſit „ editus Iſocrates, Demoſthenes quartum ſub prælo „ ſit. „ Indignatur etiam, Gallos Byzantinæ hiſtoriæ editiones repetiiſſe, emendationes crepuiſſe, nec tamen indicaſſe, & emendationum ſcriptorum ſuorum ſingularem promittit libellum: quæ vero privatim a ſe dictata vel ſcripta ſint, ea ſi edantur, pro Wolfianis non haberi cupit, quod depravata ea plerumque edi ſoleant.

Peroratio. Hæc eſt, PERILLVSTRIS DOMINE, ſumma commentarii illius de vita ſua, quem Wolfius IX. Cal. Dec. cIↄ Iↄ LXX. abſolvit, quo tempore, tum ex lapſu, tum ex lithiaſi & mictu cruento magnas ſentiabat moleſtias, & exiguam vitæ diuturnæ ſpem fovebat (*ss*). Qui etſi hominem ſe fuiſſe, temperamen-

(*rr*) Præter recenſita edidit Wolfius, *notas in Plethonem de virtute; admonitionem de aſtrologiæ uſu, Aug. Vind.* 1557. *notas in G. Morellii Tiliani tab. comp. hiſt. philoſ Baſ.* 1580. *in Ciceronem de officiis Baſ.* 1579. 8. Sententias ex *M. Cicerone., collectore P. Lagnero. De Chriſtianæ claſſis victoria contra Turcos carmina* 1571. Noſtri etiam *poëmata* occurrunt in *corpore poët. Germ. T VI. p.* 804. *Notas in Hermiæ irriſ. gentilium* adjecit MORELLII *tabulis l. c. p.* 200. non contemnendas judice HEVMANNO *l. c.* De *catalogo* ejus *librorum mſc. bibl. Auguſt.* dixi in diſſ. *de meritis Hæſchelii* ubi etiam de meritis ejus quædam notata ſunt. Alia minutiora præterimus, in accurata vitæ ſcriptorumque Wolfii hiſtoria, excutienda. Conf. TEISSIER *eloges des hommes ſavans T III. p.* 172. *ſeqq.* Recte de eo, quod tradit Bœclerus, dubitat KRAVSIVS *ad bibliogr. crit. Bœcleri*, an Wolfius Procopium ediderit *p.* 307. *coll. p.* 866. non enim Wolfio, ſed Hæſchelio curante editus eſt, ut dictum in diſſ. *de meritis Hæſchelii*

(*ss*) Obiit Wolfius, ut ex epitaphio Hainzeliorum fratrum in D. Annæ templo, patet, quod PRASCHIVS *in epitaph. Aug.*

menti, quod nactus erat, melancholici, moribus demonſtravit, virum tamen probum & doctiſſimum, & de Græcis potiſſimum literis & Auguſta Vindelicorum immortaliter meritum ſe præbuit. Laudanda itaque virtus eius eſt, condonandi errores vitæ, non aliis, niſi ſibi ipſi, moleſti. Et recordandum, quod in fine ſcriptionis ſuæ monet, *ſe eos, qui de ipſo olim ſcripturi ſint, rogare, ut meminerint, ſe fuiſſe hominem, & ſe non eſſe Deos, naturæque fortaſſis non peſſimæ, ut fœcundo agro, culturam & tempeſtates commodas defuiſſe.* Quod ut verum eſt, ita laudem potiſſimum conciliat viro ſui temporis eruditiſſimo, quod educationis inſolentia, & ingenii varie a naturali via avocati erroribus toties impeditus, in ea illius ævi literarum adoleſcentia tantos profectus fecerit, ut hodienum inter criticos & interpretes ſummos connumeretur, & æternum maneat Auguſtæ decus atque ornamentum (*tt*). Qui ut, TE PERILLVSTRIS DOMINE DVVMVIR, Fuggerorum, Peutingerorum, Hainzeliorum, Welſerorum rediviva inter nos imagine, patrono, æmulos habeat eruditionis & diligentiæ plurimos, ob patriæ ſalutem & gloriam totus precor. Scrib. Kaufbyræ Cal. Aprilis clↄ Iↄ cc XXXIX.

& *M.* ADAM *vit. phil. p. m.* 308. afferunt VIII. Oct. die MD LXXX. poſtquam cælebs vixiſſet annos LXIV. dies LV. horas XIX. Annæo gymnaſio & bibliothecæ præfuiſſet annos XXIII. conf *Vita Ehingeri p.* 54. Falſum itaque eſt, quod tradit AVB MIRÆVS *de ſcript. ſec. XVII. p.* 272. ed. Fabric. Wolfium obiiſſe 1608.

(*tt*) Vid. teſtimonia doctorum virorum adducta a B CROPHIO *in hilar. ſcholaſt. p.* 8. *ſeq.* Vnum nos addimus in præſentia, aſt a magno viro & idoneo eruditionis arbitro profectum, PETRO GASSENDO, qui *in vita Tychonis Brahei p.* 392. *opp. T. V.* enarrata Rami Tychoniſque cum Wolfio amicitia atque conſuetudine hæc præfatur: *Erat tum in urbe gymnaſiarcha eximius, & de literis Græcis ac Latinis bene meritus, Hieronymus Wolfius, qui cum Tycho inierat neceſſitudinem ſingularem.*

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Spicilegium ad proluſionem hiſtoriæ vitæ Occonum præfixam,

De Medicis Auguſtanis ſæculi XVI. celebribus, exhibens vitam IEREMIAE MARTII, phyſici Auguſtani.

§. I.

Dedimus, lector benevole, cum *hiſtoriam vitæ Adolphorum Occonum* V. V. CL. CL. ederemus, *farraginem obſervationum ad vitas medicorum Auguſtanorum Occonibus coævorum*, quas magnam partem ex theſauris Sulzerianis collegeramus; eo præcipue fine, ut medicorum horum, nominis celebritatem conſecutorum aliqualem daremus notitiam, eosque paucis tantum & per lancem quaſi ſaturam ita deſcripſimus, ut primæ ducerentur lineæ, ex quibus, qui liberiori otio gaudent, accuratius hiſtoriæ literariæ medicæ inter Auguſtanos exſtruere ſyſtema poſſent. Qua in re licet aliis lubentes lampada tradiderimus, dolemus tamen virorum de re literaria atque medica optime meritorum memoriam hactenus abjectam jacuiſſe, nec fuiſſe qui parca manu datis plura & meliora aſſueret. Horulis itaque aliquot, laboribus, quibus premimur, ſubtractis, periculum faciemus, utrum paulo pleniora ex paupere penu noſtra afferre queamus, & ipſa meſſe abundantius exhiberi poſſit ſpicilegium.

§. II. Lucem tamen non omnium medicorum in iſta proluſione enarratorum hiſtoria parem poſtulat; quorundam memoriam immortalem fecit laudatiſſima MELCHIORIS ADAMI diligentia, & PAVLI FREHERI ſtudium; quorum uterque Chriſtophori Wirſungi, Georgii Laubii, Leonardi Rauwolfii,

wolfii, hic ſolus atavi ſui Marquardi Freheri vitam enarravit: nos Achillis Pirminii Gaſſeri & Ioannis Moibani hiſtoriam ſatis copioſe expoſuimus. Reliquorum memoria ampliore obſcuritate laborat, maxime IEREMIAE MARTII, de quo pauca tantum dicendi nobis tum adfuit copia. Plura vero cum interea, ex quo illa ſcripſimus, de eo reſciverimus, dabimus in præſentia paulo pleniorem hujus viri literariam notitiam. Quo labore eo lubentius defungimur, quo magis non de arte tantum ſalutari, verum etiam de Græcis literis egregie meritus eſt, patriæque Auguſtæ haud exiguum ſe ornamentum præſtitit vir doctiſſimus. Qui cum in dedicatione Noni ſui pleraque, quæ ad vitam resque ſuas pertinebant, enarraverit, valde dolemus, iniquo hoc fato laboraſſe virum eruditum, ut & libri & vitæ ejus memoria tantum non penitus interciderit. Iuſtam itaque hac ſcriptiuncula ponemus meritis ejus operam.

§. III. Fuit Ieremias Martius Auguſtæ Vindelicorum parentibus pauperculis, patre textore, genitus (*a*) annum nativitatis certum atque definitum ignoramus. Quoniam vero ipſe fatetur, ſe Betuleii inſtitutione fuiſſe uſum, Hieronymus Wolfius autem, loco infra dando, innuat anno MDLV. eum fuiſſe adoleſcentulum, recte inde colligi poſſe putamus, ante annum MDXL. vix fuiſſe natum, Betulejum enim anno jam MDLIV. obiiſſe conſtat. Fortunæ opibus deſtitutus naturam habuit faventiſſimam, a qua tantam vim, tantamque, quam ex diſcendo capiebat, voluptatem ſe ſenſiſſe ait, ut in ipſa adoleſcentia nihil quicquam magis expectaret, quam ut aliquando omne tempus in bonorum auctorum lectione ab omni alia cura vacuus conſumere poſſet. Quibus calcaribus a natura ſubditis cum ſe literarum ſtudiis tradere duce optimo Betulejo cœpiſſet, quem in erudienda juventute ſingulari prorſus dexteritate

&

(*a*) Vtimur memoriis albo collegii medici in civitate Auguſtana inſertis.

& felicitate fuiſſe uſum venerandus ſocer B. PHILIPPVS IACOBVS CROPHIVS (*b*) docuit, magnis profectibus in addiſcendis literis uſus eſt, hacque ratione ob ingenii opinionem mirifice præceptoribus carus fuit, qui adoleſcentis ſponte currentis exhortationibus auxere animum, ut, quemadmodum cepiſſet, pergeret, nec ulla ratione a diſcendo ſe abduci pateretur. Quas cohortationes cum amoris ſingularis effectum eſſe intelligeret, probeque videret, eo illas dirigi, ut aliquando ipſum nec laboris, nec induſtriæ pœnitere poſſet, ita iis morem geſſit, & ut complures annos in literis humanioribus ſumma, qua poſſet, diligentia verſaretur, & ſedulo ſe in Græcis & Latinis literis exerceret. Cum autem ad medendi artem naturæ quadam inclinatione propenderet, huic potiſſimum ſe totum tradendum, eamque multis nominibus amplectendam eſſe exiſtimavit.

§. IV. Ita artis ſalutaris ſtudio cum ſe deſtinaſſet, de præceptoribus diſpicere cœpit adoleſcens diligentiſſimus; quos cum Auguſtæ, prout exoptabat, non inveniret, ſed adeunda eſſet academia quædam, iatroſophiſtarum copia fertilis magna angebatur cura, eo quod ob rei familiaris anguſtiam alio conferre ſe, quod unice optabat, non poſſet. Aſt interceſſit divina providentia, quæ adoleſcenti ob pauperem cenſum ſine cortice navare non valenti de ſubſidiis proſpexit, & Fuggeriadum benevolentiam, quæ tot eruditos fovit, aluitque, ut alibi docuimus, conciliavit. Cum enim circa illud tempus, anno nempe cIↄ Iↄ LV. Antonio Fuggero ex oriente per Ioannem Doreſchwanum allati eſſent Ioannis Zonaræ atque Nicetæ Choniatæ annales, isque judicio doctorum virorum, maxime Ludovici Carini cui (*c*) plurimum aucto-

(*b*) In eleganti gymnaſii Annæani, quod Auguſtæ eſt, hiſtoria, *P. I. §. p. P. II p.* 113. *ſeqq.*

(*c*) Fuerat enim Fuggerorum præceptor vid. VRSTIS *epit. hiſt. Baſ.* FREHER. *theatr. P. III. p.* 1262.

auctoritatis apud Fuggeros erat, dignos exiſtimaret, qui ſuis ſumtibus ex Græco converſi ederentur, Hieronymo Wolfio (*d*) id negotii datum eſt, eo quod omnium maxime in Græcis & Latinis literis illum valere intelligeret. Is autem cum ob afflictam valetudinem ſolus verſioni & ſcriptioni vacare non poſſet; noſtrum, accedente auctoritate & conſilio Ioannis Baptiſtæ Hainzelii (*), qui Martium adoleſcentem ob morum elegantiam valde diligebat, ſibi ſocium laborum adjunxit, ejusque manu atque opera in exſcribendo Zonara & Choniate Græce & Latine ultra annum integrum uſus eſt. Quem laborem tædio plenum ut alacrius ſuſciperet adoleſcens impiger, pollicitus eſt Antonius Fuggerus, labore exacto triennii ſumtus in literas faciendos: quos etiam liberaliſſime præſtitit. Multum etiam Martius ex doctrina & conſuetudine Wolfii profecit, cum quotidie de his literis cum illo conferendi occaſionem eſſet nactus.

§. V. Ita & eruditionis & fortunæ copiis aliquantiſper auctus Martius, cum artis ſalutaris perdiſcendæ deſiderio immenſum arderet, Ingolſtadium petiit. Quo in loco cum præcipue Laurentii Grylli in medendo atque docendo excelleret peritia, isque multarum re-

rum

(*d*) Dabimus verba ipſius WOLFII ex *vitæ ejus hiſtoria* mſc quæ hæc ſunt: *Ioannes Doreſchvvanus allatis Zonara & Choniate Antonio Fuggero auctor fuit, ſcriptores diu deſideratos mea opera Græce Latineque in publicum edendi. Factum id menſe Decembri anni* 1553. *adjunctusque mihi Hieremias Martius nunc Auguſtanus phyſicus, tunc adoleſcentulus ingenioſus & manu eleganti, qui & Græca deſcriberet, & converſionem meam cum iisdem conjungeret; hæc utraque facilius impetrata fuerunt, quod Ludovicus Carinus cum apud alios complures viros illuſtres, tum apud Fuggeros, quorum plerosque inſtituerat, gratioſus id inſtitutum ſuo ſuffragio comprobaret.* Conf *Synopſ. vitæ Wolfii p.* 33. *ſeqq.*

(*) Præclarus eo tempore erat vir generoſiſſimus, ſeptemviratus dignitate conſpicuus, tum doctrina præcipue rerum aſtronomicarum cognitione, tum inſigni eruditorum favore, cujus cum fratre Paulo, conſule, ea de re merita, cum digno deprædicaverit elogio PETR GASSENDVS in *vita Tych. Brahei l. I. T. V. opp. p.* 391. ipſe omnino conſulendus eſt.

rum uſu eſſet inſtructus & rei herbariæ peritiſſimus, per annum ex voluntate Mæcenatis ſui ſe ei tradidit. Quo elapſo, ſuadente præceptore, annuente Mæcenate laudato Monpeſſulum profectus eſt, in quo bonarum literarum artiumque emporio eo tempore ſalutarem ſcientiam publice profitebantur Antonius Saporta, Franciſcus Feynæus, Laurentius Ioubertus, Ioannes Bocaudus, Petrus Guichardus, Franciſcus Fontanonus & Rondeletius, quos noſter magnopere laudat, optimeque de ſe meritos eſſe gratiſſimus profitetur. Non vero hos tantum vivos doctores coluit, ſed & loci opportunitate uſus, ad noſcenda naturæ arcana, maxime quod ad ſtirpes atque marina attinet, animum applicuit. Refert enim LEONARDVS RAVWOLFIVS (*e*), ſe ſocio Martio in agro Monpeſſulano collium & vallium anguſtias perrepſiſſe, multisque ſimplicibus ignotis detectis notitiam botanicam valde ſibi auxiſſe. Exacto triennio ut corraſas eruditionis medicæ divitias congereret quaſi in horreum, facto per provinciam itinere Maſſiliam usque comitibus Godefrido Scharfio, medico clariſſimo, quocum conjunctiſſime diu vixerat, & Caſparo Razenbergio Salfeldenſi, in herbarum cognitione & piſcium rariorum inveſtigatione valde curioſo & ſolerti, revocante patrono in patriam parentum amicorumque congratulatione rediit, paucis vero ante menſibus patronum diem ſuum obiiſſe mœſtus comperit. Quod, licet valde metueret, ne circulos ſuos turbaret, & deeſſet in poſterum, qui ſumtus ſuppeditaret ad continuandum ſtudiorum curſum, interceſſit tamen iterum divina providentia, novosque patronos noſtro conciliavit, filios Fuggeri in Martium patris exemplo liberaliſſimos, eo quod Ioannes Baptiſta Hainzelius, (quem alterum vere parentem ejus temporis cives Auguſtani, qui Muſarum caſtra ſequebantur, habebant) vitam moresque noſtri valde commendaſſet. Collatis itaque inter ſe ſententiis Mar-

(*e*) *In præfat. T. I. itinerarii.*

Marcus atque Ioannes Fuggeri, quo mittendus eſſet deliberantes, tandem Patavium, tanquam locum ſtudii ejus accommodatiſſimum delegerunt. Ibi per ſex menſes commoratus, lectiones medicorum ea ætate celebrium Francanzani, Fallopii, Baſſiani Landi, Hieronymi Capivaccii, Bellocati, Craſſi ſedulo audivit, avocatus autem literis patronorum ſuorum, & Florentiam adire juſſus, magnam ibi res ſuas atque ſcientiam medicam augendi opportunitates nactus eſt. Impetraverant enim a Coſmo Magno Hetruriæ duce Fuggeri, in aulis plerorumque principum valde potentes, ut in noſocomio Florentino per annum artem medicam exerere illi liceret. In qua ſparta ornanda conſtitutus, cum & ægros haberet plurimos, & variis morbis curandis deſtinaretur, isque & eruditionem afferret haud contemnendam, & diligentiam adhiberet in curandis ægris ſummam, non tantum maximos, quod ipſe prolixe fatetur, profectus in arte ſua ſenſit, ſed & honeſtiſſimo a noſocomii præfecto teſtimonio abituriens ornatus eſt. Vſus præterea conſuetudine medicorum in iſta urbe florentium, Franciſci Monte-Varchii, Franciſci Gambarelli, Baccii Baldini & Honorii Imolenſis, reliquorumque virorum doctorum, quos urbs celeberrima tum fovebat, dici non poteſt, quantus ex hac mora in Hetruriæ ſede principe fructus ad noſtrum redundaverit. Florentia Romam ſe contulit, celeberrimum totius Italiæ theatrum, urbemque omni liberali doctrina viriſque doctis affluentem viſurus. Ibi inter medicos & philoſophos nobiles arctiſſima ſibi neceſſitate devinxit Andream Albium, Hippolytum Salvianum, Alexandrum Petronium, Bartholomæum Euſtachium, Achillem Statium, & ex eorum amicitia & utilitatem & jucunditatem cepit maximam.

§. VI. Tandem cum valetudinis ratio & ſumtus, qui increſcebant, reditum in patriam ſuaderent, nec patronorum liberalitate abuti vellet, domum properavit, cumque Piſauri navem conſcendiſſet, Venetias

petiturus, de vita, magna tempeſtate eoorta, periclitatus eſt. Venetiis Auguſtam recto itinere in patriam pergens, officia ſua Mæcenatibus primum obtulit, qui cum ejus opera tum quidem uti non poſſent, Hainzelium adiit, qui ut paterno amore ſalutem ejus ſibi curæ habebat, ita de conditione in patria publica illi obtinenda ſe acturum promiſit, eamque etiam, annuentibus Fuggeris, pro Martio obtinuit. Noſocomeio itaque Auguſtano, quod luem Gallicam curat, ſtipendio Florenorum CXX. præfectus eſt. Orangiæ noſtrum ſummis medicæ artis honoribus auctum fuiſſe narrat protocollum collegii medici Auguſtani, ipſe hoc tacet. Appulit autem Auguſtam cIɔ Iɔ LXVI. & cum iſto munere eſſet auctus, ſequentis anni menſe primo uxorem duxit Sibyllam Gundelfingeriam, quibus nuptiis primariarum familiarum aliquot affinitatem conſecutus eſt. Ita medicorum Auguſtanorum albo adſcriptus, & patres patriæ ſibi ſenſit faventiſſimos, & collegas amiciſſimos, maxime vero magni inter literatos ejus temporis viri, Achillis Pirminii Gaſſeri, amicitia uſus eſt; quem ſe ob multas ingenii ſuavitates, exquiſitam doctrinam, & naturam ab omni fuco alienam mirifice diligere ait. Praxi autem medica quotidie felicior & celebrior, omnium bonorum plauſus & favorem meruit: ſicque vitæ ſtadium honeſtiſſime decurrit, abſoluto tandem anno cIɔ Iɔ LXXXV. curſu cum epilepſia correptus præmaturo fato obiiſſet.

§. VII. Vt vero ſe Martius ſaluti publicæ utiliſſimum præſtaret, non tantum ægrorum ſanitati reſtituendæ invigilavit diligentiſſime, ſed & artis ſalutaris limites extendere laboribus doctiſſimis ſategit. Cum autem præter Græcam, Germanicam & Latinam linguas, Gallicam etiam atque Italicam teneret, celebrium quorundam medicorum Gallorum Italorumque labores vulgatiores facere verſionibus Latinis & Germanicis anniſus eſt. Itaque IACOBI GREVINI Claromontani Bellovacenſis libros duos *de Venenis* in

Lati-

Latinum e Gallico converſos, apud Plantinum *Antwerpiæ cI⊃ I⊃ LXXII.* edidit; ejusdemque tractatum *de Antimonio* pariter civitate Romana donavit (*f*). MARINELLI vero *regimen mulierum* ex Italico Latinum fecit (*g*), & NICOLAI de METRIS librum *de curandis internis & externis pleriſque morbis* Germanis legendum dedit (*h*): GABRIELIS FALLOPII autem, quo præceptore gaviſus erat, *Secreta* Germanis ſuis vulgavit, Aug. Vind. 1571. 8. Vt vero propria quoque ex penu artem ſalutarem juvaret, tum *Medicinam parabilem* patrio ſermone Aug. V. 1571. 8. edidit, tum curationes & obſervationes ſuas medicinales optima fruge plenas literis conſignavit. Quas cum edere morte præventus non poſſet, in manus devenere celeberrimi polyhiſtoris HIERONYMI WELSCHII, cui dignæ viſæ ſunt, quas notis ſuis illuſtratas *curationum & obſervationum ſyllogæ ex MSC. collectæ* insereret (*i*), eamque in præfatione laudem noſtri eruditioni tribueret, quam deberi illi boni omnes fatentur.

§. VIII. Maxime vero famam atque nomen inter eruditos ſui ævi tulit Martius edita NONI (*k*) Græci medici

(*f*) Vid. EL. EHINGERI *cat. bibl. Aug. p.* 320. *n.* 8. 9.
(*g*) Vid. I. G. SCHENCKII *bibliotb. medic. p.* 224.
(*h*) *Ibid.*
(*i*) Conf. B. SCHROECKIVS *memor. Welſch. pag.* 47. SIMLER *bibliotb. p.* 344. CORN. A BEVGHEM. *bibliograph. med. conſp. I. p.* 170. Ex his manca ſcriptorum Martii recenſio apud MERCKLINVM *in Lindenio renov. p.* 506. augeri poteſt.

(*k*) Nonus hic, ab ordine naſcendi ita ſine dubio dictus, quis fuerit, nemini veterum dictum eſt. Vixiſſe ſub Conſtantino Porphyrogenneta, ejusque juſſu hoc curationum medicinalium compendium collegiſſe, ipſe in præfatione innuit. Hunc Conſtantinum ſeptimum hujus nominis fuiſſe, qui anno DCCCCLIX. obiit, Lambecius ſuſpicatur. Martius autem Conſtantini Ducæ ex Eudocia filium fuiſſe conjicit, eo quod pater ejus Ducas doctos homines ampliſſimis honoribus affecerit, & præmiis etiam, ſi qui excellerent, ornaverit, inter quos etiam Vſellus fuit. Is autem Conſtantinus anno MLXVII. mortuus eſt. Lambecium ſequitur FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. XII. p.* 685. incertum vero reliquit FREINDIVS in *hiſt. medic. T. I. p.* 135. vers Gall. Nos ſeniorem

medici *ſylloge curationum omnium particularium morborum*, cujus codicem Græcum in bibliotheca Auguſtana invenerat. Cum enim hujus literaturæ generi ex Wolfii inſtitutione eſſet addictiſſimus, primoque, quo Auguſtam rediit, anno otium amplius, quam ſequentibus eſſet nactus, non ignave deſidendum ſibi eſſe ratus, compendium hoc non inelegans deſcripſit, Latina converſione ornavit, ſicque Argentorati apud Ioſiam Rihelium anno cIↃ IↃ LXVIII. 8. edidit. Qua in re non ingratam veteris medicinæ ſtudioſis præſtitit operam, quia Nonus hic veteribus ignotus ex aliis ſcriptoribus medicis nobiliores præſtantioresque curationes in unam collegit ſyllogen (*l*): unde plaudebat operi WOLFIVS ſequenti epigrammate:

Ingenio pollens & linguis quinque diſertus,
Teutonica, Galla, Graja, Itala & Latia,
Martius & mutis uſus vivisque magiſtris
Principibus medica, qui celebrantur, ope:
Hunc

Conſtantinum, Leonis ſapientis filium, intelligendum eſſe nulli dubitamus. Is enim non tantum collapſas doctrinas reſtauravit ſcriptisque multis coluit ipſe, quæ ex parte collegit IO. MEVRSIVS, ſed & varias ejusmodi collectiones inſtitui curavit, e.g. *delectum legum compendiarium*, a LEVNCLAVIO in *jure Græco-Romano T. II. p. 79. ſeqq.* editum, maximeque opus κεφαλαιωδῶν ὑποθέσεων *collectaneorum ſive excerptorum hiſtorico-moralium*, cujus inſignem partem pario Peireſcio edidit HENRICVS VALESIVS. Ejusmodi vero collectiones quoque medicas inſtituere viros doctos Conſtantinum juſſiſſe, ex THEOPHANIS *ſynopſi medicæ artis totius*, & ex *collectione hippiatricorum, ſive de veterinaria medicina libris duobus* patet, quorum hiſtoriam enarrat FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. VI p. 493.* Quin & geoponica ejus juſſu collecta eſſe, recte IDEM *l. c. p. 500.* contendit. Nonum itaque ſimile ejusdem juſſu ſuſcepiſſe dubitandum non eſt.

(*l*) Pleraque deſumſiſſe Nonum ex Aetio, Alexandro & Paulo ex collatione patet, pluribusque obſervavit FREINDIVS *l. c.* qui ideo plagii notam ei inurit. Aſt quamvis compilatorem eum fuiſſe omnino fatendum ſit, ex eo tamen excuſari poteſt, quod, ita volente imperatore, tantum ſyllogen ediderit, in qua auctorum nomina laudari non poſſunt. Quod ipſe innuit, cum ſe συναγωγὴν τῶν ἰατρικῶν θεωρημάτων conſcripſiſſe dicit: id quod compilatorem quidem, non vero plagiarium prodit.

Hunc tibi dat Nonum, Novium quem forte vocabis,
Et quæres, nunquid proferat ille novi?
At tu non nova, ſed bona quærito, provide lector,
Tempora naturam vertere nulla queunt.

Eodem redit Gaſſeri carmen libro præfixum.

§. IX. Tandem & hoc in fine hujus ſcriptiunculæ non prætermittendum, reliquiſſe noſtrum, licet annis multis gravis non obiiſſet, bibliothecam elegantem, optimorumque librorum ſupellectile refertam, cujus catalogum extare ait IOANNES GEORGIVS SCHENCKIVS (*m*); Collectionem item multorum rariorum ſimplicium, quæ in itineribus & mora apud Gallos Italosque ſumma diligentia collegerat: quam præſtantiſſimam fuiſſe, ex eo recte judicari poteſt, quod ſe eam mirifice cupere ſcribit IO. CONRADVS GESNERVS (*n*). Et bibliothecæ tamen & collectionis ejus, hodie, quantum nos novimus, nullum, ut ſunt fata rei literariæ, ſupereſt veſtigium.

(*m*) *l. c.* (*n*) *epiſt. medicin. L. I. p.* 44.

Observatio VIII.

De meritis illuſtriſſimæ gentis Fuggeriadæ in literas (*a*).

§. I.

VT ab antiquiſſimo tempore nunquam defuere Sueviæ avitæ virtutis veſtigia tuenti viri magni, qui vel excelſa animi magnitudine fortitudinis rerumque civilium experientiæ laudem ſunt conſecuti: *Inſtituti ratio*

Bb 4

(*a*) Præmiſimus hoc programma vernacula conſcriptum anno 1731. orationi, quam de *Georgio Hermanno* magno olim virorum doctorum patrono, qui affinitate Fuggeriadam gentem attingebat, auctorque eſt nobiliſſimæ Hermannorum apud Kauffbyranos ſtirpis, habuit Wolfgangus Ludovicus Hermannus, vir conſultiſſimus, qui hodie magna cum laude archigrammatei mu-

ti: ita nec in omni diſciplinarum genere honos literarum ita emarcuiſſe in Suevia cenſendus eſt, ut non ingenia quavis ætate tulerit immortalitatis famam doctrinæ præſtantia meritisque conſecuta. Vtrumque ut hoc loco demonſtremus, ſcriptiunculæ hujus inſtitutum non patitur, dabunt tamen rei literariæ hiſtoriarumque non ignaris exempla multa paſſim ſcriptores, qui res Suevicas non ſine induſtria deſcripſerunt (*b*), quorum diligentiam augeri illuſtrarique novis acceſſionibus omnino fas eſt. Quod cum pro virium modulo, patriæ potiſſimum viros doctos enarrando, præſtiterimus (*c*), eminuerit autem inter Auguſtanos de re literaria multis nominibus pulcherrime merita illuſtriſſima gens *Fuggerorum*, noluimus eam indictam prætermittere, oſtenſuri, gloriam quam familia inclyta patriæ multis modis peperit, etiam juvandis promovendisque bonarum artium ſtudiis eam tueri contendiſſe. Omittemus itaque quæ de maximorum virorum ex hac gente oriundorum meritis, quibus & patri-

nere in patria fungitur, idque 1734. emendatius Aug. Vind. emiſimus. Quod jam multum auctum Latinaque veſte indutum iterum exhibemus. De Hermanno autem plura dabit literatiſſimus SCHELHORNIVS, *amœn. hiſt. eccleſ. T. I. p.* 700. *ſeqq.* qui videndus.

(*b*) Multa tetigit, qui Sueviæ hiſtoriam enarravit MARTINVS CRVSIVS in *annalibus Suevicis*. Optandum autem; ut vir quidam doctus & idoneis ad id argumentum auxiliis inſtructus Sueviæ literatæ hiſtoriam conſcribat, cum in hac potiſſimum regione, & adjacentibus partibus Rhenanis honos literarum redire, barbariesque primum pelli cœpit. Interim ſymbolæ paſſim ad hoc inſtitutum conſulendæ ſunt, Quales dedere B. SERPILIVS in *epitaphiis theologorum Suevorum*, & cel. SCHELHORNIVS *de meritis Suevorum in literaturam orientalem amœnit. liter. T. XIII.* tum illi qui Tubingenſis academiæ hiſtoriam tetigerunt. Dolemus autem B. IO. GEORG. LOTTERI *hiſtoriam literariam Auguſtanam*, quam pollicitus eſt, præmatura ejus morte, ut olim Spizelii & Reiſeri conatus ſimiles, intercidiſſe.

(*c*) Specimina exhibent hæc *miſcellanea*, in quibus *Davidis de Auguſta, Ottomari Nachtigalli, Hieron. Wolfii, Davidis Hæſchelii, Ach. Pirm. Gaſſeri, Ieremiæ Martii, Matth. Schenckii, Lucæ Schrœckii, P. I. Crophii* memoriam renovavimus, alia in *templo honorum, Germanorum eruditioni reſerato*, adduximus.

patriam, & ipſum quoque ſacrum imperium, maxime vero auguſtiſſimos imperatores ſibi devinxerunt, quibusque & incredibiles divitias & illuſtriſſimorum munerum atque dignitatum tandemque comitum ſacri Rom. imperii axioma obinuerunt, dici poſſent, & indicium tantum faciemus ſtudii, operæ atque diligentiæ, qua omnis eruditionis incrementa adjuvit illa Auguſtanæ nobilitatis corona. Lineas tamen primas tantum ducemus, integram enarrationem illis relicturi, quibus his ſe totos licet immergere.

Diviſio ſcriptionis.

§. II. Tametſi autem multa amoris favorisque erga literas ſpecimina dedere illuſtriſſimi Fuggeri, maxime cum ſeculo XVI. opibus, dignitatibus & auctoritate in aula imperatoris, Caroli V. & regis Ferdinandi eminere cœperunt, ad duo tamen potiora capita facile rem omnem revocare licet. Nam vel ipſi viri illuſtriſſimi doctrinæ multiplicis gloriam aſſecuti ſunt, vel immenſis, quibus inſtructi erant, divitiis ad honeſtiſſimam eruditionis omnis commendationem urgendam & juvanda diſciplinarum virorumque doctorum incrementa uſi, Mæcenates ſe præſtiterunt literarumque patronos cum pauciſſimis comparandos. Vtriusque argumenta pauca in medium adducamus.

Fuggeri eruditioni ipſi literantes.

§. III. Mercaturæ initio ſtudium ſuum tribuiſſe Fuggeros, eaque ſupra modum florente uſos, cum affinitatibus quoque primæ dignitatis & nobilitatis viris jungerentur, Maximiliani I. & Caroli V. gratia in ſublime evectos eſſe, gentis nobiliſſimæ monumenta ſcriptoresque rerum Suevicarum paſſim teſtantur (*d*).

 Neque

(*d*) Conſulendus uterque annalium conditor GASSERVS & CRVSIVS libris notiſſimis, tum qui Fuggeranæ familiæ notitiam hiſtoricam & genealogicam dedere, *ſcriptor elogiorum Fuggeranorum Aug. Vind.* 1620 *fol.* editorum; tum RITTERSHVSIVS, IMHOFIVS aliique genealogiarum illuſtrium ſcriptores, FREHERVS in *theatro* paſſim, MORERI, BAYLE & Lexicographi alii. HIPP. A LAPIDE *de rat. ſtat. in Imp. Rom. c. VII. ſ. 5. p.* 463. MAGIR. *eponym. vit. p.* 366. Nos unum, idque peregrini viri docti, teſtimonium adducimus PELLISSONII, qui in tr. *de tole-*

Neque tamen ea res obſtitit, quo minus ad doctrinarum ſtudia ferrentur; & ſe eruditorum quoque choris immiſcerent. Cujus exemplum eſſe poteſt, *Marcus*, Iacobi Fuggeri filius, literarum ſtudiis ea felicitate initiatus, ut choro templi majoris canonicus adſcribi poſſet: quam tamen dignitatem, nondum in uſum acceptam illi eripuere ſuprema, quæ illi anno cIↄ cccc LXXVIII. obtigere fata. Hujus frater, *Georgius*, ut fœcundæ ſtirpis Fuggeriadum parens fuit, &, quæ hodie adhuc floret, illuſtriſſimam gentem condidit, ita divitiis & poſſeſſionum multitudine clariſſimus, evileſcere fortunæ munera recte cenſuit, niſi animi nobilitarentur, & inclareſcerent ingenii theſauris. Itaque totus diſciplinis optimis immerſus, eo rerum uſu & experientia, ea doctrinæ elegantia enituit, ut in aula Maximiliani I. præter nobilitatis axiomata, conſiliarii dignitatem, & in curia Romana, favente Leone X. equitis aurati comitisque ſancti palatii Lateranenſis ornamenta acciperet, dignus, qui ob condita ptochotrophea (*e*), & ſtipendia eruditis deſtinata, æterna fama viveret. Filios is habuit duos *Raymundum* & *Antonium*, illuſtriſſima non nobilitatis tantum Germanæ ſed & orbis eruditi ea ætate ſidera. Parentis enim veſtigia non ſequentes modo ſed & ſuperantes, quamvis liberorum ſac. Rom. imp. baronum dignitatem a Carolo V. eſſent nacti, literarum

rantia religionis p. 95. inter alia: *La lettre, qui l'a écrite, eſt d'un de ces Fuggers illuſtres & fameux; qui un commerce univerſel, qui n'avoit rien que de noble, & de grandes richeſſes, qui en etoient la ſuite, ont quelque fois élévé a tout ce qu'il y a de plus haut dans les republiques. Celuy ci* (Antoine Fugger) *entretenoit une grande correſpondence avec le Cardinal de Granvelle, & luy donnoit ſouvant très bons avis.* Alia paſſim obvia prætermittimus brevitati inſervientes.

(*e*) Inſcriptio incredibilis inſtituti, hodienum Fuggerano nomini immortalitatem parentis, extat apud IO. FABRICIVM *amœnit. theolog. p.* 117. De ipſo inſtituto, cujus conditores fuere Vlricus, Georgius, Iacobus Fuggeri vid. GASSER. *ad ann.* 1519. CRVSIVS *P. III. l. X. c.* 8. VON STETTEN *hiſt. Aug. c. VIII. p.* 284. FREHER. *theatr. p.* 764.

rum tamen honorem omnibus nobilitatis decoribus prætulerunt, in id ſtrenue conniſi, ut poſteritati quoque innoteſceret, æternaque fama traderetur, quanta in literis præſidia collocaverint. Et Raymundus quidem tum multarum linguarum cognitione, tum elegantioris literaturæ ſenſu adeo eminuit, ut quid ſeculi iſtius elegantia in formando ejus ingenio valuerit, hodie teſtentur virorum eruditorum paginæ (*f*), quæ eum vetuſtatis imprimis eruditæ virorumque doctorum fautorem inſignem prædicant. Primus ille cimeliarchii Fuggerani fundamenta poſuit, inſignem monumentorum veterum ex Græcia, Aſia minore, Sicilia, Italia, Hiſpania apparatum corradendo, ut infra dicemus, cui deprædicando nec hodie defuit grata poſteritas (*g*). Eidem vero literarum amori juvandarumque ſtudio inſignis quoque bibliotheca, quam primus ille condidit (*h*), de qua infra quoque trademus, debetur: qua re exemplum poſteris præiviſſe cenſendus eſt, quo ad premenda eruditæ nobilitatis veſtigia excitarentur. *Raymundus Fuggerus.*

§. IV. In eodem ſtudio ſtrenue cucurrit, *Antonius Fuggerus* vir ſummus, & tum rerum experientia tum doctrinæ variæ excellentia cum paucis comparan- *Antonius Fuggerus.*

(*f*) Teſtimonium dabunt illuſtre non ignota inter antiquitatis cultores nomina PETRVS APIANVS & BARTHOLOMAEVS AMANTIVS, quibus rarum & inſigne opus *inſcriptionum ſacroſanctæ vetuſtatis, totius fere orbis*, debemus. Qui in dedicatione ad Georgium Fuggerum inter alia, poſtquam vetuſtatis maximum amatorem, & libri hujus edendi unicum auctorem ſalutaſſent, addunt: *quæ in te lateat eruditio, quibus præceptoribus a pueritia uſus ſis, & quantum præſtare omnibus bonis diſciplinis queas, eorum judicio committimus, qui quotidie ſuos labores tibi adſcribunt, quod equidem nunquam facerent, niſi & te excellentem eſſe bonis in artibus perſpicerent.* Similia dabit epiſtola PHILIPPI MELANCHTHONIS operi præfixa, PANTALEON *proſopographiæ P. III. p.* 149. aliique.

(*g*) Conf. PETR. BVRMANNI *præf. ad IANI GRVTERI inſcriptiones totius orbis Rom. cura Io. Georg. Grævii, Amſt.* 1707. editas *p.* 5.

(*h*) Vid. BARTHOL. RICHARD. *hiſt. bibl. Vindob. p.* 8. 9.

parandus (*i*). Is cum fratre Raymundo a puero literis operam dando, dici non poteſt, quam acuto rerum eruditarum judicio, qua doctrinæ elegantia uſus ſit, & quam celebratum inde viri maximi, & ſummi eo tempore afflicto, cum belli Smalcaldici flamma omnia undique vaſtaret, patriæ præſidii (*k*) fama in civitate literaria nomen ſit, id quod tot, qui opera ſua Fuggeranis præſidiis & ſubſidiis ſuffulta Antonio dedicarunt (*l*), viri docti teſtantur. Maximo is & ſtudio & judicio ampliſſimam bibliothecam auxit, & ut filios haberet, parenti ſimiles a Ludovico Carino medico eo tempore non artis tantum ſalutaris experientia, ſed humanitatis quoque ſtudiis celebri, domi pariter atque in itineribus ſtudiorum cauſſa ſuſceptis ita eos educari (*m*), tum, quod HIERONYMVS WOLFIVS teſtatur (*n*), *eos ab ipſis prope cunabulis usqe ad juventutis initium a doctiſſimis præceptoribus in celeberrimis quibusque Europæ gymnaſiis ſevera diſciplina moderandos, optimarumque artium & linguarum cognitione imbuendos curavit, ut ſe non minus ideo illi debere profiterentur, quam quod vitam & maxima quæque ornamenta felici quodam fato ab eo acceperint.* Tacemus reliquas illuſtriſſimi viri virtutes, quibus eruditionis elegantiam mire auxit, nomenque immortalitati conſecravit (*o*).

§. V.

(*i*) Comparandus cum his præter Cruſium PANTALEO *proſopograph. P. III. p.* 317.

(*k*) Conf. quæ ex actis in *hiſtoria regim. Auguſt. l. II. c. I. p.* 64. *ſeqq.* narravimus, add. VON STETTEN *hiſt. Aug. c. VIII.* §. 20. *p.* 401. *ſeq.*

(*l*) Dicetur ea de re *in ſequentibus.*

(*m*) PANTALEO *l. c. p.* 520. præerat autem ſtudiis Ioannis & Marci. Eos parentis inſtar amare & venerari ſæpius ad ſe vocatum teſtatur *l. c.* PANTALEO, conf. WOLF. *Elegia præmiſſa Nicephoro.*

(*n*) Præf. *Choniatæ* præmiſſa.

(*o*) Digna quæ hic legantur verba H. WOLFII ex libro non ubivis obvio, ZONARAE *annalibus*, ubi in *epiſt. ad Antonium Fuggerum: Prædicabit poſteritas non tantum ornamenta fortunæ, ob quæ cum vulgo beatus habearis, tu ea umbræ parietum comparare*

§. V. Ex Raymundi filiis ſtrenue parentis veſtigia calcavit *Ioannes Iacobus Fuggerus*, vir eruditiſſimus, & inter ſcriptores rerum Auſtriacarum condita *hiſtoria domus Auſtriacæ* dudum nobilis, *ſpeculoque honorum archiducum Auſtriæ* (*p*), dudum celebratus. Nec minorem ſe præſtitiſſe fratrem *Georgium*, teſtis coævus & αὐτόπτης eſt HENRICVS PANTALEO, (*q*) quo narratore novimus: *in patria aliquantiſper, & Ingolſtadii ulterius literis imbutum ſtatim ad exteras regiones ablegatum eſſe, atque ita Gallicam Italicamque linguam didiciſſe, Belgium Bohemiamque acceſſiſſe, in ſtudiis ipſum D. Seldium ſocium habuiſſe: fuiſſe ingenio excitatiſſimo, & in corporis functionibus ſummæ alacritatis. Quod ad ſtudia attinet, mathema-*

Ioannes Iacobus Fuggerus.

Georgius Fuggerus.

ſoles: ſed & ingenii magnitudinem, & prudentiam tuam periculoſiſſimis temporibus in re & publica & privata: animi conſtantiam & æquabilitatem in utraque fortuna; in ampliſſimis opibus, quas a majoribus acceptas & feliciter conſervaſti, & ſine cujusquam injuria amplificaſti, & ad bene merendum de multis contuliſti, eam modeſtiam, & debiti etiam honoris contemtum, qui vel in infimis hominibus raro invenitur; nec tacebit vel benignitatem erga miſeros & afflictos, vel liberalitatem erga ſtudioſos & doctos, in quo numero, ſi quis mihi locus eſt, & ſi inter Luſcinios, Carinos, Tonneros, Streitos, Siphanos atque alios complures, qui tua munificentia fruuntur, numerari mereor &c. Quæ nihil nimium dicere, acta Auguſtana publica & privata ejus temporis loquuntur.

(*p*) Prodiit cum *auctario* SIGISM. A BIRCKEN, cenſore Petro Lambecio, *Norimb.* 1668. fol. Conf. *bibl. hiſt. Struvio-Buder. P. II. p.* 1048. præſtitiſſet autem ſi integrum & non interpolatum edidiſſet Birkenius, quod melius & majus fuiſſe ſuſpicatur IO. PETR. LVDEWIG in *Germ. princip. t. II. c. VI. n.* 18. *p.* 36. conf. IO. CHR. WENDLER *diſſ. II. de meritis reip. Aug. in rem lit. c. II.* §. 2. *p.* 47. Et ille quidem αὐτόγραφον maximo pretio redemiſſe Mauritium Saxonum ducem refert, *præf. reliq. mſc. p.* 99. *not.* & diligentiam Fuggeri in colligendis diplomatibus valde laudat. Conf. *Otium Hanov.* IOACH. FELLERI *p.* 366. *ſeqq.* FREHERVS in *theatro p.* 796.

(*q*) *Proſopograph. P. III. p.* 434. *ſeqq.* exſcribimus locum, cum quia rarus liber eſt, tum quia pulchre omnia comprehendit, quæ ad rem faciunt. Inſignem rerum mathematicarum peritiam & exhibitam viris doctis benevolentiam laudat quoque ELIAS REVSNERVS in *auctario operis genealog.* conf. FREHER. *theatr. p.* 768.

thematicis perpetuo deditum fuiſſe, ac tantum cum in hoc ſtudio, tum in admirabilium rerum inquiſitione evaſiſſe, ut dudum a maximis quibusque ampliſſima elogia meruerit. Frequentiſſime uſum conſuetudine Petri Apiani Ingolſtadienſis mathematici: ſed hæc ſtudia non vulgariter coluiſſe, quoniam abditiſſima quæque in univerſa natura perveſtigaverit, ſubtiliſſima multa de umbris, aquis, ignibus, magnete abſtruſisque aliis naturis inquiſiverit, ſibique conſcripſerit. Nam & poſt Apiani ſenioris obitum Cyprianum Leovitium aſtrologum celeberrimum in ædibus ſuis annis quatuor ſuſtentaviſſe, & ſupputationum tabulas & præclara alia multa adornaſſe. Bibliothecam etiam extruxiſſe tum aliis libris, tum philologicis, medicis, architectonicis & hiſtoricis refertiſſimam, ejusque indicem ſummo ſtudio pulcherrimum confeciſſe, ut ſolus ex optimatibus Gesnerianæ bibliothecæ indicem locupletaſſe videri poſſet. Sed in omnibus pulcherrimis ſtudiis diverſos adhibuiſſe ad varia colloquia doctiſſimos viros, ut quidem ejus domicilium nunquam doctis hominibus vacaverit: dum & uxor, Catharina Thurzonia, ejus liberos ſexus utriusque in tenera ætate ita inſtitui curaverit, ut Muſarum & pietatis ſacrario potius quam ſcholæ incluſi fuiſſe viderentur. Ex hac diſciplina Iſabellam ejus filiam Villingerano baroni Suevo nuptam Latinis literis adeo ornatam prodiiſſe; ut exactiſſime Latine loquendo, nulli quamvis doctiſſimo cedere judicaretur (*r*). Addit & alia, quorum ipſe teſtis fuit, non negligenda, ſed quæ hic brevitatis cauſſa omittimus, ex quibus Georgii Fuggeri doctrinæ & eruditionis ſtudium intelligitur.

Philippus Eduardus Fuggerus. Ejus veſtigia preſſit *Philippus Eduardus*, cui gymnaſium, quod Ieſuitæ Auguſtanæ erexerunt, potiſſimum debetur. Is & patriam bibliothecam miris acceſſionibus auxit, & imprimis rerum aſtrologicarum adeo peritus fuit, ut patrem ſuperaſſe crederetur. Adderemus his tertium Raymundi filium, *Vdalricum*, niſi

(*r*) Idem annotatum quoque a MART. CRVSIO *annal. Suev. P. III. l. IX. c. 13. p. 561.*

niſi infra magis commoda de eo dicendi eſſet occaſio.

§. VI. Non inferiorem ſe hac literarum gloria Raymundi filiis demonſtravit Antonii Fuggeri propago, virorum doctiſſimorum, & virtutis atque doctrinæ laude maximis muneribus præfectorum ferax. Inter hos Marcus, Antonii filius, qui tandem reipublicæ Auguſtanæ moderandæ duumvir præfectus eſt (*s*), eruditionis laude ſcriptis quoque conſervata maxime innotuit. Magni laboris opus is ſuſcepit, verſionem *annalium* BARONII vernaculam adornando, cujus tamen tomus tantum primus typis vulgatus eſt (*t*), operis prolixitate ſine dubio interpretem deterrente. Eandem induſtriam in vertenda NICEPHORI CALISTI *hiſtoria eccleſiaſtica* demonſtraviſſe, auctor eſt PAVLVS FREHERVS (*u*). Rerum vero antiquarum curioſum ad priſca veteris ævi monumenta fuiſſe attentum, OCCO tertius (*x*) teſtis eſt, qui ſe inſcriptiones multas a Marco Fuggero ab ipſo in itinere Hiſpanico deſcriptas accepiſſe narrat. Tacemus Antonii nepotem *Iacobum Fuggerum* eruditionis commendatione in aula pontificis illuſtrem, tandemque epiſcopum Conſtantienſem (*y*), aliosque in hiſtoria illuſtriſſimæ gentis celebre nomen etiam doctrinæ teſtimonio nactos, qui in hiſtoria familiæ Fuggeranæ plenius ſunt enarrandi.

Marcus Fuggerus.

Iacobus Fuggerus.

§. VII. Lætiſſima præbuiſſe hunc in modum civitati eruditæ ſpectacula illuſtriſſimam Fuggerorum gen-

Favor & patroci-

(*s*) Vid. *Cat. duumvir. præf. reip. Aug. n. VI. Icones Fuggeranæ*, PRASCH. *epitaph. P. I. p.* 58. munere anno 1589 ſe abdicavit, ſervatis tamen titulis honorariis, auctis axiomate conſiliarii imperatorum Maximiliani II. & Rudolphi II.

(*t*) *Ingolſtad.* 1594. *fol.* 1595. 4. conf. SAGITTAR. *intr. in H. E. c. XIV.* §. 14. & *T. II. p* 161.

(*u*) *Theatr. p.* 770. VON STETTEN *hiſtor. Aug. c. IX. p.* 745. librum etiam de *equorum cura* vernaculum ei tribuit, IVL. BERN. DE ROHR. *bibl. œconom c. X.* §. 24 *p.* 365.

(*x*) Vid. *dedic. operis inſcript. ad Marc. Fuggerum*, & ſi placet noſtram *hiſtoriam Oeconum c. III.* §. 18. *p.* 82. *ſeqq.*

(*y*) Conf. BVCELINI *Conſtantia.*

nium literarum in gente Fuggerana. gentem, nemo negaverit, qui tolli in ſublime & augeri miris modis diſciplinarum honorem, ſi cultores invenerint ſanguinis nobilitate munerumque dignitate ſpectabiles ex annalibus literariis edoctus eſt. Aſt majorem tamen meritorum gloriam Fuggerano nomini accrevit, cum incredibili divitiarum copia opibusque, & inde potentia atque auctoritate in republica & ipſis principum, maxime Caroli V. & Ferdinandi I. aulis effulgentes, pronis animis inſignique favore, auxiliis quoque exoptatiſſimis omnem eruditionem, viroſque doctos cujusvis generis, nationis & religionis adjuvarent, adeo ut quem ipſis in præſtando diſciplinarum artiumque optimarum patrocinio æqualem faciamus, tantum non inveniamus neminem. Ad hanc nempe anchoram viri in orbe eruditi ſummi confugerunt, quoties magnis ſumtibus ex ipſo oriente libri manuſcripti petendi, inſcriptiones, ſtatuæ, monumenta vetera conquirenda, libri rariſſimi conſulendi: quoties vel ſtudiorum impenſæ, vel vitæ neceſſitates & commoditates quærendæ, vel edenda ſcripta vetera atque nova præſtantiſſima. Ex his fontibus tot ſtipendia in ingenuos magnæque ſpei adoleſcentes ad formanda ſtudia, proſequendos labores academicos, urgenda itinera literaria fluxerunt. His tanti nummorum acervi debentur, quibus paſſim in academiis collegia extructa, ſalariis profeſſores aucti, dedicationes librorum magnificis præmiis exceptæ, & quæ alia ſunt, quibus immortalem benevolentiæ erga literas memoriam reliquerunt.

Initia hujus benevolentiæ literariæ. §. VIII. Splendorem vix recuperare inter Germanos cœperant humanitatis literæ, favoremque virorum principum ſibi acquirere, cum nulli in eo concedendum ratus, Iacobus Fuggerus de eo cogitaret, ut viros doctos Auguſtam pertraheret. Is cum anno cIↄIↄXVII. a pontifice patronatus, quem vocant, jus in æde collegiata S. Mauritii, invito quidem epiſcopo, obtinuiſſet (z), in id incubuit, ut viros doctos divi-

(z) Conf. VON STETTEN *hiſt. Aug. p.* 441. GASSER. *an-*

divinæ doctrinæ interpretes conſtitueret, eandemque rationem filiis quoque continuandam traderet. Quod ita quoque factum eſſe, vel uno Ottomari Luſcinii, viri in Fuggerorum domo gratioſi, & eo quidem tempore inter doctiſſimos ævi ſui viros connumerati exemplo conſtat, quem in ea æde ſtipendio Fuggerano ſacra oracula fuiſſe interpretatum ſupra jam probavimus (*aa*). Qui quoque hanc Fuggerorum benevolentiam debitis proſequi laudibus non erubuit (*bb*). Maxime vero favor iſte literarum, virorumque doctiſſimorum patrocinium in ejus filiis, Raymundo & Antonio, eminuit, quos magnificentia incredibili omnis generis eruditionem conatusque virorum eruditorum literarios adjuvaſſe non crederet forte poſteritas, niſi tot doctorum hominum, mira induſtria in urgendis eruditionis partibus ab iis promotorum teſtimonia rem extra dubitationis aleam ponerent. Quamvis autem multa eaque præſtantiſſima ſpecimina fuerint, quibus illa benevolentia maxima fama omnem fere orbem artibus cultum replevit, quæ referre omnia in hac paginarum anguſtia non licet, potiora tamen hoc loco paucis & velut per lancem ſaturam indicabimus, ut quanta felicitate ex Fuggeriadum gente gaviſæ ſint literæ, intelligatur.

Specimen ejus primum gazophylacium congeſtum.

§.IX. Et primum quidem tum divitiarum atque opum, tum eruditionis juſtique rerum antiquarum ſenſus ſpecimen allegandum eſt, *gazophylacium Fuggeranum* rerum vetuſtarum ſupellectile ex omni orbe congeſta ſuperbum, idque non a draconibus cuſtoditum, ſed virorum doctorum uſibus cum gaudio quodam herorum deſtinatum & apertum. Dabimus vadem virum antiquitatis peritiſſimum Beatum Rhenanum in

nal. in Ep. Chriſtoph. CORB KHAMM. *hier. eccleſ P. II. c. 2. ſ. 1. p* 12. qui tamen contradictiones epiſcopi neſcio qua fide vel ſcopo reticet.

(*aa*) In obſ. *de Ottomaro Nachtigallo.*

(*bb*) In *dedicatione pſalterii ſupra enarrati.*

in *epiſtola ad Philippum Buchaimerum, medicum* (*cc*), ita de hac Fuggeranæ ſupellectilis magnificentia, poſtquam pulcherrimas ſplendidasque eorum ædes deſcripſerat, differentem: *Sed magis nos moverunt in ſuperius cœnaculum (ædium Raymundi Fuggeri) deductos tot ac tanta monumenta antiquitatis, ut vix ullo Italiæ loco plura crediderim apud unum hominem reperiri. Primum ærea contemplati ſumus & fuſilia. Quis illic veterum Deorum non ſæpe nobis occurrebat! Iuppiter cum ſuo fulmine, Neptunus cum tridente, cum ſacculo petaſoque Mercurius, Pallas cum ægide, & erant quos vix præ vetuſtate licebat agnoſcere. Numiſmata deinde ſuo loco jacebant. Aderat tantum unum illic ſimulacrum lapideum - - In altero ſecretario quod ſaxeas tantum ſtatuas continebat, vidimus Dianam cum luna ac pharetra, vidimus Apollinem, Minervam, Venerem cum Cupidine, taurum qui vehebat nudam puellam, tenſis brachiis auxilium implorantem, & obſcænum illum Deum pudenda ſui parte prorſus impudentem, cui adſtabant effigies mulierum plenos phallis calathos geſtientium. Apparebat hortorum limites fuiſſe. Mirum vero, potuiſſe iſta tot ſæculis uspiam integra conſervari. Fragmenta ſtatuarum vix numerare erat. Placebat nobis ſomni Dei caput clauſos habens oculos & papavere revinctum. Bacchi capita multa arguebant ſerta ex racemis & pampinis: quædam coloſſeam ferme corporum magnitudinem præ ſe ferebant. Narrabatur vero nobis ex toto propemodum orbe convecta fuiſſe ea vetuſtatis monumenta, præcipue tamen ex Græcia & Sicilia. Adeo nullius ſumtus Raymundum pœnitet ob amorem, quem literarum minime expers erga antiquitatem gerit, modo poſſit talibus rebus potiri. Id quod vere nobilem & generoſum hominis animum oſtendit.* Hæc Rhenanus, dignus rei teſtis & admirator.

§. X.

(*cc*) *Ep. L. Cent. epiſt. philolog. a* GOLDASTO *edit. p.* 110. *ſeq.* Locum ob libri raritatem integrum exſcribimus.

Specimen ſecundum bibliothecæ.

§. X. Alterum magnificentiæ Fuggeranæ erga literas monumentum inſignis bibliotheca eſt, ab avo condita, a filiis Raymundo & Antonio incredendis ſumtibus ad regium ſplendorem evecta, a nepotibus Ioanne Iacobo & Philippo Eduardo ad XV. millium volumina aucta, æſtimata olim octoginta millium florenorum pretio (*dd*). Quæ non omnis tantum generis libros impreſſos, & imprimis naſcentis typographiæ cimelia longe rariſſima, complexa eſt, ſed imprimis codices manuſcriptos plurimos continuit, magno ære ex oriente collectos redemtosque, maxime a Ioanne Doreſchwano, rerum Fuggeranarum in aula imperatoris & in oriente procuratore, inſigni ſtudio comparatos. Cui theſauro cum præfuerit bibliothecarius HIERONYMVS WOLFIVS, ejus unius teſtimonio (*ee*), ne nimii ſimus, fidem rei facimus. Ita vero ille, de Antonii filiorumque ea in re cura atque ſtudio:

Auctior haud tenui gaza: quam FVGGARVS heros
Sumptibus haud parvis ANTONIVS, orbe petitam
Barbarico ſtudiis melioribus obtulit, atque
Eſſe ſui voluit monumentum poſteritati
In terris. Namque ipſe ſenex templa alta petivit
Aetheris: exemplum patris at generoſa propago
Marcus, Ioannes, Hieronymus atque Iacobus
Perſequitur: ſimilisque petens faſtigia laudis
Pieridum cultrix, fatis plaudentibus auctum
Ornat opus, totumque jubet volitare per orbem.
Cur vero Dorſchvvane tuæ præconia vitæ
Diſſimulem? tu propitio generatus utroque
Mercurio, quem κερδῷον λόγιόντε *Pelasgi*
Appellant, poſt ampla negotia rite peracta

(*dd*) Ab Alberto Fuggero comite vendita 15000. flor. in bibliothecam imperatoris Viennenſem migravit, conf. BARTH. RICHARD. *de biblioth. Vindobon. p* 59.

(*ee*) In *epilogo Byzantinæ hiſtoriæ* NICEPHORO GREGORAE *præmiſſo.* Conf. FREHER. *theatr. l. c.* PANTALEO *l. c.* LOMEIERVS *de biblioth. p.* 398. BAYLE *dict. T. II. art. Fugger. not. c. p.* 515.

Non ſecus ac vaſti pelagi timidusque procellæ
Portum nauta ſubit, ſic te quoque muſica feſſum
Antra tenent. Tu Pieridum colis otia lætus:
Omnia tu veterum volvens monumenta ſophorum
Mentis opes cumulas. Ea nec te cura quietum
Eſſe ſinit: libris quos Pannonis ora miniſtrat
Defunctus, petis Euxini vagus æquora ponti
Per tot barbaricos populos. Amaſea Stratonis
Patria te vidit, Byzantia deinde reverſus
Mœnia perluſtras, ubi Cantacutius heros
Quæſita te merce beat, librisque potitum
Ignotis prius, ad palatia cellà Viennæ
Dimittit reducem. Tua per Dorſchvvane pericla
Omnia poſt primi quæ tempora Conſtantini
Geſſerunt orientis opes, contraque tulerunt
Protinus ad divi prope tempora Maximiani,
Seclorum longam ſeriem, conjuncta tenemus.

Nempe hujus Fuggerani adminiſtri cura, Zonaræ Choniatæ & Nicephori hiſtoria mſc. bibliothecæ Fuggeranæ etiam illata eſt, ex qua eam edidit HIER. WOLFIUS, cujus *de vita ſua narratio* (*ff*) plura ea de re exponit. Is adeo herilis bibliothecæ elegantia captus fuit, ut de ea cecinerit:

O Fuggere tuam præ cunctis bibliothecam
Hanc amo, nam votis major & illa meis.

Publici uſus facta. §. XI. Non hos vero ſibi ſolis theſauros aſſerebat gens Fuggeriadum, ſed commune bonum eſſe voluit orbi literario. Itaque inſigni animi propenſione non commodare modo gazas iſtas viris doctis, & eorum uſibus liberaliter inſervire jubere, ſed, & excitare præſtantioris doctrinæ fama viros celebres, ut his ſuppetiis fruantur, præmia proponere, editionis vel ſumtus facere, vel inſcriptiones & dedicationes lubenter recipere, & munificis ſtipendiis remunerari (*gg*), rem,

(*ff*) *Synopſin hujus biographiæ* in antecedentibus exhibuimus, & ipſa quidem Wolfii verba hac de re attulimus.

(*gg*) Pro ſingulis Zonaræ foliis vertendis ſingulos ſibi flore-

rem ſibi habuerunt exoptatiſſimam, ſuæque nobilitati decoram. Quæ prolixe demonſtrare hoc loco eo magis ſuperſedere licebit, quo prolixiores ob eam rem laudes viri literati, iique ea ætate in ſenatu literario principes, in Fuggeros cumulaverunt, quas hoc loco exſcribere eſſet extra oleas vagari. Vnius APIANI vel AMANTII etiam *dedicatio operis inſcriptionum* ad Raymundum Fuggerum (*hh*) vel WOLFII *dedicationes corporis hiſtoriæ Byzantinæ*, ſimilesque legendæ ſunt, ut fides ea de re conſtet. Cuncta haud ineleganter complexus eſt GEORGIVS HENISCHIVS, vir doctiſſimus, cum Chriſtophoro Fuggero Kirchbergæ & Weiſſenhorni comiti novam *Heſiodi* editionem (*ii*) inſcriberet, cujus verbá, cum liber admodum infrequens ſit, bona lectoris venia hic integra damus. Ita vero ille (*kk*): *Omitto veſtrum Veſpaſianum Hieronymum Fuggerum, cujus ut teſtatur elogium marmori inſculptum largas inter opes absque curis anxiisque negotiis jucundos inter amicos hilariter ac benigne vitam traducere ſtudium fuit, inſigni jucunditatis & munificentiæ & patrocinii optimarum elogio præſtantis familiæ cura digno. Quam fuit Severo ſimillimus Iacobus avi tui frater, omnium ſui ordinis ac nationis ornamentum, non aliam quidem ob cauſſam quam quod, ut teſtatur marmor, divitiarum inuſitatarum partu, liberalitate inter omnes, vitæ integritate, animi magnitudine nulli ſecundus fuerit. Quam fuit eidem Severo ſimillimus Georgius avus tuus, munifica bene merendi virtute inſignis. Quam denique Auguſto ſimillimi fuere Raymundus pater & Antonius patruus, item Georgius frater tuus, viri eximia integritate ac munificentia incomparabili, optimarum*

 artium

nos numeraviſſe Antonium Fuggerum, refert WOLFIVS *l. c.* qui ſe eo ære mire refectum eſſe in elegia præmiſſa fatetur.

(*hh*) Ex ea enim patet non inſcriptiones eos tantum ſuppeditaſſe, ſed & ligno ſuis ſumtibus incidi curaſſe, & inſigni cura opus promoviſſe. Ideo eos, in præmiſſa Ep. cum Medicea familia comparavit PHILIPPVS MELANCHTHON.

(*ii*) *Baſil.* 1580. 8. (*kk*) *p.* 23.

artium atque rerum antiquarum amantiſſimi, ſtudioſorum ac egenorum patroni & Mæcenates Auguſto non poſthabendi &c.

Tertium ſpecimen ſtipendia viris & juvenibus doctis ſuppedita-ta.

§. XI. Tertium, quod Fuggeranæ in literas atque literatos benevolentiæ & munificentiæ ſpecimen merito ponitur, maxima illa voluntas eſt, qua & juvenes elegantis ingenii rectæque ſpei in academiis & itineribus literariis ſuis ſumtibus, iisque haud exiguis, alere, & viros doctiſſimos in academiis peculiaribus *ſtipendiis* ſuſtentare, more toti fere genti illi per ſeculum XVI. recepto, non dedignati ſunt. Magna inde Fuggerani nominis gloria ab his munificentiæ eorum alumnis enata eſt: tanta viſa PANTALEONI (*ll*), ut, *nullam fere per Europam academiam extare, in qua non diligenter ipſorum alumni literis operam impenderint, & in viros maximos evaſerint*, ſcriptum reliquerit. Valde deprædicat hanc liberalitatem Mæcenatum ſuorum Ieremias Martius (*mm*), & imprimis Antonii Fuggeri, filiorumque Marci & Ioannis, præſtitam ſibi ea in re operam gratus fatetur, qua de re vita ejus in ſuperioribus deſcripta conſulenda eſt. Imprimis autem LAVRENTII GRYLLI, medici Angelopolitani ea de re teſtimonium audiendum eſt, quod & pulcherrimum eſt, & edita oratio rarior, quam ut evolvi ab omnibus queat. Is itaque cum ſolenni oratione profeſſoris medicinæ munus in academia Ingolſtadienſi a Fuggeris electori Bavariæ commendatus auſpicaretur (*nn*), inter alia ad ſtudiorum ſuorum hiſtoriam pertinentia hæc quoque habet: *Interea temporis Ioannes Iacobus Fuggerus, vir affluentia opum quidem felix, ſed virtute, ingenio, & prudentia longe*

(*ll*) *Proſopograph. P. III. p.* 317.

(*mm*) In *dedicatione Noni* a ſe editi. Digna eſt, quæ ubi occurrit, (rarus enim liber eſt) tota legatur, multa enim habet hoc argumentum illuſtrantia, quæ ne nimis prolixi ſimus, omittenda hoc loco ſunt.

(*nn*) Or. *de peregrinatione ſtudii medicinalis ergo ſuſcepta, Pragæ* 1566. 4. adhæret EIVSD. libris duobus *de ſapore dulci & amaro.*

longe feliciſſimus, & certe nunquam ſatis laudatus prudentiſſimo conſilio cogitare cœpit de uno atque altero medicinæ ſtudioſo, in Italia & alibi inſtituendo, ut quæ in Germania ad medicinam abſolute perdiſcendam viderentur deeſſe, ea apud exteros conſequerentur - - ut ſi hac ratione aliquis præter ceteros eximie profeciſſet, is non ſolum ipſi, a quo beneficium accepiſſet, ſed etiam reipublicæ ſua arte & induſtria prodeſſet. Hoc conſilio vir nobiliſſimus & prudentiſſimus de medicis peregre alendis cogitavit. Inter quos & me ſibi a Nicolao Eberhardo ICto clariſſimo indicatum adſcivit, & ultro maximis beneficiis provocavit, & per totam Italiam, per Britanniam & univerſam Germaniam integro fere ſeptennio peregrinantem ſumtu non vulgari ſuſtentavit, ita ut ad præclaram eruditionem & magnarum rerum cognitionem comparandam nihil mihi, præter voluntatem meam, deeſſe poſſet. Alia addit, non hoc loco contemnenda, at quæ pagella non capit. Eandem felicitatem in alendis tum doctoribus tum ſtudioſis exhibitam academiæ Ingolſtadienſi a Fuggeris magnis laudibus deprædicat VALENTINVS ROTMARVS (*oo*), cujus ad Ioachimum & Albertum Fuggeros carmen merebatur totum huic ſcriptioni inſeri, niſi modus eſſet ſervandus. Illud itaque commodiori occaſioni ſervamus.

§. XII. Adjiciendus his *Vlricus Fuggerus*, unus ex Fuggerorum gente proteſtantium ſacris addictus, & tum fatorum adverſitate, tum incredibili literarum amore & benevolentia nunquam obliviſcendus. Qui cum Paulo III. P. M. a cubiculo fuiſſet, meliora poſtea ſacra ſectatus ita facultates, quas haud modicas poſſidebat, tum in colligenda ampliſſima bibliotheca, & redimendis magno ære codicibus manuſcriptis, tum in vulgandis per Henricum Stephanum optimæ notæ ſcriptoribus veteribus, tum in colendis, remunerandis augendis viris doctiſſimis & celeberri- *Vlricus Fuggerus.*

(*oo*) Conſulenda quoque ejus *hiſtoria academiæ Ingolſtadienſis T. I. p. 59. ſeqq.*

berrimis, profudit, ut a fratribus Ioanne Iacobo Marcoque Fuggeris prodigalitatis accuſato facultatum ſuarum fructus interciperentur, difficilique lite implicatus cogeretur in aulam Friderici III. Palatini electoris, tanquam in aſylum, confugere, donec reſtitutus bonorum fructus uſumque reciperet (*pp*). Quos ita porro adhibuit, ut & vivus viros doctos, maxime egenos, juvaret, & moribundus ſex juvenum ingenuorum ſtudiis ſtipendia ex facultatibus ſuis addiceret, bibliothecam autem ampliſſimam Heidelbergenſi inſerendam teſtamento juberet (*qq*). Tandem & *Marcum Fuggerum* his annumeramus, cujus in colligendis & communicandis ſecum numiſmatibus atque inſcriptionibus induſtriam & benevolentiam publicis dedicationibus deprædicarunt HVBERTVS GOLZIVS (*rr*) & ADOLPHVS OCCO III. (*ss*). Cedrenum

Mar-
Fugge-
rus.

(*pp*) Adeundi, ut brevitati litemus, de illuſtriſſimo Mæcenate GASSARVS *ad an.* 1561. THVAN. *l CXXX. in fin.* GRVTERI *chron. eccleſ. l. II. pag.* 1416. FREHER. in *theatro pag.* 769. MORHOF. *polyhiſt. T I. p.* 31. TEISSIER *eloges des hommes ſavans T. III. p* 308. BAYLE *dict. T. II. art. Fugger. p.* 515. inter quos tamen nonnulli minus accurate de eo ſcripſerunt, maxime Morhofius, qui lapidem philoſophicum eum habuiſſe, vel ſummum arcanum phyſicum poſſediſſe nugatur Quod circumſtantiis ejus & teſtimonio Gaſſeri, teſtis αὐτόπτου, cujus ille bibliothecam redemit, adverſum eſt. Falſum etiam quod Thuanus ait, facultates eum non recuperaſſe, recte ideo notatus a Baylio. Conſulendum quoque epitaphium Vlrici Fuggeri, quod extat apud TEISSIER *l. c.* & CARPENTARIVM *centur. erud. cœlibum p.* 22.

(*qq*) Meretur hoc loco adſcribi teſtimonium magni viri CONR. GESNERI in *epiſtola ad Ach. Pirm. Gaſſerum Epiſtol. medicin. l* 1. *Primum omnium Deo O. M. gratias ago de liberalitate Mæcenatis noſtri, cujus honor mihi perpetuo, ut virtus & pietas ejus merentur, curæ erit, nec minus nunquam, cum majoribus divitiis affueret. Dabit Deus his meliora, ſi non in hac tam miſera & caduca, in futura tamen & æterna vita, cujus guſtum hic percipimus ſacroſancti ejus verbi meditatione, quam ei cordi eſſe, ex diſertiſſima ejus oratione, quam Badenæ aliquando me audiente habuit, magna cum voluptate cognovi Tu quoque illi non deeris, ſed conſtantem & perpetuum ei tum medicum tum in feliciſſima religione noſtra fratrem te illi exhibebis, ut tui ſimilis ſemper, hoc eſt perpetuo vir bonus ſit.*

(*rr*) *Theſaur. rei antiquar.*

(*ss*) *Inſcript. veteres in Hiſpan. repertæ.*

num vertendum ab eo accepit GVILIELMVS XYLANDER.

§. XIII. Poterat his quartum ſtudii Fuggerani erga literas ſpecimen addi, niſi modus ſcribendi eſſet ſervandus. Nempe non contenti, ſua induſtria ſumtibusque viros doctos omnemque literaturam adjuvaſſe, aliis quoque, quos vel affinitate vel amicitia attingebant, ad ſimile præſtandum Muſis patrocinium non exemplum modo ſed & auctores fuere. Cujus teſtis eſſe poteſt, cujus cauſſa olim hanc diſſertationem ſcripſimus, *Georgius Hermannus*, magnus & ipſe eruditorum virorum patronus. Verum & hujus res ita erudite enarravit ven. SCHELHORNIVS noſter, ut ſpicilegium non reliquerit; & ſimilia addere eſſet limites conſtitutos migrare & prolixitate lectorem remorari. Itaque huic quidem tractationi finem imponimus, ſeculoque noſtro Mæcenates multos Fuggeris ſimiles, & horum gloria ad æmulationem accenſos pie precamur. *Quartum ſpecimen excitati viri ſummi ad ſimilia.*

OBSERVATIO IX.

De vita & ſcriptis ACHILLIS PIRMINII GASSERI Lindavienſis, Med. Doct. & Poliatri Aug.

§. I.

Meritorum de bonarum literarum ſtudiis, & de patriæ quoque fama virorum memoriam conſervare, ut pulchrum & decorum eſt; ita ii imprimis laudandi ſunt, qui, qua ratione orbis pariter literarii atque patriæ incrementa promoverint, exponunt. Non exiguum vero ejusmodi virorum numerum, qui tum eruditionis claritate, tum ſcriptorum doctiſſimorum copia patriam, locumve, ubi munera geſſerunt, nobilitaverunt, & nominis immorta-

Aug. Vind. doctorum medicorum alumna

litatem conſecuti ſunt, Auguſta Vindelicorum exhibet, inter quos, ut reliqua diſciplinarum genera taceamus, Machaonica ars præſtantiſſimos viros protulit, ut alio tempore, favente numine, pluribus docebimus.(*) Vnum jam nobis ſpecimen ſiſtere animus eſt, *Achillem Pirminium Gaſſerum*, *Lindavienſem*, *medicinæ doctorem & poliatrum Auguſtanum*, virum & eruditionis præſtantia & ſcriptorum doctiſſimorum copia celeberrimum. Tantum vero abeſt, ut meritis ejus non aſſurrexerint, qui hiſtoriam Germanorum literariam concinnarunt, ut potius paſſim ejus fiat mentio. Inter συγχρόνους enim, quique vivi ejus eruditionem mirati fuerunt, HENR. PANTALEO (*a*), MARTIN. CRVSIVS (*b*) & CONR. GESNERVS (*c*) ejus nomini perpetuam fecere memoriam. Poſt fata vero aliis quoque, imprimis MELCH. ADAMO (*d*), PASCHALI GALLO (*e*), PAVLO FREHERO (*f*), ABRAH. MERCKLINO (†) aliiſque memoratus eſt, donec nuper deſideratiſſimos ejus annales Augſtburgenſes, quibus tantam nominis celebritatem conſecutus eſt noſter, B. IO. BVRC. MENCKENIVS, illuſtre nuper Lipſienſis academiæ ornamentum, *collectionis ſcriptorum rerum Germanicarum tomo primo* inſereret, iiſque in doctiſſima bonæque frugis plena præfatione ea de Gaſſero adjiceret, quæ vir natalium ſplendore, eruditionis præſtantia, & ut meritis in patriam maximis, ita ſummo in bonas artes ſtudio conſpicuus Dn. WOLFG. IACOBVS SVLZERVS, quo perilluſtri hodie duumviro præfecto gaudet floretque, utinam ſeros in annos! patria, partim etiam viri generoſiſſi-

Gaſſerus multis memoratus.

(*) Factum illud in *proleg. ad hiſt. lit. Occonum.*

(*a*) In *Proſopograph. P. III. p.* 302. qui tamen more ſuo vagus eſt.

(*b*) In *annal. Suevic. l. IX, p.* 3. 6. 16. &c.

(*c*) In *bibliotheca*, vid. *Gaſſer. T. I.* & *bibl. Geſn. Siml. p.* 3.

(*d*) In *vitis medic. p.* 103. *ſeqq.*

(*e*) In *biblioth. medica p.* 2.

(*f*) In *theatro vir. erud. clar. P. III. p.* 1275. ubi v. ſub Pirminii nomine, ſed male, laudatur.

(†) In *Lindenio renov. p.* 5.

roſiſſimiDn. MARC.CHRISTOP.KOCH A GAILENBACH, ſeptemvir, & Dn. SIGISMVNDVS IAC. AMMANVS, ſenator Auguſtanus, quantum quidem temporis, quo cuncta circumſcribebantur, brevitas permittebat, cum eo communicarunt. Cum interim vero alia quædam nobis quoque ex benevola laudatiſſimorum virorum communicatione innoteſcerent, quædam jam in ſcriniis noſtris latuerint, omnia vero paſſim diſperſa inveniantur, operæ pretium nos facturos, nec ingratum quoque fore lectoribus confidimus, ſi, quæ tum ἀνέκδοτα, tum edita monumenta de Gaſſero ejusque ſcriptis, imprimis de ejus annalibus, retulerunt, nosque de multo nobis uſu trito auctore obſervavimus, hic una ſerie collecta lectoribus propinemus.

§. II. Natus vero eſt Achilles Pirminius Gaſſerus anno S. R. CIↃ IↃ V. Novembris tertio die, ante ortum ſolis (*g*) Lindavii ad lacum Bodamicum, patremque habuit Vlricum Gaſſerum, matrem Vrſulam Randecklam, Gaſparis, nobilis a Randeck filiam. De patre ipſe noſter (*h*): *Vir fuit hic chirurgus induſtrius, miles ſtrenuus, ac cordatus homo: nam & tribus ſuæ Lindoiæ tribunus non ſemel, ac totius patriæ capitaneus, dum cæſar Maximilianus anno CIↃ IↃ VIII. Rhomam pro corona petere inſtituiſſet, tandem etiam ejusdem imperatoris chirurgus proprius domeſticusque fuit.* Confirmant hæc quæ ſingularia de eo in annalibus (*i*) refert: *Statim,* ita verba ejus ſe habent, *Vlrychus Gaſſerus Lindoienſis, patriæ ſuæ turmæ, 24. nimirum peditum, (quos cæſar, quod ſinguli reipublicæ Lindoienſis coloribus nempe albo & viridi ex æquo diviſis veſtibus ornati forent, mox in corporis ſui cuſtodiam pro ſtipatoribus acquiſivit) ductor, ac totius Germanici exercitus rerum capitalium præfectus, vulgo Scultetum vocant, claviumque portarum civitatis ejus cuſtos,*

Gaſſeri natales

Pater Gaſſeri

(*g*) Ipſe GASSERVS in *notitia de vita ſua* mſc. codici annal. Ammaniano præfixa.

(*h*) *l. c.* (*i*) *Ad ann.* 1508. conf. CRVSIVS *l. c.*

ſtos, pater meus chariſſimus, argilla ad valvas portæ ejus (Tridenti) *quæ in Italiam ducit, Germanicum rythmum addito nomine ſcripſit, in hanc ſententiam: Si Tridentum pro Roma eſt electum, eſt & iter meum Romam confectum. Quod factum multi proterviam plerique famoſum interpretati ſunt. Ipſe vero imperator jamjam declaratus, poſt paucas horas illac obequitans, nullo naſo ſed cum riſu legit, ac poſt quatuor annos, cum ejusdem imperatoris domeſticus chirurgus jam dictus Gaſſerus prædicatione multorum eſſet factus, mox primo intuitu virum agnovit, & facetiam eam benigne recolens ipſum ſibi, non ſolum, quod chirurgus expertus, ſed & miles integer foret, ſemper commendatiſſimum futurum, clementiſſime promiſit.* Vitæ vero finem Vlricus fecit anno clↄ Iↄ XVII. Cal. Nov. Lovanii, ſepultusque ibidem in æde ſumma ad altare S. Sebaſtiani. Mater vero clↄ Iↄ XXXV. ex pleureſi fatis conceſſit Lindoiæ. His parentibus natus non potuit non bene educari, & imprimis mature bonarum literarum ſtudiis applicari, quas primo apud ſponſorem ſacri lavaminis, Leonardum Bajerum Eslingenſem didicit (*k*), Pirminii tum quoque nomen a Ioanne Fabro, tum vicario parochiæ Lindavienſis, tandem epiſcopo Viennenſi, in confirmatione nactus. Imbutus vero literarum elementis anno clↄ Iↄ XX. Seleſtadium ad Ioannem Sapidum miſſus eſt, in cujus fidem, dexteritatem, eruditionis copiam & in ſcholaſticam juventutem merita, hoc, cum fatis fungeretur, epigramma noſter cecinit:

Gaſſeri juvenilia ſtudia. *Præceptores Leonardus Bajerus. Io. Sapidus.*

A. P. G. L. Præceptori.

Heu meus hic Sapidus cubat ecce jocique ſalesque
Defuncto hoc lugent, integritasque ſimul.
Durateo vel equo non tot prodiere duces, quot
Doctos ex ludo duxerit ille ſuo.
Immortali ergo lætetur nectare, quando
Et Chriſtum & literas tam bene perdocuit (*l*).

Anno

(*k*) Vid. *dedic epit. chronic. & hiſtor. mundi.*
(*l*) Servat hoc epigramma cum aliis infra dandis theſaurus li-

Vrbanus Rhegius. Lutherus & Melanchthon. Gaſſeri amor in Lutherum. Lutherus filiolus Gaſſeri

Anno vero cIↄ Iↄ XXII. in patriam revocatus ſub D. Vrbano Rhegio rebus phyſicis trimeſtri tempore Argonæ (*m*) privatim operam dedit. Eodem vero anno Wittebergam ad communem Germaniæ præceptorem Philippum Melanchthonem profectus, non tantum ad annum usque cIↄ Iↄ XXV. humaniores literas ſalutavit, ſed & purioris doctrinæ elementa ex ipſo B. Lutheri ore hauriendi felicitatem nactus eſt. Ex quo tempore tanto in eum ferebatur amore ac veneratione Gaſſerus, ut non tantum ipſum reformationis opus ſuo loco ſtrenue urgeret, ut poſtea dicemus, ſed ut teſtimonium quoque, quanti Megalandrum noſtrum faceret, ederet, filiolo Lutheri nomen inderet, in cujus præmatura fata hoc epigramma (*n*) ſcriptum eſt:

Tumulus Lutheri Gaſſeri.

Non hic ille jacet magnus pietate Lutherus,
Qui Satanæ fregit ſomnia, regna, dolos.
Sed puer eſt, pater hoc nomen dedit, omnia quando
Iam deſperatis triſtia rebus erant.
Si vixiſſet, erat decus & ſpes magna parentis:
\- - - - - - - - - - - -

Simon Lazius. Avenione docto-

Witteberga Viennam Pannoniæ profectus ſub D. Simone Lazio medicinæ ſtudia abſolvit, & mathemata didicit. Anno demum cIↄ Iↄ XXVII. in Galliam commigravit, Montepeſſulano ſtudiis invigilaturus, inde Avenionem; extremum, ut relatum eſt, ob minores

terarius Vlmæ Krafftianus, ex quo eum celeb. Schelhornii curæ & amicitiæ debemus. De Sapidi inſtitutione ludique literarii ei commiſſi felicitate vid. ADAM *vit phil. p.* 276. cl. BVRCARD *de fatis Lat. ling. P. I. c. IV. p.* 197.

(*m*) Male ADAM. *l. c.* Argovæ.

(*n*) Et hoc ex Krafftiana bibliotheca eſt. Ceterum ex ſecundo diſticho patet, tunc hunc filium ei fuiſſe natum, cum bello Smalcaldico finito victor cæſar Auguſtam occuparet, regimen mutaret, Interim cuderet & obtruderet, & purioris eccleſiæ res ſatis triſtes & deſperatæ eſſent, ut IPSE in *ann. ad ann.* 1546. *ſeq.* narrat. Obiit vero ſpes hæc una parentis anno 1554. ut tabula genealogica apud cel. MENCKEN. in *præf. ſcr. R. G.* docet.

ris inſignia accepit. nores ſumtus anno cIↄ Iↄ XXVIII. Avenione doctoris inſignia accepit (*o*).

Feldkirchæ rei medicæ præficitur. §. III. Conſpicuus itaque pietate & eruditione in patriam reverſus, ibique medicinam feliciter faciens, non potuit non mature publicis ſanitatis conſiliis adhiberi, quod factum, cum a vicinæ urbis Feldkirchæ ſenatu vocaretur, ut ibi publicam ſanitatis curam ageret, cui officio eum quoque fideliſſime & feliciſſime præfuiſſe, literæ αὐτόγραφοι ejusdem ſenatus ad noſtrum, hodie adhuc ſuperſtites, loquuntur. (*p*). Cum vero & librorum & curationum felicitate inclareſceret, tandem circa annum cIↄ Iↄ XLVI. Auguſtam Vindelicorum venit, ibique plurimos patronos nactus, & tum inſignis eruditionis fama, tum rei medicæ peritia clarus, in poliatrorum numerum receptus eſt. *Auguſtam Vind. venit. in poliatrorum numerum recipitur: notabilia tum tempora.* Incidit ibi Gaſſerus in tempora, uti longe triſtiſſima, multumque rerum Auguſtanarum faciem mutantia, ita rebus in eccleſia & republica geſtis maxime notabilia, cum ſoluto federe Smalcaldico imperator Carolus V. urbem Auguſtam occuparet, regiminis mutaret formam, Interimque Auguſtanis injuncto multos purioris eccleſiæ membris dolores excitaret, miniſtros eccleſiæ urbe & imperio cedere juberet, mox tamen a confœderatis cum Mauritio Saxoniæ ele-

(*o*) Ita quidem ipſe Gaſſerus, in *brevi vitæ ſuæ deſcriptione mſc.* quam ſupra laudavimus. Errat itaque ADAM. qui *l. c.* Monte peſſulano eum doctoris honore auctum eſſe ſcribit In *protocollo* tamen *collegii medici Auguſtani Tom I.* Auriaci ſupremos medicinæ honores nactus eſſe dicitur, conf cel. MENCKE *l. c.* immo ipſe ſchedulæ cuidam anno 1562. ita ſubſcripſit: *Ex Aug Sueviæ, 24. die menſ. Febr. anno doctoratus mei 34. quem in Auriaca univerſitate, ultima die Sept. promotore Dn. Nicolao de Villa Nova M. D. accepi;* quæ ita conciliare licet, ut Avenione in principatu Auriaco iſta contigiſſe dicatur.

(*p*) Silent hanc Spartam, quam nactus erat Gaſſerus, biographi; eam tamen illum ſubiiſſe & in literis ad noſtrum datis innuit ſenatus Feldkirchenſis, quas cum aliis pro integerrimæ amicitiæ jure communicavit nobiscum cl. SCHELHORNIVS, & libellus *depeſte* ibi conſcriptus in *titulo* teſtatur, ut alia monumenta mſc. taceamus.

electore principibus tribunitia poteſtas & evangelicorum libertas reſtitueretur, cuncta vero ad optabiliorem & tranquilliorem ſtatum per transactionem Paſſavienſem, & quæ eam ſecuta eſt, pacem religioſam Auguſtæ factam reducerentur, quorum omnium teſtis αὐτόπτης & αὐτήκοος Gaſſerus ampliſſimam & fide digniſſimam nobis reliquit notitiam in celebratiſſimis annalibus Augſtburgenſibus. Sed & rei medicæ peritiam oſtendendi egregiam nactus eſt occaſionem, cum anno cIↃ IↃ LXIII. (*q*) dira lues multos homines Auguſtæ conſumeret, ibi enim ampliſſimo ab illuſtri ſenatu conductus ſtipendio, centum, in ſingulos menſes, aureorum, multos mortis faucibus eripuit; immo medicina quoque, quam ea fini compoſuerat, quæque peſtifero morbo tam valide reſtiterat, nomine pulveris rubei cæſaris Auguſtanis, aliisque, qui pharmacopœam Auguſtanam ducem ſequuntur, diu in uſu fuit, donec ad breviora & magis chymica principia reducta arte, inter minus uſualia referretur (*r*). Eandem vero medendi felicitatem anno cIↃ IↃ LXXII. expertum eſſe probabile eſt (*s*): ſicque non fama tantum ita crevit, ut a regiis principibusque viris feminisque de ſanitate tuenda & reſtituenda conſuleretur,

peſtis. *Præficitur ſanitati tempore peſtis.* *Pulvis rubeus Cæſareus.* *Felicitas medendi famaque Gaſſeri*

(*q*) Ita ipſe Gaſſerus in *annal. Augſt b. ad b. a. Quinto ejusdem menſis die, cum peſtis, quæ ſuperiori menſ. Majo hic ingruerat, usque adeo invaluiſſet, ut ea unica hac hebdomade ultra 700 mortales rapuerit, plurimique cives ob malum tam atrox alio fugitaſſent, facta eſt ſenatorii ordinis ac forenſis judicii aſſeſſorum ſequeſtratio talismodi, ut ſemper dimidia eorundem pars uno, & altera medietas alio menſe domi præſto eſſet, atque in publicis conſultationibus duumviris, conſulibus ordinariis ac ipſi prætori de more alternatim aſſiderent. Quod quo confidentius majorique ſecuritate fieret, conduxit poſtridie duumvir Reblingerus ſenatus nomine in ſolius ſenatus eju que, ſcribarum & privatorum miniſtrorum eorundemque uxorum & liberorum tum præſervationem tum curat:onem prop. ium medicum, Achillem Pirminium Gaſſerum Lindavienſem, ultro illi in ſingulos menſes 100. aureolorum oblato ſtipendio.* Male itaque in *protocollo coll. med.* exque eo in *præf. ad ſcr. rer. germ.* hæc ad annum 1568. referuntur.

(*r*) Vid. *pharmacop. Auguſt. claſſ. VIII. p. m.* 125.

(*s*) *Ibid.*

tur (*t*), ſed & opibus auctus eſt admodum. Cum enim per integrum fere annum pingui ſatis, uti dictum, ſtipendio uteretur, ampliſſimas ſibi ædes comparavit, in quas ita luſit (*u*):

Ædes Gaſſeri

Peſtis atrox plures urbe hac dum tollit, en ædes
Has mihi conſtruxit munere, Chriſte, tuo.

vel:

Quando alios urbe hac tollit, miha, dira domum ſic
Ædificat peſtis munere, Chriſte, tuo.

vel:

Multos dum jugulat peſtis, medico mihi tecta
Talia conſtruxit munere, Chriſte, tuo.

Conjugia Gaſſeri

Felix vero arte ſua & re domeſtica Gaſſerus, infelix fuit conjugio, quo infauſto junctus tandem fuit. Triplex enim matrimonium quidem iniit, maritus primum factus Catharinæ Werderiæ Feldkirchæ oriundæ, quæ eum filio Luthero & filia Anna, Macarii Rumleri poſtea uxore, patrem fecerat (*x*); civis Auguſtanus connubio Annæ Mariæ Oehmiæ (quæ Hieronymi Tuecheri vidua erat) factus, tertia vero & diſcola uxor, Scholaſtica Byhleria, quam anno cIↃ IↃ LII. altera anno cIↃ IↃ L. defuncta duxit, ipſum ſatis turpiter deſeruit, quare illam non multo poſt repudia-

(*t*) Quod multæ teſtantur epiſtolæ *αὐτόγραφοι*, quas partem nobiſcum communicavit digniſſimus poſſeſſor cl. Schelhornius: teſtatur vero id quoque DOMINIC. CVSTOS in *effig. cll. vir.* in præf. qui eum vocat *medicum certæ & peritæ felicitatis*, *ut inter alios a Ioanne etiam Alberto illuſtriſſimo duce Megapolitano, eodemque periterato principe non unas eum literas plane familiares* (quarum & nos quasdam vidimus) *ut alios ejusdem ordinis & tum eccleſiaſticæ tum profanæ conditionis principes prætereain, accepiſſe, ex fide digno homine acceperim.* Imagini vero ejusdem argumenti ſubſcripti verſus ſunt:

Debueram Chiron dici, qui dicor Achilles,
Vix Chirone minor, qui medica arte fui,
Non Lindoia modo hoc, non ſola Auguſta ſciebat,
Innumeri hoc reges atque ſcire duces.

(*u*) Et hi verſus bibliothecæ Krafftianæ debentur.

(*x*) Vid. IPSE in *annal. Augſtb. ad ann.* 1555. adeoque in *protocollo collegii medici Aug. & ex eo in præf. ſcr. Germ.* minus recte duæ tantum uxores indicantur.

pudiavit, vixitque in conſortio filiæ, Annæ, & generi Macarii (Rumleri) in ædibus retro Vlrychianis (*y*).

§. IV. Quod ad mores noſtri attinet, virum candidum probumque, priſcæque omnino fidei, judicii acerrimi, experientiæ probatiſſimæ, veritatis ſtudioſiſſimum ubique agnoſcas: id quod poſtea cum de annalibus ejus Augſtburgenſibus ſermo erit, latius probabimus. Certe nec noſtrorum nævos eum tacuiſſe, nec ipſum infelix, quo vexabatur, matrimonium ſilentio ſuppreſſiſſe, virum indicat ſacram veritatis legem omnibus aliis anteponentem. Quantæ vero fidei, quantæ dexteritatis, quantæ experientiæ vir fuerit, vel inde manifeſtum eſt, quod in rebus graviſſimis non ad ſanitatis rationem tantum pertinentibus, ſed reipublicæ quoque Germanicæ & eccleſiæ ſtatum, tunc prorſus turbidum & miſerandum, concernentibus a viris ſummis regibus, principibus rebusque publicis conſultus fuerit (*z*). Cujus ſpecimen edidit B. THEOPH. SPIZELIVS noſtras (*aa*), qui literas ſereniſſimi Saxoniæ electoris & conſtantiſſimi evangelicæ veritatis confeſſoris IOANNIS FRIDERICI magnanimi, ſemeſtre ante liberationem anno

Mores Gaſſeri

Gaſſerus a viris principibus literis conſultus.

Io. Frider. el. Saxon. epiſtola ad Gaſſerum.

(*y*) Ita ipſe ædes ſuas nominat in *dedicatione annalium Augſt. ad Io. Bapt. Hainzelium*

(*z*) Illarum epiſtolarum edendarum ſpem fecit GEORG. HIERON. WELSCHIVS. Memorantur enim in ejus *epiſtoli*, *Auguſtanæ editioni epiſtolarum Ger. Io. Voſſii ſubjectis fol.* 22. *Epiſtolæ Achillis Gaſſeri, in quibus literæ regum, principum, rerumpublicarum, doctorum virorum & medicorum de rebus phyſicis, politicis, mathematicis & medicis* &c.

(*aa*) Cujus titulus: *Fürſtliche Heldenſchrifft, oder Abdruck eines hochbedencklichen brieffs, welchen vor 113. Iahren Iohann Friderich der groſsmüthige Churfürſt zu Sachſen aus Innſpruck ohngefæhr ein halb Iahr vor ſeiner Erledigung an D. Achillem Gaſſer Augſp. Medicum geſchriben, und darinnen ſich heroiſch erklæhrt, ehe mehr dann einen Tod (wo es möglich wære) zu leiden, als in denen Sachen, die Chriſtliche Religion und Gottes Wort anlangende zu weichen und nachzugeben. Nun zum erſten mal aus dem Original an den Tag gegeben und mit nothwendigen Anmerckungen verſehen von M. Gottlieb Spizeln, Augſpurg.* 1665. 4.

no ſcilicet cIↄ Iↄ LII. die VI. Ian. ex captivitate Oeniponte ad Gaſſerum ſcriptas ex αὐτογράφῳ publici juris fecit, notisque illuſtravit, ex quibus videre eſt, plurimum pientiſſimum heroëm fidei, judicio, immo cognitioni quoque mathematicæ Gaſſeri tribuiſſe, dignumque eum judicaſſe, in cujus ſinum animi de fatis ſuis ſententiam deponeret. Neque id mirandum eſſe exiſtimamus; cum fidem non principibus tantum viris, ſed amicis quoque omnibus & amicitiam probaverit prorſus illibatam. Inter quos cum agmen fere duxerit Conradus Geſnerus medicus Tigurinus, operæ pretium fecerit, qui loca Gaſſerum noſtrum concernentia ex epiſtolis ejus medicinalibus (*bb*) evolverit, ex quibus patet, Gesnerum non tantum judicio Gaſſeri ſcripta ſua ſubmiſiſſe, ſed & de rebus & familia apud Helvetios, ut amicum decet, bene meruiſſe. Immo alio loco (*cc*) ad Occonem III. noſtratem ſcribit: *In hiſtoria ſtirpium cupio bonorifice de Gaſſero mentionem facere, propter plurima ejus in me beneficia.* Aluit vero cum celeberrimis viris amicitiam, interque eos cum Auguſtanæ urbis ornamentis Claudio Pio Peutingero, Xyſto Betulejo, Hieronymo Wolfio, Davide Hoeſchelio; ex exteris vero cum plurimis, imprimis cum Matthia Flacio Illyrico, Mathæoque Iudice & Wigando, Cyriaco Spangenbergio, quem quoque exulem ædibus ſuis recepit, Sebaſtiano Münſtero aliisque, ut ex dicendis conſtabit. Paucis multa complexus eſt, quod ad mores noſtri integerrimos attinet, GEORG. SIGHARDVS pharmacopola Auguſtanus, qui *Gaſſerianæ effigiei* hoc lemma ſubſcripſit: *Georgius Sighardus pharmacopola Auguſtanus Achilli Pyrminio Gaſſaro Lindavienſi, Auguſtanæ reipublicæ archiatro, viro experientia, doctrina, morum candore, pietate, hoſpitalitate, & in exules religionis ergo, bonarumque artium ſtudioſos amore, & in ὁμοτέχνους benevolentia nemini ſecundo, compatri ſeu potius paren-*

Conc. Geſnerus Gaſſeri amicus.

Amici Gaſſeri

Elogiū Gaſſeri

(*bb*) Editis *Tigur.* 1577. 8. *a pag.* 22. *ad pag.* 44.
(*cc*) *pag.* 73.

parenti ſuo ob inſignia in ſe collata beneficia ad perpetuam memoriam hanc effigiem F. C. &c.

§. V. Religionem & pietatem noſtri ſi ſpectemus, non devotum tantum & ſincerum Dei cultorem, cui pietas ars ſumma erat, deprehendimus, ſed religionis quoque purioris & emendatæ veritatis Chriſtianæ, quæ ejus potiſſimum ætate ex tenebrarum regno iterum emerſit, aſſertorẽ & pro pugnatorem ſtrenuum. B. Lutherum enim ipſum audiviſſe, tantaque ejus veneratione & amore flagraſſe, ut deſideratiſſimo nomine filiolum appellari juberet, ſupra jam obſervavimus. Addimus his, ipſum in patria Lindoia ad corrigendam doctrinam, emendandam eccleſiam & introducendam evangelii puritatem, quam partim ab Vrbano Regio juvenis, partim apud Saxones hærens hauſerat, multum contuliſſe. Id quod ipſe innuit in literis ad ſenatum Lindavienſem, pauco ante obitum tempore miſſis, ubi inter alia (*d*): *ſe inter primos fuiſſe*, ſcribit, *qui evangelium ab humanis traditionibus per B. Lutherum vindicatum in patria non confeſſus tantum fuerit, ſed & manifeſtum cognitumque fecerit, & juvenis adhuc Minoritarum lectorem Michaël. Hugenium a Sermociniſtis ad Evangelium perductum converterit, piisque hominibus varios Lutheri & ſociorum libellos transmiſerit; nec Feldkirchæ quoque inter medios ponti-*

Religio & pietas Gaſſeri

Patriæ religionem reformat

(*dd*) *Aber nachdem ich, liebe Herren, jez ob etlich und funfzig Jar her, allweg in brauch gehabt, nachdem ich der erſten einer geweſen, ſo das Evangelium Chriſti von Sancto Luthero wider aller Menſchen Leer und Sazungen, widerum an Tag gebracht, zu Lindau in meinem lieben Vaterland bekant, und unter die Burger offenbar gemacht, und furnemlich, wiewohl noch jung, den Leſmaiſter zu Barfuſſen Herrn Michael Hugen bekert, und von den Sermociniſten in das new Tſtament gefiert hab, allweg hernach im Brauch gehalten, allerley Luteriſche Tractate und bucher guten Freunden, darunter erlich und furneme leuth, auch rathsperſonen geweſen, dahin zu ſchicken, ſo gar daſs ichs auch von Feldkyrch hernach aus dem Bapſtum nit unter wegen gelaſſen, und mit undanck und ohne beſſerung (wiewol man domahlen bey euch zwingliſch) nie abgangen, biſs auch vor dreyen Jahren die herrlich ſchöne Antorffer bybel mit den vier hauptſprachen in ewer bibliothecam geſchenckt, &c.*

tificios id omiſiſſe, nuperque biblia polyglotta Antwerpienſia bibliothecæ publicæ dono dediſſe. Eundem pro puriore doctrina propaganda fervorem oſtendit, quod & ipſe Flacium, Wigandum & Iudicem, notiſ-

Centurias Magdeb. conſilio & re iuvat.

ſimos centuriarum Magdeburgenſium compilatores, egregie iuverit, & patronos illis acquiſiverit inter ditiores Auguſtanos beneficentiſſimos, qui ad egregium opus promovendum non exiguam auri ſummam contulerunt, ut ipſe Gaſſerus refert (*ee*), & viri doctiſſimi in *octavi tomi initio*, quem Gaſſeriano inſcripſerunt nomini, grati profeſſi ſunt. Inter quos unum atque alterum ex illuſtri Stettenorum gente, Hainzelios item atque Behamum fuiſſe, ex literis partim ἀυτογϱάφοις in bibliotheca Iulia extantibus, (*ff*) partim ex ipſa inſcriptione auctorum in transmiſſis libri exemplis, quæ noſtris oculis uſurpavimus, nobis innotuit.

Flacii partes ſequitur.

Et hæc quoque ſine dubio cauſa fuit, cur Flacii partes ſecutus fuerit; cum is de peccato originali a communi eccleſiæ noſtræ ſententia diſcederet, eamque eſſentiam ipſam hominis irregeniti eſſe aſſereret, multæque inde ut in omni eccleſia noſtra, ita in Suevia quoque & ipſa Auguſta urbe, turbæ atque motus orirentur. Nam non ipſam tantum hypotheſin tenuit mordicus, verum etiam Flacii & ſequacium libellos ubique ſparſit; quod cum Iacobi Andreæ potiſſimum conatibus & formulæ concordiæ commen-

In formul. concord iniquior.

datione impediretur, & Auguſtanæ quoque eccleſiæ proceres & miniſtri novæ formulæ ſubſcriberent & adhærerent, non potuit non Gaſſeri animo multam creare moleſtiam, quam ſubinde in annalibus Augſtburgenſibus (*gg*) prodere, de ipſa formula con-

& in adverſarios Flacii.

cordiæ iniquius iudicare, & de Flaciomaſtigis conqueri non ceſſavit. Et huc illud quoque referendum eſt epi-

(*ee*) In *annal. Augſtburg ad ann.* 1564. *p.* 1906. Ed. Menck.

(*ff*) Quarum ἀποyεαφον olim nobiſcum communicavit doctiſſimus centuriarum continuator D. SIMON IOANNES ARNOLDVS, præmaturo fato tam nobili inſtituto ereptus.

(*gg*) Vid. *ad ann.* 1569. 1570.

epigramma, quod ad *D. Henr. Farbyllerum* paucis ante obitum diebus ſcripſit:

Qua meruit culpa fieri tibi vilis Achilles?
Farbyllere, bonus qui antea amicus erat.
Landzmannus ſimul ac Schwagerus atque Gevatter
Extiterat, dic cur diſplicet ille modo?
Offenſus nullam poteris prætexere cauſam
Ni quod ſophiſtis præferat Illyricum.

Præcipue vero gravis hac de re interceſſit controverſia inter Gaſſerum & ſenatum Lindavienſem. Cum enim in iſta urbe miniſtri eccleſiæ quidam (*hh*) Flacii partes ſequerentur, iſtique, ſenatus licet nomine moniti, iſtam theſin in publicis ad populum concionibus propugnare non ceſſarent, immo publico ſcripto & confeſſione defenderent, non potuere non multæ inde oriri turbæ, parumque a ſeditione res abfuit. Cui rei ut obviam iret ſenatus, non colloquium (*ii*) tantum a Iacobo Andreæ cum his viris haberi curavit, ſed & celebriorum theologorum de iis ſententiam exploravit, multaque cum eis egit, ſed fruſtra: tanta enim pertinacia ſententiæ adhæſerunt, ut urbe & officio cedere, quam de hac controverſia ſilere mallent. Gravia hæc Gaſſero noſtro, qui ita evangelicam puritatem & ſentiendi libertatem ſupprimi & Pelagianiſmo portam aperiri credebat: quare ſuo more libellos Flacii & ſequacium, imprimis Cyriaci Spangenbergii, qui tunc exul Auguſtæ in ædibus noſtri hærebat, in patriam mittendo, dimiſſosque miniſtros fovendo, rem aliquantum reſtituere conabatur. Quod cum comperiſſet ſenatus Lindavienſis, multum indignari Gaſſero, libros fiſco addicere, literasque ad eum dare

Lindavienſes motus inde orti.

Colloquium Lindavienſe.

Gaſſerus Flacii libellos ſubmittit, reprehenditur ideo a ſenatu.

(*hh*) Tobias Rupius & Sebaldus Schefflerus.

(*ii*) Quod totum cum actis & reſponſis theologorum, qui Argentorati, Tubingæ, Stutgardiæ, Memmingæ, Vlmæ conſulti fuerant, typis editum eſt ſenatus juſſu. Vide etiam OSIANDR. *cent. XVI. l. III. c.* 74. *p.* 853. G. ARNOLD. *Kirchen und Kezer Hiſtorie P. II. l. XV. c.* 17. §. 19. *p.* 203. *ſeq* qui tamen, num a partium favore alienam hic attulerit narrationem, merito inquirendum.

dare indignationis & querimoniarum plenas, quibus, ut hiſce negotiis ſe non immiſceat, poſtulat. Ad eas vero noſter non ſine bile reſpondit: „ingratum & impium ſenatum Lindavienſem prodere animum, qui „ipſum de eccleſia & republica Lindavienſi tot nominibus bene meritum tam male habeat. Dolere ſe „eccleſiæ patriæ vices, quæ a puriori eccleſiæ doctrina ſeceſſum faciendo meritos & orthodoxos miniſtros impio plane auſu in exilium egerit, & philoſophicis inductionibus cœcæ potius rationis, quam „fidei evangelicæ obſequium admiſerit, rixis & contentionibus & ſophiſtica diſputandi methodo veritati ſcripturæ S. officiendo. Multum præterea ſectam Accidentiſtarum deteſtatur, & quod libellos „ſine typographi locique mentione impreſſos ſparſerit, ita defendit, ut contendat, non libellos famoſos, ſed pia ſchediaſmata Auguſt. confeſſioni conſonantia ad ſuſtinendam bonam cauſſam data opera ſe „miſiſſe, nec tale quippiam unquam cogitaſſe, nec „quoque pati ſe velle, ut vel quid, vel ad quem mittat ſua, ipſi interdicatur, cum de fidei & doctrinæ argumentis libera debeat eſſe cuilibet Chriſtiano ſententia.„ Non poterant non ſenatui Lindavienſi ſtomachum & indignationem movere hæ literæ, ad quas non minus ſerio reſpondit: „Non expectaſſe ſe „ejusmodi objectiones a cive; mittere ſe ideo actorum exemplar, ut veritatem rei geſtæ inde diſcat, „habere ſe totius eccleſiæ evangelicæ conſenſum & „orthodoxiæ teſtimonium, nec paſſurum ſe, ut contra imperii ordinationes & receſſus clandeſtina & „furtiva in urbe ſua ſcripta ſpargantur. Poſtulare itaque ſeſe iterata vice, ut a mittendis ejusmodi „libellis abſtineat, nec eccleſiam ſuam errore rejecto „& damnato turbet amplius. Et licet propter illatam ab eo injuriam apud ſupremos judices actio in „eum eſſet licita, ſpe tamen moderationis, modeſtiæ & reverentiæ exhibendæ ſe illius eſſe oblitu„rum, &c.

cui acriter reſpondet

iterum animadvertente ſenatu.

Re-

Reſpondit iterum ad hæc Gaſſerus: „Nunquam ſe „male in rempublicam agendo ejusmodi animadver-„ſionis notam meruiſſe, verum emolumenti potius „publici, quantum in ſe virium fuerit, curam egiſſe „fidiſſimam: libellos miſſos publice vendi & diſtrahi, „nec, quod typographus nomen ſuum non adjecerit, „ſibi fraudi eſſe poſſe, eosque quorundam tantum in-„vidia ſupprimi, ſufficere præfixum auctoris nomen „Lutheri diſcipuli & de eccleſia Chriſti præclare me-„riti. Mittere ſe vero ad meliorem animorum infor-„mationem triginta rationes cur dimiſſi V. D. mini-„ſtri damnandi non ſint, una cum typis expreſſo mo-„nitorio &c. exemplo Zwinglianiſmi olim inter Lin-„davienſes ſerpentis cautos eſſe debere, quam facile „heterodoxia imponat, colloquio vero & aptos col-„loquentes & idoneos judices defuiſſe. Permittere „ſe famæ ſuæ inſidiatores divinæ juſtitiæ &c. (*kk*) *non tamen ſilente Gaſſero*

Tacito interim, dum hæc gerebantur, pede adproperabat mors, vix enim annus effluxerat, cum febri ardenti correptus, & melancholia inſuper, forte ob narratas lites, oborta vel aucta, vexatus anno cIↃ IↃ LXXVII. prid. Non. Decembr. vitæ finem faceret, poſtquam annos LXXII. menſesque duos vivendo compleviſſet, ſepultusque eſt in cœmeterio ſuburbano, hoc monumento poſito (*ll*): *Mors Gaſſeri*

MONVMENTVM ACHILLIS PIRMINII GASSERI, LINDAVIENSIS, MEDICINARVM DOCTORIS, QVI CVM LXXII. ANNOS COMPLETE VIXISSET, IN CHRISTO OBDORMIENS AVGSTBVRGI HOC LOCO SEPVLTVS EST, ANNO SALVT. M D LXXVII. D. IV. M. DECEMBRIS, SVISQVE COMMVNE ESSE VVLT. *Epitaphium.*

(*kk*) Hæc ex ipſis ἀυτογράφοις, quæ in manibus cl. Schelhornii ſunt, expreſſimus.

(*ll*) Apud ADAM. *l.c.* & DAN. PRASCH. in *epitaph. Aug. P. I. p.* 213.

Fama eruditionis Gaſſeriana. §. VI. Ceterum quanta eruditionis fama ſe conſpicuum Gaſſerus fecerit, eruditorum pariter, quibus eum mactarunt, loquuntur encomia, & doctiſſimi fœtus, quibus orbem literarium auxit, ſatis produnt. Quod ad illa attinet, agmen inter τοὺς ἐγκωμιαστὰς noſtri ducit HIERONYMVS WOLFIVS, tum quidem temporis facile inter eruditos princeps, inter primos certe numerandus; qui cum ejus nomini *Hieron. Wolfii laus Gaſſeri* ſuum *in ſomnium Scipionis commentarium* inſcriberet, egregium de eruditione Gaſſeriana reliquit teſtimonium. Ita enim accuratiſſimus eruditionis judex & vindex: *Offero tibi, Vir clariſſime, domine & amice colende, munuſculum, haud ſcio, quod te dignum, ac ſcio potius, te longe majore & meliore dignum: ſive excellens tuum ingenium, & exquiſita in omni diſciplinarum genere eruditio, ſive tua dignitas in me & merita quam plurima ſpectantur. Quod ſi opus aliquod donandum tibi ſit, cujus lectione vel delecteris vel erudiaris, ex quo tandem, non dico, ingenio, ſed ex qua bibliotheca id depromeretur? Neque enim indolis tuæ alacritas & amplitudo intra unius artis medicæ limites ſubſiſtit, quibusvis doctiſſimis patentes, ſed omnem philoſophiam & matheſin non obiter pervagata eſt, & in iis verſata, ut quas artes nos ſingulas vix deguſtamus, in iis tu excellas univerſis. Quid de hiſtoriarum cognitione dicam? quas omnes (quæ quidem notæ homini Germano eſſe poſſunt) ſic in promptu habes, ut merito noſtræ ætatis polyhiſtor ſis appellandus. Neque hæc per aſſentationem a me dici, ſed longe minus, quam veritas poſtulat, exponi, tuæ lucubrationes & olim & nuper editæ teſtantur, & magis etiam confirmabunt ea, quæ certo conſilio diutius & accuratius elimanda eſſe judicaſti,* &. Alia Xyſti Betuleji & Cyriaci Spangenbergii infra adducemus. *Alia de Gaſſero judicia.* His adde CRVSIVM, ADAMVM, ZEILERVM (*mm*), IO. LANGIVM (*nn*) aliosque.

(*mm*) *De hiſtor. chronol. & geogr. celebr. P. II. p. 62.*

(*nn*) In *epiſt. medic. l. II. ep. 93.* Geſnerianæ laudes ſupra adductæ ſunt, qui cum ſenatui Auguſtano IO. MOIBANI Dioſcori-

que (*). Multo certiores vero eruditionis Gaſſerianæ teſtes ſunt libri, ab eo editi, qui cum partim medica, partim mathematica, partim philologica, partim hiſtorica argumenta contineant, eos paucis enarrabimus. Sunt vero. *Scripta Gaſſeri*

I. Medici: 1. *Einfältiger und gegründeter bericht, wie männiglich ſich in peſtilenziſchen ubergang mit Arznyen und anderer lybsnot halten, bewaren, und genoren ſoll, durch Achillem P. Gaſſerum, L. Natürl. Künſten und beyder Arznyen Doctorn zu Veldkirch gemacht.* *Medica.*

dem dedicaret, tanto teſte præſente Gaſſarum viri optimi & ad literas promovendas nati elogio cohoneſtare nullus dubitavit: librorum fuiſſe helluonem, addit ADAMI *l. c.* quem vide.

(*) Talis cum Gaſſerus viſus ſit habituſque viris ſummis, facile contemnere licet, quæ, imprudentius dicam an infelicius? juſſit *index librorum prohibitorum & expurgandorum*, qui non tantum *p.* 4. omnia ejus opera, ne medicis ſcriptis quidem exceptis, inter prohibita retulit, ſed *p.* 887. in SEBASTIANI MVNSTERI *coſmographia* quoque *p.* 610. *doctiſſimi* appellationem illi invidit, eamque deleri juſſit, quod factum quoque eſſe in nonnullis exemplaribus *αὐτόπτης* teſtatur THOM. CRENIVS *animadv. philol. P. VIII. p.* 111. Multo magis famoſi ſcriptoris, IO. NIC. WEISLINGERI in *Hutteno delarvato p.* 80 *ſeqq.* impudentia rideri poteſt, qui cum in adductis ſupra verſiculis nonnullis quantitatem poëticam peccare obſervaviſſet, neſcio quam de Lutheranorum eruditione victoriam ſomnians, inauditis ſcommatibus famam Gaſſerianam cumulavit Non eſt noſtrum vel honeſti cujusvis, immo ne ſanæ quidem mentis hominis, cum ejusmodi ſcriptore concertare & annales Voluſianos detergere, facient id qui cum Augiæ lixis in ſtabulo differere didicerunt: nobis non licet eſſe tam diſertis, qui Muſas colimus ſeveriores. Aſt monendus tamen propter Gaſſerum ipſum, & cel. Schelhornium, editorem olim hujus noſtræ diſſertationis lector eſt, verſiculos illos ex ſchedis *αὐτογράφοις* Gaſſeri, rudi calamo delineatis, & nullam hactenus limam expertis, multo minus editioni deſtinatis, ſed quæ primos tantum mentis conceptus exhibent, ideo tantum adductos eſſe, ut circumſtantiæ nonnullæ hiſtoricæ, quas tangunt, ex iis queant probari, non vero, ut vel leviſſimum ingenii poëtici ſpecimen inde exſculpatur, cum eos ſine dubio emendaſſet Gaſſerus, ſi edere unquam voluiſſet. Quæ facile vidiſſet ſcriptor exulceratus, ſi vel mediocrem attentionem, qualem pueri adhibere norunt, adhibuiſſet, ſciviſſetque, ſi de elegantia ingenii poëtici inter noſtræ eccleſiæ viros doctos judicium faciendum ſit, ad Eobanos, Meliſſos, Sabinos, Cordos ſimilesque eſſe reſpiciendum.

macht. Nurmberg, truckts Ioh. Petrejus, 1554. 4. (*oo*)

2. *Aphoriſmorum Hippocratis methodus nova, primum V. lib. diſtincta, C. Geſneri Tigurini vero opera illuſtrata. Huc accedunt præterea libelli de re medica aliquot, prius non editi, omnia nunc primum opera & ſtudio Caſparis Wolfii Tig. in lucem data. Sangall. 1584. 8.* (*pp*)

3. *Epiſtola ad Dioſcor. Euporiſta Nonnum Medicum & Curat. Cent. Rulandi cum ipſis auctoribus* (†).

4. *Confutatio propoſitionum Sarmaticarum medicarum Alex. a Suchten opera Lucæ Stenglini* (*).

5. *Curationes & obſervationes Medicinales*, editæ cum aliis a G. HIER. WELSCHIO in *Sylloge curat. & obſervat. medicin. Aug. Vind. 1668. 4.* (*qq*).

6. *Collectanea practica* extant in WELSCHII *Centur. conſil. medic. exot. curat. Vlm. 1676. 4.*

7. *Epiſtola medica ad Conr. Geſnerum* (*rr*).

8. *Hiſtoria de geſtatione fœtus mortui;* in *R. Dodonæi Obſerv. Medicis* (††).

Mathematica. II. Mathematici argumenti ſunt:

1. *Prognoſticon aſtrologicum in annum 1544. 4.* hoc cum amico ſuo Caſp. Heldelino mitteret, ſequens adjecit diſtichon:

Tu mihi præteritis de rebus carmina mittis,
Aſt ego futura hæc nunc tibi mitto nova.

2. *Sciaterion pedarium* (*ss*).

Philologica. III. Philologiam ſpectant

Ottfridi Evangelia Gothica, quæ primus deſcripſit, & lexicon vocum veterum & intellectu difficilium

(*oo*) Vid. EL. EHINGERI *cat. bibl. Aug. p.* 392.
(*pp*) ADAM. *l. c.* IO. GEORG. SCHENCK *bibl. med. p.* 6.
(†) *Ibid.* Primum librum poſt fata Moibani edidit Conr. Geſnerus, cui Gaſſerus miſerat edendum, ſecundum vulgavit Ieremias Martius (*) *Ibid.*
(*qq*) Vid. ill. LVC SCHROECK. in *Memor. Welſch. p.* 47.
(*rr*) Vid. GESNERI *epp. medic. p.* 43.
(††) Conf. MERCKLIN. *l. c. p.* 6. 936.
(*ss*) ADAMVS *l. c. Bibl. Geſn. Simler. l. c.*

lium addidit, atque Conrado Geſnero, ut typographum iis quæreret, tranſmiſit, qui quoque multus eſt in ejus induſtria & labore extollendo (*tt*). Typographo vero non invento amico intimo, Matth. Flacio Illyrico tradidit, qui ea tandem typis vulgavit: unde multam noſter hoc nomine laudem quoque reportavit, videndam apud I. G. ECCARDVM (*uu*) DIET. VON STADE (*xx*) & IO. FRICKIVM (*yy*) viros celeberrimos, quibus addenda ACTA ERVD. LIPSIENSIA (*zz*). *Studium Gaſſeri in ling. Germ.*

IV. Hiſtoriam tangunt:

1. Catalogus Regum omnium, quorum ſub Chriſtiana profeſſione per Europam adhuc regna florent, Aug. Vind. 1554. (*a*) *Hiſtorica.*

2. *Catalogus regum Hieroſolymitanorum. 1559.* (*b*)

3. *Hiſtoriarum & chronicorum mundi epitome, velut index Baſil. 1535. 8. excuſa & indice alphabetico aucta.* Tertia vice hanc epitomen Gaſſerum edidiſſe obſervavit jam ADAMVS (*c*), & alteram editionem *Baſileæ* quoque 1532. 8. per eundem typographum excuſam ſervat bibliotheca Auguſtana (*d*). In ultimæ editionis dedicatione ad Leonardum Bajerum præceptorem ſuum, Lindavii 1534. Cal. Octobr. ſcripta, *ſe propterea*, ait, *novam hanc eamque emendatiorem curaſſe editionem, ne diutius imprudens juventus prioris libelluli erroribus impedita (nam hic creberrime deteſtanda liberarii culpa & debito numerorum in ordine peccat, & pueriliter ſolœcizat.) a recto temporum curſu deviaret.* Extenditur vero altera editio ad annum 1531. tertia ad annum 1534. incluſive.

(*tt*) *Ep. medic. p.* 28.
(*uu*) *hiſt. ſtud. etymol. c. IX. p.* 86.
(*xx*) In *ſpecim. lect. Franc. p.* 38.
(*yy*) In *præf. generali theſauro Schilteriano antiqq. Teuton. præmiſſa f.* 10.
(*zz*) *Ann.* 1727. *pag.* 146.
(*a*) Vid *catal. bibl. Aug. p.* 547.
(*b*) ADAM. *l. c.*
(*c*) *l. c.* (*d*) Vid. *catal. bibl. Aug. l. c.*

ſive. Inde componi facile inter ſe diſſentientes auctores poſſunt, qui in anno hoc, quem laboris ſui terminum Gaſſerus fecit, variant. CASP. SAGITTARIVS enim (*e*) ad annum 1520. CHRISTOPH. WENDLERVS (*f*) annum 1530. ponit. Ex dictis vero manifeſtum, Gaſſerum in ſingulis editionibus continuationem adjeciſſe, & vidit forte primam editionem Sagittarius, licet vix credendum anno 1520. quo Gaſſerus decimum quintum ætatis annum nondum ſuperaverat, eum jam compoſuiſſe. (†).

Annales Augſtburgenſes Gaſſeri.

§. VII. Omnium tamen ſcriptorum ſuorum laudem ſuperavit Gaſſerus conditis *annalibus*, quos vocat, *Augſtburgenſibus*; qui cum non olim tantum, cum in mſc. laterent, multum prædicarentur, ſed & nuperrime illuſtri MENCKENIO digni viderentur, quos egregiæ, quam nobis dedit, *ſcriptorum rerum Germanicarum* collectioni inſereret; pluribus de eorum origine, hiſtoria & fide diſſerendum eſſe exiſtimamus. Ipſe vero libri egregii hiſtoriam narrat auctor in *dedicatione ad ampliſſimum ſenatum Augſtburgenſem*, quam ſubjectam vide *nuperæ editioni Lipſienſi.* Occaſionem ſcilicet dedit laudatiſſimo operi *Sebaſtianus Munſterus*, qui cum *operi* ſuo *coſmographico* accurate perficiendo inſudaret, inque hunc finem varia loca viſeret, Baſilea quoque Auguſtam venit, de hac urbe notitiam congeſturus. Cum vero nihil ibi ſubſidii inveniſſet, facile tamen a Gaſſero noſtro, qui ei in deſcribendis Lindoia, Feldkirchio & Curia Rhetiæ jam fidelem navaverat operam, impetravit, ut de nobiliſſima hac Rhetorum urbe, quantum tum ipſi quidem præſto erat, cum eo communicaret (*).

Occaſio operis.

Gaſſerus S. Munſterum in Op. Coſmographico adjuvat.

Quem

(*e*) In *introd.* in *hiſt. eccl. p.* 122.

(*f*) In *diſſ. II. de merit. reip. Aug. in rem liter. c. III.* §. 1. *p.* 60.

(†) Addi hæc Gaſſeri ſcripta poſſunt bibliothecæ hiſtoricæ Struvio-Buderianæ.

(*) Conf. *bibl. Geſn. Simler. l. c.*

Quem in finem quædam etiam noſtro ex divite eruditionis & ampliſſimæ rei patriæ cognitionis penu tradidit Auguſtanorum tum ornamentum *Claudius Pius Peutingerus.* Hæc cum & pauca, & non niſi eccleſiaſtica eſſent, amicorum potiſſimum hortatu ad amplificandam & pertexendam, quam inceperat, rudem telam, ſe accinxit, & ubique conquiſitis per amicos auxiliis, plurimisque congeſtis tabulis, chronicis & chartis vetuſtiſſimis, operi manum admovit. Qua in re præter Clementem Venatorium, *Ioannes* potiſſimum *Baptiſta Hainzelius* (*g*) maxime eum adjuvit, qui non ſolum ad audendum grave opus auctor & hortator ei extitit, *ſed & innumeros*, (ipſa Gaſſeri verba ſunt) (*h*) *de hominum Auguſtanorum rebus geſtis libros, nec non quorumcunque civium privata & domeſtica chronica, vetuſtasque tabulas undique eruit, Gaſſeroque ad uſus ſuos ad nauſeam usque tradidit.* Quos quidem, quibus uſus eſt, fontes Gaſſerus, uti quidem optandum, non nominavit, veritati tamen eum litaſſe, nihilque, quod non in traditis invenerat, monumentis ſcripſiſſe, poſtea prolixius dicemus. Ita quidem alteram telam abſolvens, operis patrono & ἐργοδιώκτῃ, Hainzelio obtulit (*i*). Læto is animo opus excepit, & ad amicos quoque ita de eo retulit (*k*) ut quanti labores Gaſſerianos faceret, illis facile conſtaret; ſimul ut nova ei quotidie pararet auxilia, ſollicitus. Cum vero quotidie nova accederent monumenta, & Hainzelius imprimis calcar adderet, ut laborem perpoliret, tertiam operi manum Gaſſerus admovit, & emendatis, quæ & ipſe & amici animadverterant, erroribus, additis multis

Claudius Pius Peutingerus quædam ſubminiſtrat.

Ioan. Bapt. Hainzelius operis patronus. fontes adhibiti.

Abſolutum opus Hainzelio dedicatum.

Opus emendatur & augetur.

(*g*) Qui anno 1553. in ſenatorium ordinem cooptatus ab anno 1558. ad 1567. conſulatui reique tributariæ præfuit, ab anno 1567. vero ad annum 1581. qui emortualis ei fuit, ſecretiori ſenatus collegio adſcriptus erat.

(*h*) In *dedic. ad Hainzel.* infra danda.

(*i*) *Ibid.*

(*k*) Vid. MARC. WAGNER. *de regno Thuring.* qui literas Hainzelii exhibet, ex quibus potiora repetiit cel. MENCKEN. *l.c.*

iterumque Hainzelio inſcribitur. qui liberaliter id excipit. Conſulti de eo viri doctiſſimi.

multis & auctis, nitidiore habitu & pleniore forma iterum compoſuit, & Hainzelio ſecunda vice dedicatione nova, quam infra (*l*) damus, obtulit, quod quoque munus literarium & ampliſſima gratiarum actione (*m*), & poculi argentei munere ſibi acceptiſſimum eſſe, teſtatum fecit, & ut reliqua quoque per otium adjiciat, & ſenatui Auguſtano inſcribat, auctor fuit. Non ſuo vero tantum judicio confiſus fuerat Gaſſerus, ſed ut erat rerum ſuarum accuratiſſimus, ita non mutaverat tantum prius plurima, ſuppleverat, emendaverat (*n*), ſed & amicis ſuis, quos eru-

(*l*) Ea ſic ſe habet:

Nobili atque ampliſſimo viro Dn. Ioh. Bapt. Hainzelio urbis ſilentiario perquam prudenti, Dno & amico ſuo colendo
Achilles P. G. L. Med. D. S.

Vt mendici pera, juxta antiquum proverbium nunquam impletur, ita annales mei de civitate Augſtburgenſi, nunquam, uti vellem, abſolventur. Nam ut de vetuſtiſſimis antiquitatibus (quas inveniri impoſſibile duco) taceam, vix quæ intra CD. annos hic geſta ſunt, integre ac probe haberi poſſunt, ad quæ ex diverſis codicibus colligenda & ex diſperſis majorum annotationibus ſub unum aſpectum rite componenda cum Tua præſtantia plurimos, & tantum non linteos mihi ſubinde & ad nauſeam usque communicaverit libros, tandem omnis labor diligentiaque in hunc noſtrum excrevit librum. Quem ſi quis ex verborum ornatu dictionisque elegantia potius, quam rerum geſtarum tum ordine tum certitudine æſtimare voluerit, per me ſane facile poterit contemnere, nam ego laudem eam hinc nullus venor, ac veritatis ſemper ſimplex debet eſſe oratio. Confido tamen, non imprudentem lectorem & hiſtoriarum amatorem non parum multa vel ad uſum quotidianum utiliter applicanda, vel ad præſentis ſeculi curſum dijudicandum, id quod inter præcipua hiſtoricæ lectionis commoda primum locum obtinere judico, in ipſo inventurum non ſine delectatione aliqua. Cui libro cum ſupremam nunc manum addiderim, volui gratitudinis ergo exemplari hoc te donare, ea lege ut prius transſumtum diſcerpas, aut Vulcano tradas, præſens vero, quod longe correctius iis, multoque altero Tuo auctius eſt, non niſi candidis vel exſcribendum vel legendum concredas. Plus enim video mihi inde invidiæ quam emolumenti aut obſequii ſperandum, ſi omnino evulgatus, aut minus candidis præſertim moroſis papiſtis, exhibitus fuerit. Tu igitur boni conſule, & ex arcanis reipublicæ conſiliariis cum ſis, annales hoſce civitatis hoſce ſecreto aſſervato. Bene vale. XX. Mart. A. S. MDLXXI. ex ædibus noſtris poſt Vlrychianis.

(*m*) Literas has euchariſticas Hainzelii exhibet editio Menckeniana, in fine annalium.

(*n*) Hæc ipſa experientia edocti ſcribimus, quibus primum

eruditione & hiſtoriarum cognitione ſciebat eſſe excellentes, tradiderat, eorumque, ſententiam & emendationes rogaverat. Inter quos *Hieronymus* imprimis *Wolfius* fuit, qui annotationes ſuas cum eo communicavit, quibus deinceps *David Hæſchelius* quædam addidit (*o*). Tradiderat quoque opus ſuum Xyſto

Hier. Wolfii cenſura.

Gaſſeri domeſticumque exemplar annalium, quod Auguſtæ in bibliotheca Benedictinorum ad D. Vlrici aſſervatur, vidiſſe contigit, ubi lituræ plurimæ, emendationes & ſupplementa accurato viro omnino digna, conſpiciuntur. Qui codex, cum omnium primus maximeque originalis Gaſſeri ſit, dignus eſt, qui hic paucis deſcribatur. Habet hunc a manu peregrina adſcriptum titulum: *Annales Auguſtani, quos Achilles Pirminius Gaſſer Lindavienſis, Medicinæ Doctor & Phyſicus Auguſtanus celebris conſcripſit.* Sequuntur parentes & ætatis anni indicati. His ſuffixa ſchedula ipſa Gaſſeri manu conſcripta, quæ hæc ex N. Gerbelii Græcia excerpta exhibet: *Si qui me rudius impolitiusque ſcripſiſſe dicent, quam operis hujus dignitas poſtulaverit, illis reſpondebo, me non certandi cum eloquentibus ſtudio, ſed juvandarum poſteritatum gratia laborem hunc ſuſcepiſſe. Quod ſi ſeveriores illi Momi me dormitaſſe nonnunquam aut a ſcopo aberraſſe clamaverint, hos uno diluam verbo, me hominem eſſe, neque apud majores noſtros ullos tam accurate tamque circumſpecte ſcripſiſſe, qui non dormitaſſe aut erraſſe naſutioribus viſi ſunt.* Sequuntur iſta indices imperatorum, electorum; comitiorum & conventiculorum; regum variorum, præfectorum præſidum, ducum & prætorum; ducum & principum; advocatorum & præfectorum Augſtburgenſium, paparum, & ſanctorum, exterorumque antiſtitum, paparum Romanorum, conciliorum & ſynodorum; epiſcoporum Auguſtanorum; exterorum antiſtitum; abbatum, præpoſitorum, & monachorum præfectorum; monaſteriorum & cœnobiorum; præpoſitorum majoris ædis Auguſtæ. Decanorum templi cathedralis Aug. abbatum S. Vlrici Auguſtæ, præpoſitorum Aug. ad S. Crucis & S. Georgii; abbatiſſarum Stephaninæ ædis, & præpoſitorum ad S. Mauritii.

Textus ipſe foliis conſtat 724. ex quibus 638. ab ipſo Gaſſero, reliqua ab alia longe diverſa ſcripta ſunt manu, & lituris, additamentis, correctionibus, plurimam partem ab ipſo Gaſſero ſcriptis turgent, quædam enim ab aliis quoque addita eſſe, ex iis, quæ de Wolfio & Spangenbergio dicemus, manifeſtum eſt. In codice quoque Gothano ejuſmodi interdum emendationes occurrere refert cel. MENCKENIVS *l. c.*

(*o*) Has a nemine hactenus obſervatas in modo dicto codice Benedictino reperimus; una tantum plagula octies complicata extantes hoc titulo, manu Wolfii conſcriptas:

MOMVS LVPINVS (animadverſiones H. Wolfii) *ANNALIVM AVGSTBVRGENSIVM AEACIDAE PLATEA-*

Xyſti Betuleji elogium annalium.

Xyſto Betulejo, qui & humaniſſime ad eum ſcripſit (*p*), & carmine quoque Phaleucio ejus Muſas admodum celebravit. Quod & Cyriacus Spangenbergius

NI PHILIRONAPAEI ASCLEPIADAE (Achillis Gaſſeri Lindavienſis, medici.)

(*Notantur obſcura & dubia.*

Vt vero, qualis hæc cenſura ſit, conſtet, en ſpecimen: *Augſtburgum) inſolens appellatio multos offendet.* Dedit vero auctor rationem appellationis initio operis, quod putaret Auguſtam veterum Vindelicorum longius diſſitam ab Augſtburgo differre.

Græca, niſi cogat neceſſitas, inſeri nolim.

Periodus obſcurior, ob prolixitatem, quales paſſim in hoc ſcripto propter prolixas parentheſes occurrunt.

Velim nomina Germanica etiam Latine explicari, neque enim Germanis tantum ſcribis hiſtoriam. Buggelinum puto eſſe gibboſum, das büggelin. In hoc genere lingua Græca Germanicæ ſuffragatur. Luther eſt λιωκράτης, Volckart Δημοσθένης, & alia infinita. Extat hac de re Lutheri libellus, & Althamerus habet non pauca.

Pfaffos) ſacerdotes.

Ottenbura) fontes Ottonis; Ottenpurum pagus prope Wilam appellatur.

De Avaribus & aliis populis minus notis aliquid dici velim.

Damaſia) ubi terrarum?

Deteſtanda inertia) Τραγικώτερον, ſie habens nit baſs gewuſt, fortaſſis & nos aliquando fallimur.

Cæſaream Luthram) putavi non in Saxonia, ſed ad Rhenum eſſe.

Silentiarii) utrum: die geheimen. Hœſchel. *in Autogr. lgr. arcani conſilii conſcii.*

Olyra) quæritur: quomodo Germanice. Hœſch. *Rocken.*

Rensmarum) nomina addi Germanica velim, nam alioquin alius aliud, alius nihil intelliget.

Et hujus commatis, immo minoris ſunt annotationes reliquæ, pleræque dictionis nitorem, puritatem & perſpicuitatem concernentes.

(*p*) Cujus epiſtolæ & carminis, nondum, quantum ſciam editi, exemplum hoc eſt:

Xyſtus Betulejus A. P. G. L.

In hiſtoria Augſtburgica video fruſtra multos viros bonos tantos inſumſiſſe labores: nam vix ea ſunt expreſſa, quæ auribus mercatorum placent: facies igitur ejus aliquando mihi deſcribendæ copiam, ut aliquo modo ſpargatur, & ad poſteros facilius transmittatur. Vale.

Clariſſimo A. P. Gaſſero L. Medico X. Betuleji Auguſtani, Phaleucium.

gius hoſpes tum apud noſtrum fecerat (*q*). Ita oculatiorum judicio certior, & ſecurior, aliis quoque patronis obtulit, interque eos reipublicæ Auguſtanæ tunc quidem temporis duumviro præfecto, viro generoſiſſimo *Henrico Reblingero a Radau*, tum ut obſequia ei ſua offerret, tum ut judicium ejus & emendationes rogaret, addita, quam infra quoque exhibemus

Cyriaci Spangenbergii judicium.

Duumviro Reblingero offertur.

Grates ergo tibi benigniores
Debemus merito, Patrone chare,
Grates tu meritus profuſiores,
Non de me mage cui faves amanter,
Quam de municipum næ in univerſum.
Debemus Tibi pro Tuo Labore
Quantum Rhoma ſuo gravi Catoni
Debebat merito, quod ipſe primus
Vrbis ſcripſit origines vetuſtas
Vrbis principium vetuſtioris.
Debemus Tibi, Compater fidelis,
Quod gens Auſoniam colens vetuſtam,
Hignio celebri probeque docto,
Vrbes qui Latias ſtilo benigno
Fertur commemoraſſe laude multa.
Hoc Auguſta Tibi Tuisque ſanctis
Debebit ſtudiis, vel ampliora,
Qui dignis celebras eam Camœnis,
Non ſic Cecropias, Achille, Athenas
Non ſic magnificas colendo Thebas
Ornatas, dedit aut celebriores
Vrbis Helladis ille clarus atque
Gravis Pauſanias, at hoc libello
Tute nobilitas laves paternas,
Nobis, qui merito Tibi merenti
Debemus cumulo referre grates
Cultam qui patriam volemus eſſe,
Et claram & celebrem pii atque grati
Iſtis pro meritis Te amamus omnes.

(*q*) *M. Cyriacus Spangenbergius A. P. Gaſſero L. ſalutem.*
Pro communicatione annalium cl. Dn. D. Patrono meo ſummo & intimo gratias ago, quam maximas, ſtudium, diligentiam & ſedulitatem in hoc opere admiror, ordinem, fidem & candorem, adeoque etiam pro religione zelum laudo, ſtyli ſimplicitatem probo, nihilque, quod admodum neceſſaria putem correctione opus habere, video, pauca ſaltim, quia Dn. Doctor

& Davidi Byrglino I. V. D. bemus epiſtola (*r*). Sic & celebri jureconſulto & C. P. C. *Davidi Byrglino* Auguſtano, menſe Novembri anno MDLXXVII. exemplar manu ſua potiorem partem conſcriptum, totum vero a ſe ſollicite emendatum paucis ante obitum diebus donavit, quod hodie in manibus viri perilluſtris Dn. *Marci Antonii de Reblingen L. B. ab Ainhofen* eſt, & multis quoque lituris & emendationibus turget. Vnde ex vero concludit cel. MENCKENIVS, Gaſſerum aliquoties annales

Aliquoties annales deſcripſit Gaſſerus.

ita vult, admonere volo, quæ jam inſerta operi ſunt. Oro autem cl. Dn. Doctorem, ut omnino curet hoc opus aliquando in publicum progredi, poterit enim multis prodeſſe. Ego non parum ſum eo in hiſtorico meo ſtudio adjutus. Promoveat Chriſtus omnia, quæ ad ſuam gloriam faciunt, Amen. Augſtburgi XIV. Maji anno MDLXXVII. Exul. in ædibus Achilleis ſcripſit.

(*r*) *Nobili ac ſapientiſſimo viro Domino Henrico Reblingero a Rhadau, urbis Augſtburgenſis duumviro meritiſſimo, domino & patrono ſuo modis omnibus ſemper colendo.*

Ach. P. Gaſſerus L. Med. D. S. P. D.

En tandem, heros inclyte, prudentiſſimeque duumvir, perdiu & ſedulo a me præclariſſimæ urbis hujus collectos annales; quos pro vetere in Te mea obſervantia, immo antiquiſſima noſtra amicitia nunc Tuæ dominationi legendos diſcutiendosque præ aliis ea lege concedo, ut, qua es humanitate eruditioneque præditus, ad durius dicta candidum Tuum judicium interponere, inepta aniliaque benevole interpretari, erratis tam in tempore, quam in re ipſa certiorem emendationem addere, ac ubi imperfecta vel ambigua occurrunt, pleniore inſtructione ſubinde ornare ac diſponere digneris, atque quod potes & ſoles, comiter velis, idque una aut altera literula ſcitulis libro impoſitis facile fieri exiſtimo. Quo in labore non ſolum honori Tuo coſulueris; ſed etiam mihi rem gratiſſimam præſtiteris. Dum itaque vir cl. pro otio vaſtam hanc farraginem evolvis, cave ne aliquando nugacitatem rideas, vel libertate ad iram conciteris, ſic enim Achillem ſolere noſti, cujus vitia noveris, non oderis, precor. Quod vero ad ſtylum attinet, ut non ſum Cicero, nec Livius, ita Germanicum meum Latinum non potui ſemper eadem dictione eleganter pro voto pertexere, tum propter antiquiſſimorum & tantum non linteorum librorum undiquaque exhibitorum varietatem, tum propter temporis longa intervalla, quibus omnia iſta compilavi, adde inſuper ob negotiorum profeſſionis meæ moleſtias. Sereno enim animo ad iſta recte concinnanda & continuata tranquillitate opus erat. Bene in Chriſto unico medentium Salvatore vive ac vale, meque commendatum habe. Ex ædibus noſtris XVI. Julii MDLXXIII. Ceterum, ſe ſuaque ita extenuaſſe Gaſſerum, ut invidiam ob multa relata, quæ taceri plerique maluiſſent, declinaret, vero videtur non abſimile.

nales ſuos ipſum deſcripſiſſe, patronisque & amicis obtuliſſe, quemadmodum & Gothanum exemplum pro αὐτογράφῳ habet, ſaltem & Benedictinum, cujus ſupra mentionem fecimus (*s*), & hoc Rehlingerianum talia eſſe, nobis, quibus manus Gaſſeri ex aliis ſchedis eſt notiſſima, & aliis quoque, qui ea inſpexere, palam fuit. Tandem ipſi ſenatui Auguſtano opus, prolixa in hunc finem conſcripta epiſtola, in qua cauſſas, argumentum & rationem operis exponit, dedicaturus erat (*t*): immo id factum eſſe, vix dubitandum, licet in publicis urbis Auguſtanæ ſcriniis & ἀρχείοις, exemplar hodie extet nullum, cum ibi olim unum fuiſſe probabile ſit, quemadmodum in bibliotheca quoque reip. Aug. publica aſſervatum fuit.

Tandem ſenatui dedicat.

§. VIII. Delituit tamen præclarum opus multo vigilatum labore, inter privatas manus, donec anno MDXCIII. Hanovienſis typographus *Guilielmus Antonius*, auctore Wolffgango Hartmanno, paſtore Eberſpacenſi, illud prelo ſubjicere cogitaret, ejusdemque ſatis amplum faceret initium. Cum vero conſilii rationem Auguſtanæ urbis proceribus proderet, tantum abeſt, ut gratiam, quam quidem ſperaverat, iſta editione mereretur, ut potius ſevere literis moneretur, ne ejusmodi quippiam, quod ſenatui & reipublicæ poſſet eſſe præjudicio, ſuſciperet. Et cum hoc non obſtante in edendo opere editor & typo-

Poſt auctoris funus edi cœpti annales.

Qui tamen a ſenatu impediuntur.

(*s*) De αὐτογράφῳ auctoris exemplari B. SAGITTARIVS in *annal. Auguſtan. mſc. ab init. p. 3. ita: Achilles Pyrminius Gaſſarus medicus ſuperiori* (*XVI.*) *ſeculo Auguſtanus, mathematicus & hiſtoricus inſignis annales Auguſtæ magno ſtudio conſcripſit &c. Miror ac doleo, tam utile & elegans ſcriptum nondum in lucem eſſe editum: niſi forte id gravibus de cauſſis premitur. Ipſum* αὐτόγραφον *poſt Vlricum Rumlerum Gaſſari ſororis filium Hieronymum Troſchelium & Georg. Hieron. Welſchium, nunc* (1690.) *poſſeſſorem habet Matthiam Frid. Becckium eccleſiaſtem Auguſtanum.* Idem exemplar eſſe, quod non ante multos demum annos bibliothecæ Benedictinorum acceſſit, multæ eæque certiſſimæ rationes ſuadent.

(*t*) Ipſam dedicationem appendicis loco adjecit annalibus ill. MENCKENIVS, *T. I. ſcr. rer. Germ. p. 1951. ſeqq.*

typographus pergerent, literas dedit ſenatus querimoniarum & minarum plenas (*u*), tum ad ſenatum Francofurtanum, tum ad fiſci cæſarei in iſta urbe miniſtrum, decanum ad S. Bartholomæi, quibus librum falſitatibus infamiaque non honeſtis tantum familiis, ſed ipſis imperatoribus principibusque perſonis gravem pronunciat, & ut cæſarea auctoritate ejus editionem ſupprimat, & impreſſa quoque atque edita folia tollat, poſtulat. Id quod etiam tanta diligentia factum eſt, ut præter unum (*x*) nullum aliud iſtud naufragium effugeret; certe nec unum quidem impreſſæ partis exemplum ſtudioſiſſime in id inveſtigantibus viris curioſis potuerit hactenus inveniri. Et cœptam hanc, non tamen abſolutam, editionem cauſſam eſſe putamus, cur G. DRAVDIO (*y*) liber impreſſus dicatur, quem poſtea LIPENIVS (*z*) STRVVIVS (*aa*) & NEV (*bb*) ſecuti ſunt (*cc*). Nec

& ſupprimuntur.

unde liber male impreſſus dictus.

(*u*) Quæ hodie & in ſcriniis reip. & in privatorum quoque manibus ſunt, quarum & nos præſens exemplum intuemur,

(*x*) Pervenit illud ad diligentiſſimum rerum Auguſtanarum conquiſitorem B TH SPIZELIVM noſtratem, ex cujus bibliotheca ad filium Dn. BALTH. GVLMANNI reip. patr. ſenatoris cum reliquis monumentis Auguſtanis ex parentis hæreditate migravit. Explent vero impreſſæ paginæ numerum 132. ſie 1½ Alph. reliqua manuſcripta ſunt. Titulum exhibet *præfatio ad ſcr. rer. Germ.* cel. MENCKENII.

Addita eſt præter varios indices: *Auguſtæ Vindelicorum urbis in Germania auguſtiſſimæ brevis & ſuccincta adumbratio, auctore Sal. Frenzelio; Vratiſlavienſi, P. L. a quo etiam ibidem in frequentiſſimo patriciorum & doctiſſimorum virorum conſeſſu publice recitata eſt XIII. Kal. Aug. anno* 1585. quod poëma rythmis Germanicis comprehenſum *Chronico Auguſtano* a ſe edito præmiſit ENGELB. WERLICHIVS.

(*y*) *Bibl. claſſ. T. I. p.* 727. (*z*) *Bibl. philoſ. p.* 137.

(*aa*) *Bibl. hiſt. c. XVII.* §. 25. *p.* 482. ed. vet. nam in recentiſſima cel BVDERI editione *c. VIII.* §. 12. *p.* 1007. hæc emendata ſunt, annalesque primus edidiſſe Menckenius recte dicitur.

(*bb*) *Acceſſ. ad Degor. Whear. relect. hyem. P. II. p.* 146. BOLDVANVS autem non audiendus eſt, qui in *bibl. hiſt. p.* 109. duas editiones ſomniat, Hanov. 1593. fol & Baſil. 1596. fol. conf. ven. VOGTIVS *cat libr. rar. p.* 301. *ed. rec.*

(*c*) Dignum hic obſervatione judicamus, quod cum Lati-

Nec amplius de editione cogitatum, ſed deſcripta tantum paſſim celebrata exemplaria, donec illuſtris meritis & eruditione vir IO. BVRC. MENCKENIVS hos annales dignos judicaret, quos ex sereniſſimi Saxo-Gothanorum ducis, magni olim bonarum literarum ſtatoris & patroni, bibliotheca a S. R. SAL. ERN. CYPRIANO communicatos novæ ſcriptorum rerum Germanicarum collectioni a ſe inſtitutæ inſereret, & in præfatione ea, quæ a doctis Auguſtanis carptim ſubminiſtrabantur, adjiceret, magnam eo nomine ab omnibus, qui hiſtoriarum ſtudium amplificari cupiunt, gratiam initurus. *Tandem editur.*

§. IX. Verum antequam colophonem huic diſſertationi imponamus, de ſumma rei, ſcilicet de fide annalium horum adhuc diſſerendum eſt. Cujus proban- *De fide annalium diſquiritur.*

nam Gaſſerianorum annalium editionem ſuppreſſam cerneret editor WOLFGANG. HARTMANNVS, paſtor Eberſpacenſis, de Germanico compendio cogitaverit, quod etiam ab eo anno ubi ENGELBERTI WERLICHII chronicon Auguſtanum, ex illuſtris duumviri MARCI WELSERI commentariis de rebus Auguſtanis potiſſimum congeſtum, deſinit ad annum 15-6. duabus partibus confecit. Id Dieterico Cæſari, qui ſuis ſumtibus Werlichianum chronicon excudi fecit, dedicavit. Vt vero & ſub alterius nomine tutius lateret (fulmen enim ſuperiorum jam ſenſerat Hartmannus in Latina editione) & ut facilius emtorem inveniret, ſi tota Auguſtanorum hiſtoria propinaretur lectoribus, non ſublatus tantum partis ſecundæ & tertiæ titulus & dedicatio, unde rariſſime hodie conſpiciuntur, ſed in fine quoque Werlichianæ partis addita nota, reliqua ex Gaſſeri annalibus eſſe deprompta, ut incauto lectori imponatur, cuncta, ut fert titulus, Werlichium ex Welſero depromſiſſe, omniaque primæ partis auctorem agnoſcere parentem. Et hæc quoque ratio eſt, pauciſſimis licet cognita, cur hoc chronicon Auguſtanum modo ſub Welſeri, modo ſub Werlichii primæ partis auctoris, modo ſub Cæſaris editoris, modo ſub Gaſſeri, qui materiam parti ſecundæ & tertiæ ſubminiſtravit, modo ſub Hartmanni partium reliquarum auctoris nomine veniat & laudetur. Ceterum admodum mancam, jejunam, in multis quoque mutilatam & male translatam eſſe hanc Gaſſeriani operis verſionem & epitomen, ipſa collatione edocti fuimus. Fallitur autem doctiſſimus *bibl. hiſtoricæ* auctor, qui ex loco *p* 270. extante, cujus verba Latina ſupra §. 2. attulimus conjicit, Germanici hujus operis auctorem ipſum Gaſſerum videri. Inepte enim Hartmannus, ut alia multa, hæc ex Latino Gaſſeri opere deſcripſit.

probandæ eo majorem nobis neceſſitatem impoſitam eſſe ſentimus, quod cel. *ſcriptorum rerum Germanicarum* editor, inter alia fidem Gaſſeri probaturus, hæc addidit: *Interim rerum Auguſtanarum gnari, & in his nuperus hiſtoriæ Auguſtanæ ſcriptor David Langenmantel in præfat. libri, hiſtorie des Regiments der Reichs-Statt Augſpurg, diſerte fatentur, ſe experientia edoctos, quod Gaſſerus limpidiſſimos ubique fontes deguſtaverit.* Cum enim non iſta tantum præfatio

quæ aſſeritur, quia ex noſtro fluxerit calamo, ſed & nos collationem monumentorum, mſc. & impreſſorum partim a gener. Langenmantelio partim ab aliis traditorum cum Gaſſeri annalibus aliiſque rerum Auguſtanarum indicibus inſtituerimus, quid de ejus pronunciandum ſit fide,

1. optimos plurimosque fontes habuit. facile judicare potuimus. Scilicet non unum nec unius generis libros ſcriptos ad manus Gaſſerus habuit, ſed & optimæ notæ, & à coævis viris, iisque munerum gravitate conſpicuis conſcriptos: quorum haud unum noſtris quoque oculis viſum & lectum eſt. Inter quos præcipue ſuſpicimus *chronicon* a BVRCARDO ZINCKIO, ſenatore Auguſtano medio ſeculo XV. conſcriptum (*dd*), *librum* item *publicum*, *documentis publicis*, *diplomatibus*, *privilegiis*, *receſſibus & contractibus egregie munitum*, in quo *advocatiæ Auguſtanæ hiſtoria & jura* egregie enumerantur, quemque quantivis pretii æſtimamus; quorum monumentorum omnium vere ſummam in Gaſſero deprehendimus: aliud item, quod jam ante oculos eſt, *chronicon*, ex diverſis virorum, ſenatorio quoque axiomate conſpicuorum ephemeridibus adeoque virorum oculatorum & auritorum teſtimoniis magnam partem conſtans. Vt taceamus tot publica monumenta paſſim jam in vulgus edita. Quæ omnia cum Gaſſeri annalibus conferentes, convicti fuimus, Gaſſerum veritati egregie litaſſe, ſaltem id nobis certum fuit, nihil illum confinxiſſe, ſed auctoribus cuncta ſuis debere.

(*dd*) Cujus ipſe Gaſſerus ad ann. 1420. meminit, *eumque acta urbis noſtræ, memoriæ ſuæ diligenter conſcripſiſſe* ait.

bere. Facilius jam de fide Gaſſeri judicare lector ipſe poterit, poſtquam vir generoſiſſimus PAVLVS A STETTEN, inſignibus in ſenatu Auguſtano meritis inclytus hiſtoriam omnem Auguſtanam ab urbis origine ad annum 1628, ex certiſſimis monumentis deſcripſit, annalibusque his Auguſtanis, Gaſſeriano ordine inſtructis. documentorum fidem, adjectis locis & titulis addidit. Inſtituta enim comparatione patebit, vera eſſe, quæ dudum ante præſtantiſſimum illud opus editum, de fide hiſtorica Gaſſeri h. l. diſſeruimus. Id quod ipſe quoque in *dedic. ad ſenatum Aug.* innuit, quando, *non exiguo*, ait, *labore, aſſidua cura, confuſum antiquiſſimorum manuſcriptorum & tantum non linteorum librorum de noſtris civibus chaos, partim ex aliorum hiſtoriographorum chronologorumque editis lucubrationibus* (*ee*), *qui nonnunquam paucula de civitate noſtra recitant, partim ex epiſcoporum* (*ff*) *reliquorumque eccleſiaſticorum, qui paulo attentius ſua annotarunt faſtis per diu evolutis, Augſtburgenſis reipublicæ annales hos in ordinem redegi* (*gg*). *Ipſa auctoris verba.*

Non negamus quidem, in tam diverſiſſimorum ſcriptorum turba talia inveniri quoque, ubi aſſenſus hæreat, ſed hæc ipſi Gaſſero imputanda non ſunt, qui librorum ſuorum auctoritatem fideliter ſecutus eſt, non neſcius, quo altius hiſtoria patria ſurgit, eo incertiora monumenta eſſe. Quod ipſe, tantum abeſt, ut taceat, ut potius loco modo citato (*hh*) diſerte fateatur: *Vt de vetuſtiſſimis antiquitatibus (quas invenire impoſſibile duco) taceam, vix quæ infra CD.* *Incerta ipſi non adſcribenda.*

(*ee*) Intelligit hiſtoricos medii ævi, *abbatem Vrſpergenſem. Chronicon Friſingenſe*, *Felicis Fabri hiſt. Sueviæ* aliosque, quorum loca in *prolegomenis ad hiſtor. regimin. Auguſtani* excitavimus.

(*ff*) Quo pertinent MARESCHALCI a PAPPENHEIM, canonici Aug. *chronicon*, quod ipſe noſter laudat, MEISTERLINI *chronicon Auguſtanum*, quod Gaſſerus quoque *ad ann.* 1457. citat. SIGISM. GOSSENBROT. Patr. Aug. *chronicon Auguſtenſe* à Meibomio editum, aliique.

(*gg*) In *dedicat. ad Hainzelium*, quam ſupra attulimus.

(*hh*) In *hac ipſa dedicatione*.

annos hic geſta ſunt, integre ac probe haberi poſſunt. Vnde deficientibus rerum propriarum certis narrationibus ad συγχρονισμὸν hiſtoriæ univerſalis confugit. In recentioribus vero ſemper ad annalium ſuorum ſcopum reſpiciens, in enarrandis rerum Auguſtanarum fatis eſt diligentiſſimus.

2. animo fuit integro veritatisque amante

His accedit integer Gaſſeri animus, qualem nobis ejus temporis homines, viri probatiſſimi atque boni, depictum dedere, nosque ſecundum illorum teſtimonium ſupra deſcripſimus; unde facile aſſenſum noſtro præbere liceat, quando de ſe ad ampliſſimum ſenatus collegium, *poſtremo*, ait, *cum ad noſtræ memoriæ annos perventum eſt, certe operam maximam adhibui, ne, quod hiſtoriæ lex unice præcipit, quid veri omitterem, aut falſi adderem, quin cuncta fideliter & absque fuco tali ratione complecterer, ut poſteris clare conſtaret, qui mille artifex Satanas, coluber ille antiquus ac humanæ ſalutis irreconciliabilis verſutiſſimusque hoſtis ſemper tam bello, quam pace calcaneo filii Dei inſidiari, omniaque recta & tranquilla perturbare conſueverit. Id quod non moroſo lectori in perlegendo evidenter patebit.*

Odia hominum non curans.

Et paulum infra: *Ceterum perfacile auguror, qui hodie ſunt hominum mores, me, dum benigniorum aures demulcere geſtio, tetricis bilem in nares, loquendi libertate citurum eſſe: etenim veritas nunquam non odium parit: Sed quid facerem? dum maxima, mediocria, minima, ſacra item & profana, prout perpetrata ſunt, libere & citra maledicendi libidinem recenſere pergo, non potui non aliquos offendere, quis enim ſine crimine vivit? Quicquid igitur talium odioſarum rerum incidit, venia dignum exiſtimo, cum nihil ex memet finxerim, authoresque omnium habeam.*

3. Sæpius ex judicio doctiſſimorum virorũ emendavit.

Quodſi id teneamus quoque, Gaſſerum annales ſuos non præpoſtera feſtinatione edidiſſe, & cœcos ita peperiſſe catulos, ſed multa coërcuiſſe litura, multorum dierum examine, amicorumque cenſuris examinatos probaſſe, immo ipſis ſenatus primoribus & ſummis capitibus legendos & corrigendos tradidiſſe, eosque fuiſſe viros ut rerum

rum patriarum gnariſſimos, ita cordatos & veritatis amantes, cur de fide Gaſſeri temere dubitemus, cauſſa non liquet. Ceterum integri dimidii ſeculi, in cujus decurſu totius reip. Germanicæ graviſſima & memoria digniſſima fata acciderunt, teſtis noſter cum fuerit, & cum viris principibus aliisque ad rerum-publicarum gubernacula admotis, familiare plane aluerit literarum commercium, quantum cjus narrationi credi queat, prudens quilibet facile perſpiciet. Quod vero fidem ejus non parum auget, noſtro quidem judicio eſt, quod ex prima animi intentione arcanam hiſtoriam ſcripſerit (*ii*) (eo licet audaciæ, Hainzelio inſtigante, poſtea progreſſus, ut ſenatui inſcriberet) cui magis fidem adhibendam eſſe, quam publicæ, apud eos, qui rem recte ponderant, in confeſſo eſt (*kk*). Ne mireris itaque, cum tam præſtantes ſint hi annales, ipſos pontificios ſcriptores, & inter eos VDALRICVM MOEHNERVM Benedictini apud Auguſtanos ſodalitii olim aſſeclam, in *hiſtoria*, quam *de hac urbe* condidit, noſtri veſtigia κατὰ πόδα, immo ſæpius κατὰ ῥῆμα preſſiſſe, quod nosipſi, quibus occaſio enata fuit, eum cum Gaſſero conferendi, obſervavimus. Facile hinc, quid de accuſationibus contra fidem Gaſſeri judicandum ſit, liquet. Etſi enim ultro concedimus & dolemus quoque, Gaſſerum fontes, unde ſua hauſit, non indicaviſſe, dandum tamen hoc eſt & ignoſcendum illius ætatis conſuetudini, quæ nuda rerum facta narraviſſe contenta, ad teſtimonia rerum exprimenda non deſcendit; in quo eo magis excuſationem meretur Gaſſerus, quod pleraque ex chronicis manuſcriptis deſumſit, ad quæ provocare, cum in pauciſſimorum manibus ſint, idem

4. plerorumque fuſius enarratorum teſtis fuit αὐτόπτης.

5. Literarum comercium aluit cum ſummis viris.

6. Arcanam hiſtoriã ſcribere intendit.

7. a pontificiis ſcriptoribus admiſſus.

8. Fontes non allegavit ex ſeculi ſui conſuetudine.

(*ii*) Ita enim ad Hainzelium ſupra: *Tu igitur ex arcanis reipublicæ conſiliariis cum ſis, hoſce civitatis noſtræ annales arcanos aſſervato &c.*

(*kk*) Vid. S. Rev. FR. GVIL. BIERLING. in *diſſert. de judicio hiſtor.* §. 14. *ad Calcem. tr. de Pyrrhoniſmo hiſtor. p.* 297. *ſeqq.* cujus rationes ad Gaſſerum noſtrum merito applicandæ.

eſt ac nullum exhibere teſtimonium. Poteſt tamen diligens rerum Auguſtanarum ſcrutator, cui felicitas contingit, ejuſmodi chronica mſc. inſpiciendi, facile monumentorum allegare loca, cum omnia ſecundum annorum ſeriem narrata, facile reperiri queant. Quod vero tum in ſummos pontifices quosdam, tum in imperatores quoque aliquos, tum in alias perſonas illuſtres & familias honeſtas injurius fuiſſe dicitur, quodque de iis talia retuliſſe viſus eſt, quæ taceri debebant, ipſe non incommode ita diluit (*ll*): *Ante omnia autem illis, qui me majorum, aut etiam pontificum famam arroſiſſe culpant, reſpondeo, me non panegyricos, ſed annales ſcripſiſſe, de quibus rectiſſime Claudianus poëta cecinit: annales veterum delicta loquuntur. Quod licet me non raro feciſſe in hoc opere non negem, parentheſi tamen id ita incluſi, ut molliculus teneriorque lector, ſi libuerit, levi ſaltu tranſilire queat. Quicquid igitur talium odioſarum rerum incidit, venia dignum exiſtimo, cum nihil ex memet finxerim, authoresque omnium penes me habeam.* Non negamus quidem, de quibusdam perſonis ea ſemel atque iterum afferri, quæ & familiis honeſtiſſimis gravia ſunt, & rigidius examen non ſuſtinent (*mm*); verum & pauca ea ſunt, & hæc ipſa quoque Gaſſerus non finxit, ſed ex codicibus ſuis vetuſtis bona fide tranſtulit (*nn*), in quos vel ex orali veterum traditione, quæ perſonarum nomina facile confundit, vel ex incertis monumentis perſcripta ſunt: unde nihil culpæ in Gaſſerum devolvitur

9. Durius dicta in perſonas quasdam veritatis ſtudio imputanda.

10. Vel fontibus, quibus uſus eſt, adſcribenda.

(*ll*) In dedic. ſæpius laudata.

(*mm*) Exemplo eſſe poſſunt, quæ de Bartholomæo Sulzero narrat, quæ prorſus circumſtantiis temporis, familiæ, loci &c. non reſpondere, & ex confuſo potius nomine ortum trahere, facile ex chartis ſplendidæ gentis Sulzerianæ & monumentis authenticis poſſemus deducere, ſi hic locus eſſet.

(*nn*) Ita v. g. Remianam familiam anno 1476. ſenatu motam fuiſſe, ob minus fideliter acta res publicas Gaſſerus refert, quod tamen monumentis publicis & privatis, & indicibus quoque magiſtratuum Auguſtanorum contrarium eſſe omnino conceſſero: in alio tamen eoque mſc. codice, quem ante oculos habemus, eadem propinatur fabula.

tur, nec ejus fides in ſuſpicionem adduci poteſt. Quod vero, ut hoc tandem addamus, ſenatus Auguſtani cura & petitione editio vulganda fiſco olim addicta fuerit, ut tunc temporis, ubi omnia ſatis erant Auguſtæ turbida, & ſuſpicionum atque ſimultatum inter ſenatum & cives plena, & quo facile ejusmodi liber novorum motuum occaſio apud imprudentes eſſe poterat, non ſine gravi ratione, adeoque recte factum eſſe exiſtimamus, multis adhuc, de quibus ibi ſermo eſt, perſonis earumque liberis inter vivos exiſtentibus, quæ cauſſa eſt, cur ipſe Gaſſerus annales ſuos typis vulgari noluit: id tamen adeo non illius quicquam fidei derogat, ut potius arcanam hanc hiſtoriam eſſe, cupideque legendam vel hoc ſolo argumento apud prudentes hiſtoriarum lectores facile obtinuero. Non caret tamen nævis ſuis & erroribus Gaſſerus (*oo*), qui ut homo fuit, ita ipſe candide, more ſuo, faſſus eſt (*pp*): *Quia vero errare humanum eſt, egoque nihil humanum a me alienum puto, facile fieri in tanta rerum varietate occupationibusque poteſt, ut interdum me hallucinatum eſſe peritiores comperiant.* In potioribus tamen & ſummis rerum capitibus fidem hiſtoricam illi dandam eſſe, non levibus argumentis probaviſſe nobis videmur.

II. *Quod ſuppreſſi annales, fide noſtro tempore non minuit.*

Non caret tamen nævis ſuis Gaſſerus.

(*oo*) Egregie VOPISCVS in *Aureliano c. 2. neminem hiſtoricorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodidiſſe ſe, quin etiam, in quo Livius, in quo Salluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus convincerentur.* Quis vero ob hos nævos præſtantiſſimis hiſtoricis fidem hiſtoricam denegaverit?

(*pp*) In *dedic. laudata.*

(O)

OBSER-

OBSERVATIO X.

Diſſertatio epiſtolica de meritis in rem literariam, præcipue Græcam, *viri celeberrimi* DAVIDIS HOESCHELII, gymnaſii ad D. Annæ Auguſtæ Vindelicorum quondam rectoris & reip. bibliothecarii: ad PHIL. IACOB. CROPHIVM, P. L. C. gymnaſii Annæani rectorem & bibliothecarium (*).

§. I.

Scribendi occaſio. ETſi ſemper, SOCER DESIDERATISSIME, te maximopere colui, ex quo non præceptorem tantum te olim nactus ſum, qui in decurrendo bonarum literarum ſtadio auctor mihi atque hortator exſiſteret, ſed & ſocerum te mihi junxit arctiſſimus ſanguinis nexus; etſi ſemper de tua ſalute gaviſus ſum maximopere, Deumque nunquam non piis flagitavi precibus, ut cœleſtis gratiæ imbribus chariſſimum caput tuum inundet; creſcit tamen ſingulis annis animi lætitia, quando redeuntibus fauſtis luminibus te canitie venerandum, annisque graviorem, ſartum video per divini numinis benevolentiam atque animo corporeque incolumem. Vnde dum te ſeptuageſimum ſecundum onomaſtici ſideris ortum celebrare, cum tuis plaudo lætorque, vota, quæ tibi mea in te pietas debet, publica ſcriptiuncula ſolvere, eo magis jucundum eſt, quo magis tibi de re publica literaria tot nominibus merito fauſta quæque pre-

(*) Edita eſt hæc diſſertatio epiſtolica, *Aug. Vind.* 1738. 4. & recuſa T. IV. *Tempe Helv. p.* 469. *ſeqq.* eam autem jam auctam & emendatam damus.

precantur, quotquot literas amant, meritisque pretium ſtatuere norunt. Nec dubito, in id conſenſuros omnes, qui te exoptatum Auguſtanis ſidus amant & ſuſpiciunt, gratesque tibi deberi profitentur, qui tot viros doctos educaſti, quorum prudentia & eruditione respublica & eccleſia regitur, ut tibi omnigenam felicitatem, ſenium ad ſeram usque immortalitatem decurrens, canos honore meritisque venerabiles, familiam omni bonorum genere exſatiatam, dignaque tot meritis præmia mecum toto animo precentur, Deumque rogent, ut tranquilla ſenectute gaviſus calendas Majas ſæpius adhuc integris animi corporisque viribus auctaque indies ſalute reviſas. Ne vero privata tantum pietate hæc ſe tibi commendet pagina, ſed & benevolus lector aliquid offendat ſua curioſitate dignum, placuit pauca *de meritis* celeberrimi anteceſſoris tui, *Davidis Hœſchelii in bonas literas præcipue Græcas* diſſerere. Etſi enim a te promiſſam gymnaſii Auguſtani rectorumque ei præfectorum hiſtoriam impatienter adhuc expectat orbis eruditus, & mecum otia atque procerum favorem ad elegantiſſimum argumentum hoc excutiendum toto precatur animo; integrum tamen erit, hanc interim particulam, tanquam brevem quandam ſymbolam conferre, eamque memoriæ civis meritiſſimi præſtare operam, quam Occonibus, Ehingero, Gaſſero, Schrœckio lubens præſtiti. Favet vero huic meo inſtituto eo magis vir per totum literatum orbem celeberrimus, quo magis in te vivam tanti viri recolo imaginem. Tu enim non ſolum iisdem praes muneribus, quæ tanta diligentia & dexteritate ornavit Hœſchelius, & ſcholaſticas Annæani Athenæi Muſas regis, theſaurique patriæ literarii, celeberrimam bibliothecam innuo, curam geris accuratiſſimam; ſed & eandem eruditionem foves, eadem felicitate juventutis emolumenta promoves, eadem cura librariam Auguſtæ ſupellectilem, illatis Schrœckianis libris, augere ſtuduiſti, eodemque meritorum numero

ro & forum & templum doctis viris replevisti, annos plures, quam quos Hœſchelius exegerat, in ſtadio ſcholaſtico decurrens, adeo, ut vel ipſa invidia teſte, vere de te dicere liceat, quod de Hœſchelio dictum novimus:

Mille dedit foro juvenes, bis mille miniſtrorum
Adjecit numero purpureæque togæ.

Dabis itaque de Hœſchelianis meritis pauca quædam commentaturo eo magis patientes aures, quo magis exiguum eſt (*a*) quod hactenus de tanto viro legit eruditorum curioſitas.

Hœſchelii vita & educatio ſcholaſtica.

§. II. Quemadmodum ſcilicet mature ſe produnt magna ingenia, animique impetum ita detegunt, ut ad quæ nata ſint, vel ex primis adoleſcentiæ veſtigiis colligere liceat, ita & Hœſcheliana virtus in ipſo puero enituit, ut quis futurus ſit, quantum ipſi Græcæ literæ olim debituræ ſint, præceptoribus & patronis facile patuerit. Anno enim poſt reſtitutam humani generis ſalutem milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſexto III. Id. April. patre Petro natus (*b*) & mature diſciplinæ traditus, magnam præceptorum expectationem excitavit, & ita in ſtudiorum ſtadio progreſſus fecit, ut magnos Mæcenates inveniret, qui ad ingenii ad ſublimia tendentis curſum promovendum

(*a*) Etſi de orbe literato magnopere meruit Hœſchelius, nemo tamen hactenus fuit, qui tanti viri vitam accurate deſcriberet. Quæ enim apud FREHERVM in *theatro vir. illuſtr. p.* 1511. leguntur pauca ſunt nec accurata; B. SPIZELIVS vero in *templo honoris reſerato* elogium tantum dedit magni philologi, *p.* 328. *ſeqq.* Ex his vero reliqui hauſerunt, quicunque de vita Hœſchelii meminerunt, CLARMVNDVS *in vitis P. V.* ſæpius lapſus, *lex. erudit. p* 991. WITTE in *diario lex. hiſt. T. II. p.* 802. BAYLE *dict. T. II. art. Hœſchel.* IO FABRICIVS *hiſt. biblioth. ſuæ T. I. p.* 319. I. C. WENDLERVS *de merit. reip Aug. Diſſ. I.* §. 12. *p.* 47. *ſeqq.* tandemque poſt hæc noſtra ſcripta CROPH. *hiſt gymn. Aug. P. II. p.* 175.

(*b*) Vid. PRASCH. *epitaph Aug. P. I. p.* 180. ubi epitaphium Hœſchelii hodienum in Xyſto templi D. Annæ in monumento Hainzeliano ſuperſtes exhibetur, quod repetii in *comm de vita Eliæ Ehingeri p* 46. *n. S.* unde errant, qui in 14. Aprilis diem natalem Hœſchelii referunt.

dum liberali manu beneficia adoleſcenti porrigerent (*c*). His adjutus talem præceptorem nactus eſt, qualis de literatura Græca optime merituro requirebatur, *Hieronymum Wolfium* (*d*) quem in Græcis tradendis literis & ſcriptoribus Græcis interpretandis aliis ſui temporis palmam præripuiſſe, nemo ignorat, niſi qui in

(*c*) Inter eos maxime deprædicat Matthæum Welſerum, ædilem & ſcholarcham, cujus patrocinio & liberalitate ſtudia continuare ſibi licuerit, vid. dedic. *Damaſcem de transfig. I. C.* Inter plures enim proceres literis tum faventes Welſeriana familia maxime enituit, immo ea tum fuit Auguſtæ felicitas, ut ſummi viri genere & muneribus illuſtres certatim ſtudiis elegantioribus manus porrigerent, & neque favore neque ſumtibus in alendis & juvandis viris doctis parcerent: inter quos præter Fuggeros & Welſeros, Marcum, Antonium, Matthæum, Paulum, Carolus Rehlingerus, Wolfgangus Palerus, I. Georgius Oeſterreicherus, Albertus a Stetten, Matth. Erhardus, aliique viri generoſiſſimi enituerunt; immo in eo totius illuſtris ſenatus Auguſtani cura tota fuit; *ut magna gererent bonarum literarum cauſſa*, teſtante noſtro in *dedic. opuſc. Philonis*. Quam ſenatus Auguſtani tunc temporis magnificentiam his verſibus extulit SALOMO FRENZELIVS Vratislav. in *adumbratione Auguſtæ Vind.* rariſſima:

Non vero ſatis eſt; multos diſcrimine nullo
Accumulare libros, doctis eſt inſuper omnis
Vrbs ornanda viris, quibus hæc reſpublica felix
Affluit.

Et paulo poſt:

Præterea egregiis fora, templa, ſcholasque magiſtris
Inſtruit, & pubem ſtudia ad graviora coërcet,
Educens terris magno & plantaria cœlo.
Hinc eſt doctorum tam pulcbra corona virorum,
Tot docti proceres, hinc doctus & ipſe ſenatus.

Egregia certe Auguſtæ felicitas, cui invidiam noſtrorum temporum merito precamur. Hœſchelium vero hac ſenatus munificentiſſimi benevolentia adjutum in dedicatione orationis laudandæ ipſe fatetur, *miſſum ſe & ablegatum in alium locum, ut huic potiſſimum ſtudio vacaret reip. alumnus.*

(*d*) Hunc paſſim *præceptorem ſuum colendum vocat*, vid. *dedic. opuſc. Philonis.* Quam vero Wolfius ſpem de Hœſchelio conceperit, ex his ejus literis ſyſtaticis ad Gregorium Bersmannum datis 1578. d. 5. Jun. patet: *Vivo & doceo jam alterum & vigeſimum annum in urbe hac quæſtui potius & voluptate dedita, quam literarum amante, majore conatu quam ſucceſſu. Auditores habeo paucos eosque magna ex parte ſtupidos & ignavos, mendicos atque etiam arrogantes, quo nihil turpius, nihil moleſtius eſſe poteſt, ſed tamen in-*

in eruditorum hiſtoria plane hoſpes eſt (*e*). Ab hoc magno viro magnum formatum Hœſchelii ingenium, qui potuit aliter, quam ſtupendos in omni doctrinarum genere, præſertim vero in Græcis literis, quas apud diſcipulos maxime urgebat Wolfius (*f*), facere progreſſus? In hoc adoleſcente ſponte ad ſumma currente qui potuit aliter, quam feliciſſimis enitere progreſſibus Wolfiana dexteritas, quæ in inſtituendis juvenibus parem vix habuit (*g*)? Inde magna illa eruditionis copia, inde lectio in antiquis ſcriptoribus ad ſtuporem magna & copioſa, inde exquiſitum de auctoribus veteribus judicium, quæ omnia noſter poſtea in egregiis ad auctores Græcos annotationibus copioſe prodidit, inde Iſocrateus dictionis nitor, quem Attico lepore in epiſtolis Græcis Hœſchelius paſſim exhibuit (*h*). Non mirum itaque, mature noſtrum ingenium ad Græcas potiſſimum literas excolendum natum & formatum publico ſpecimine demonſtraſſe. Celeberrimo enim, quod tum quidem Lauingæ florebat, gymnaſio ex Auguſtano lyceo illatus cum Nicolaum Reuſnerum ex Auguſtano lyceo in Lauinganum gymnaſium 1566. translatum, & Martinum Rulandum med. D. & Græcæ linguæ profeſſorem, viros publicis ſcriptis de Græca literatura præ-

terdum inter ſpinas roſa una atque altera naſcitur, quo in numero exiguo quidem eſt etiam David Hœſchelius, quem tuæ humanitati probari gaudeo, meoque etiam nomine commendatiorem eſſe cupio.

(*e*) Videnda, brevitatis cauſſa, quæ collecta exhibent *bilaria ſcholaſtica* B. CROPHII *p.* 8. *ſeqq.* *Vitam* ſuam ipſe deſcripſit *Wolfius*, cujus ſynopſin in antecedentibus dedimus.

(*f*) Videndi libelli H. WOLFII *de ſcholæ Auguſtanæ inſtauratione* & *de docendi diſcendique ratione Aug. Vindel.* 1578. 8.

(*g*) Hoc elogio paſſim in *actis ſcholaſticis mſc.* Dnn. ſcholarchis commendatur; eo connitens, *ut ſi fieri poſſet uno anno omnem eruditionem ſuam cum diſcipulis communicet, & quaſi infundat.*

(*h*) Earum quasdam ad Margunium Cytherorum epiſcopum exaratas opuſculis Græcis ab Hœſchelio editis præfixas invenire licet, vid. *Greg. Nyſſeni opuſcula*, *Maximi myſtagogia*, *dedicatio Græca vitæ Antonii ad Velſerum &c.*

præclare meritos (*) ibi præceptores habuiſſet, Græca oratione *de humani generis lapſu* (*i*) probavit, non fruſtra a ſe lectos ſcriptores in hac lingua optimos, nec inanem præceptoris fideliſſimi in eo fuiſſe induſtriam, ita enim Atticas veneres in hac ſcriptiuncula juvenis viginti annorum expreſſit, ut vel ex hoc ungue futurum leonem facile colligas, & qualis noſter in his literis fuerit, intelligas. Et iisdem quoque veſtigiis inſtitit Hœſchelius, in Lipſienſem academiam delatus, & a Reuſnero Gregorio Berſmanno eleganti carmine Latino velut juvenis pius ac modeſtus & Græce ſicut & Latine doctus commendatus, jam tum totus ἑλληνίζων; in eo omnis ejus cura vertebatur, ut libros Græcos ubique perquireret, optimorum auctorum lectione animi divitias augeret, collatis codicibus manuſcr. judicium firmaret, ſicque & ſtudii theologici, cui dicatus erat, & artis criticæ, & antiquitatis rationes intime pernoſceret (*k*). Hæc perſpecta non eſſe non poterat juvenis eruditiſſimi diligentia, nec deeſſe commendatio præceptoris Wolfii, qui commiſſo lyceo de viris vere doctis præceptoribus

(*) Vid. LIZEL. *hiſt. poët. Græc. Germ. p.* 204.

(*i*) Dicendum de ea infra, ubi de ſcriptis noſtri. Edita vero eſt 1577. cal. Ian. Docuit vero tunc in celebri hac ſchola *Philippus Heilbrunnerus*, Iacobi frater, cum Reuſnero & Rulando.

(*k*) Adduntur his in *lex. hiſt. l. c.* Hœſchelium etiam exteras regiones inviſiſſe, ubique codices mſc. & antiquitatis reliquias perquiſiviſſe; quæ ſine dubio perſonato Clarmundo debentur, qui neſcio qua paraphraſi hæc ex Spizelii *templo honoris* exſculpſit. Quorum nihil probari poteſt, anno 1577. enim adhuc in gymnaſio verſatur, 1578. in academiam abit, 1581. ſcholæ jam præficitur, adeoque triennium in academia tantum exegiſſe merito creditur, imprimis cum parciori penu parentum inſtructo ex publica beneficentia ſenatus Aug. & aliorum patronorum vivendum ei fuerit. Nec quicquam eorum meminit noſter in epiſtolis ad viros doctiſſimos paſſim exaratis, alias ad id digitum intenſurus, ſi eos coram conveniſſet. In academia vero magiſtri phil titulo & honoribus auctum eſſe paſſim ex adjecto nomini titulo videre. Vid. *hymni Margunii.*

bus conſtituendis ſollicite providebat (*l*). Hujus in Hœſchelio noſtro oculi, in hoc commendando patribus patriæ ejus induſtria fuit eo effectu, ut poſt ejus fata, urgente Wolfii commendationem Heniſchio 23. Martii anni ſeſqui milleſimi octogeſimi primi, quintæ claſſi(*m*), quæ ſupremæ,cui tum præerat *Simon Fabricius* (*n*), proxima eſt, plaudentibus Muſis, gaudente gymnaſii ephoro (*o*), præficeretur. In hoc munere fideliter obeundo omnem induſtriam Hœſchelius poſuit, nec indignam ſua eruditione ſcholaſticam ſpartam ratus, ſed exemplo præceptoris ſui, magni Wolfii, & ſucceſſoris Georgii Heniſchii, eruditione illi ſuppàris (*p*), cum primario Fabricio, viro eruditiſſimo (*q*), in id imprimis incumbebat, ut eandem eruditionis viam, quam ipſe feliciſſimis avibus ingreſſus fuerat, juventutem duceret, & imprimis ad auctorùm optimorum lectionem veramque χρηςομαθείαν perduceret. Id quod tanta dexteritate & fidelitate præſtitit, ut viri doctiſſimi non fine magna in eruditionem Hœſchelianam fiducia filios ſuos illi educandos committerent, quod grato ſemper noſter agnovit animo, & tum publica confeſſione (*r*) tum fideliſſima

(*l*) De quo conſultationes Wolfianæ & typis expreſſæ & inter acta ſcholaſtica latentes loquuntur, virique de publica ſalute maxime ſolliciti curam ſatis teſtantur.

(*m*) *Acta ſcholaſt. mſc. Vol. I. p.* 2[illegible].

(*n*) Vid. comment. noſtr. *de vita Eliæ Ehingeri p.* 54. & ibi laudatos.

(*o*) Ille enim Wolfio in ephoriæ gymnaſii munere ſucceſſerat, vid. CROPHII *hiſt. gymn. Aug.* P. *II. p.* 171.

(*p*) Dicemus de eruditiſſimo medico in templo honorum Germanorum eruditioni excitato *Vol. I. dec.* 4. interim conſulendus B. LOTTERVS *in collect. crit. ad hiſt. L. Germ. T. I. p.* 572. B. CROPHIVS *l. c. p.* 168.

(*q*) Primarius Fabricius vir certe ingenio præſtans dicitur WOLFIO *act. ſchol. Vol. II. p.* 172. conf. B. FABRICIVS. *cent. Fabric.*

(*r*) Vid. *dec. opuſc. Gregorii Nyſſeni* ad Wolfg. Palerum, & *Rhodii de affectibus* ad Ad. Occonem, M. Windium & Georgium Laubium medicos Auguſtanos.

liſſima inſtitutione, cujus ſpecimina paſſim extant (*s*), & qua tum pietatem, tum philologiæ ſacræ & profanæ fundamenta jaciebat, ſibi maxime cordi eſſe, ſincere teſtatus eſt.

§. III. Tantis de ſcholaſtica juventute meritis conſpicuus Hœſchelius non potuit non graviſſimo ſcholarcharum collegio eſſe commendatiſſimus. Vnde cum anno ſesqui milleſimo nonageſimo tertio die 5. Iulii Fabricius mortalitatis exuvias deponeret (*t*), unanimi ſcholarcharum nutu rector gymnaſio Annæano præfectus eſt (*u*), poſtquam Calvinianæ in articulo de S. cœnæ opinionis ſuſpicionem, qua premebatur, erat amolitus. In quo gravi munere obeundo non antiquum tantum obtinuit, atque priſtinum ſe præſtitit Hœſchelius, ſed & ampliorem provinciam nactus, merita indies augere, & de republica patria atque literaria optime mereri omni niſu ſategit. Ad id vero quam maxime contendit, ut poſt divinas literas, &, quæ ex iis hauriri debet, pietatem, ad optimarum artium diſciplinam, & præcipue Græcas & Latinas literas juventutem fideliſſima manuductione duceret. Qua dexteritate & induſtria effecit, ut non tantum primariæ dignitatis viri ejus inſtitutioni filios ſuos traderent (*x*), ſed & *e variis Germaniæ, Italiæ, Belgiique civitatibus Hœſchelii gratia ſe Auguſtam conferrent, quibus viri hujus inſtitutione uti, in-*

Munus ſcholaſticum.

Ff 2 *que*

(*s*) Paſſim ejusmodi ſpecimina mihi viſa ſunt, quibus loca optimorum ſcriptorum diſcipulis tradidit Hœſchelius, explicationi prolixiori inſervitura: cui negotio uti par fuit noſter, ita Wolfianis potiſſimum veſtigiis inſtitit; hinc tanta ubertas virorum Græce doctiſſimorum circa hæc tempora.

(*t*) Vid. HEVPOLDI *deſcr. Lat. ſcholæ.* PRASCH. *epitaph. T. I. p.* 205. SPIZEL. *templ. hon. reſ. p.* 320.

(*u*) Primarius audiebant Schenckius & Fabricius, quia illis Wolfius ephorus præfectus erat; poſt ejus vero obitum omiſſa ephori ſparta rectoris titulus ac dignitas in Hœſchelium collata eſt, ephoria ſeparata autem eſſe deſiit, poſt quam Heniſchius rude, uti diu exoptaverat, donatus erat.

(*x*) Vid. dicta *not.* (*r*).

que lingua Græca proficere curæ cordique fuit (*y*). Inclaruit itaque tanto rectore feliciſſimum gymnaſium, novo ædificio ſub noſtro magnifice ornatum (*z*) diſcipulosque patriæ, immo orbi quoque literato reddidit, ut omni artium cultura expolitos, ita præcipue Græce doctiſſimos. Quibus modis de Græcis potiſſimum literis inſtitutione & doctrina Hœſchelius optime meruit, donec XIII. Cal. Nov. anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimi ſeptimi ad cœleſtem academiam evocaretur (*aa*), & immortalitatem beatam adiret. Æternum vel hoc nomine Auguſtæ patriæ decus, & ſcholæ ornamentum, quod per triginta ſex annos in ſcholaſtico pulvere de juventute & bonis literis mereri, patriæque inſervire, quam oblatum ſplendidum profeſſoris munus in alma Noricorum academia ſuſcipere maluit (*bb*).

Mors.

Merita de bibl. Aug.

§. IV. Satis vel hoc nomine de Græcis literis, & omni etiam eruditione, meritus erat Hœſchelius, ut dignum Muſa virum vetaret mori: ſed ampliorem ei aperuit bene merendi campum procerum voluntas, ex quo ſplendidiſſimæ bibliothecæ reipublicæ Auguſtanæ bibliothecarius præfectus eſt (*cc*). Huic ſe intime

(*y*) Hæc fide B. SPIZELII refero *l. c. p.* 329. quæ vero inde confirmari poſſunt, quod dum novum idque ſplendidum excitaretur gymnaſii ædificium, ædes quoque rectoris Hœſchelii ita adaptatæ fuerunt, ut peculiaribus conclavibus peregrini diſcipuli poſſent in contubernium convictumque ejus recipi; vid. CROPH. *l. c. p.* 56. 181.

(*z*) Conferenda *hilaria ſcholaſtica gymn. Aug. p.* 75.

(*aa*) Vid. epitaphium ſupra adductum ex PRASCHIO *l. c.* illatus vero eſt monumento Hainzeliano repoſitus ad latus præceptoris Wolfii, conf. *vita Ehingeri p.* 40. Errant itaque, qui diem emortualem faciunt d. 20. Septembris. Succeſſorem habuit Ehingerum.

(*bb*) Hoc ipſius noſtri teſtimonio conſtat in *dedic. Procopii* ad illuſtres duumviros reip. Norimbergenſis. Ex epiſtola autem Ioachimi Camerarii, filii 159[illegible]. ſcripta patet, Hœſchelium ab eo munere ambiendo initio non abhorruiſſe, inſtigantibus & velificantibus Ioachimo & Philippo Camerariis.

(*cc*) Dubitabat de eo olim WENDLERVS *diſſ. I. de meritis reip. Aug. in rem liter. p.* 47. ſed immerito; in actis enim ſcholaſti-

time diu jam junxerat, eamque ſibi reddiderat familiariſſimam; in hac codices veteres, præcipue Græcos nocturna diurnaque manu verſaverat (*dd*); hanc conſilio & commendatione apud inclytum ſenatum juverat, totumque ſe theſauro huic literario dicaverat; Heniſchio itaque ætate ingraveſcente, qui bibliothecarii munus poſt Wolfium (*ee*) ſuſceperat, munus hoc felici eventu Hœſchelio ſimul traditum eſt. In quo obeundo an vel fide & dexteritate candidiorem, vel eruditionis literariæ, præſertim Pelasgæ divitiis ampliorem, vel inſerviendi officiis promtiorem bibliotheca hæc celeberrima nanciſci unquam potuerit, merito dubites. Certe ampliſſimus noſtro campus hic apertus fuit, de Græcis literis potiſſimum optime merendi. Cum enim apud magnos viros, Ioannem & Marcum Welſeros, Chriſtophorum & Quirinum Rehlingeros, Octavianum Secundum Fuggerum, Io. Iacobum Remboldum ſummis tum duumviratus dignitatibus functos (*ff*), plurimum valeret, facile impetravit, magno potiſſimum Marco, tunc conſule & poſtea ſeptemviro & duumviro, obſtetricante, ut optimis libris augeretur theſaurus hic librarius; unde tanta vis librorum, præſertim Græcorum, ei illata eſt, ut vix alia bibliotheca tanto cumulo præſtantiſſimorum librorum Græcorum ſuperbiat. Nec dubito, quin ejus quoque hortatu factum ſit, ut Marcus triennio ante noſtrum fatis functus, ampliſſimam bibliothecam

cis expreſſis verbis bibliothecarius dicitur; evincit vero id vel unus catalogus mſc. a noſtro confectus. Hanc vero ſpartam ei mature poſt Wolfii obitum traditam fuiſſe, inde patet, quod 1589. Eſprincardo bibliothecam monſtraverit, unde hunc ille bibliothecarium maxime laudat apud *Colomeſium bibl. ſel. p.* 203 *opuſc. p.* 492. ubi aliud quoque Covrelli teſtimonium exhibetur. Recte itaque eum recentiores *Spizelius, Bayliusque* bibliothecarium faciunt. Fuiſſe autem in hoc quoque munere Heniſchio initio adjunctum, ordo bibliothecariorum Auguſtanorum evincit, & praxis quoque clinica, cui ſtudebat Heniſchius, facile cauſſam prodit.

(*dd*) Vid *dedic. opuſc. Philonis*, itemque *homiliarum PP.*

(*ee*) Mortuus is 1580. vid. *vita Ebingeri p.* 54.

(*ff*) Vid *hiſtor. regim. Auguſt. ad calcem.*

thecam ſuam teſtamento juberet publicæ inferri, quod & ſub noſtro factum eſt. Nec hoc unum erat, quo hoc animarum ἰατρεῖον juvare contendit, ſed & juſſu & auctoritate ampliſſimi ſenatus, conſilio vero & auxilio Marci Welſeri, novum codicum Græcorum mſc. ab Antonio potiſſimum Eparcho ære redemtorum indicem confecit (*gg*), priſtino vel diſparente, vel ſatis hiulco (*hh*), ut ſcilicet *tam, quæ in illa* κειμήλια, *qui probæ notæ auctores ſervarentur, conſtaret, quam, quicunque codex in rei literariæ commodum, ut antea, petenti* εἰς χρῆσιν *daretur, aliique* βιβλιοτάφοι *ad idem bene de literis merendi ſtudium incitarentur* (*ii*). Neque in iis, quæ tam magnifice obtulit illuſtris ſenatus Auguſtanus viris doctis, beneficiis exhibendis ſocors fuit Hœſchelius vel μισάνθρωπος, ſed cum viris quoque doctiſſimis lubentiſſime communicavit, quicquid ex theſauris literariis in uſus ſuos ab ipſo petierant (*kk*). Cujus exemplum potiſſimum *Henricus Savilius* eques Anglicanus eſt, qui in edendo ſplendidiſſimo ſcriptorum Chryſoſtomi opere ex bibliotheca Auguſtana obſtetricante Hœſchelio maxime uſus eſt (*ll*). Quam quoque

(*gg*) Videatur *præf. ad Hieron. Comelinum*, de ipſo catalogo infra dicere commodius licebit.

(*hh*) Titulus catalogi pauciſſimis viſi & duabus tantum plagulis conſtantis hic eſt: *Catalogus Græcorum librorum, manuſcriptorum, Auguſtanæ bibliothecæ: quem ea reſpublica ideo edendum curavit, ut eos, vel viris doctis interpretandos, vel diligentibus typographis conferendos, modo de iis ſartis tectis ſuo tempore reſtituendis, caveant, ad augenda rei literariæ commoda, communicaret. Aug. Vind. ex offic. Mich. Mangeri, annô* 1575. 4. Tituli vero tantum librorum ſunt breviſſimi; unde Hœſchelius ampliorem eorum rationem reddidit. Eſſe vero Wolfii opus nullus dubito, is enim hoc tempore bibliothecæ curam geſſit.

(*ii*) Verba hæc ſunt Hœſchelii, qui priſtinam quoque invitationem ad viros doctos iterum præfixit.

(*kk*) Conf. SPIZELIVS *l. c. p.* 381.

(*ll*) Vid. omnino B. REISERVM ad *calcem catalogi mſc. bibliothecæ Auguſtanæ.*

que inſerviendi promtitudinem Caſaubono (*mm*), Margunio, Sylburgio, Grutero aliiſque viris celeberrimis exhibuit. Quod vero merita Noſtri de Græcis literis omnium maxime ornat, quodque forte pauciſſimis notum eſt, illud eſt, quod ejus conſilio celeberrima typographia ad inſigne pinus ab illuſtri Marco Welſero primum erecta, magniſque a viris ſummis ſumtibus ad vitæ noſtri finem ſuſtentata eſt, quod ab anno 1594. factum eſſe, non ſine probabili argumento conjicio; in ea enim, elegantiſſimis typis Græcis & Latinis, operam ſuam commodantibus egregiis typographis Ioanne Prætorio, Davide Franckio & Michaële Mangero, præſtantiſſimi libri non Hœſchelii tantum, ſed & aliorum virorum doctorum, in charta pulchra, firma & candida mundiſſimo habitu prodierunt, noſtro in id potiſſimum contendente, ut exirent emaculatiſſimi; unde Auguſtani magnam de hac re laudem reportaverunt (*nn*).

(*mm*) Vid. CASAVBON. *ep.* 482.

(*nn*) De typographeo ad inſigne pinus altum apud eos, qui hiſtoriam literariam rei typographicæ excuſſerunt, ſilentium eſt. Nec in ipſa Auguſtanorum urbe certi & indubitati quid, quantum quidem mihi adhibita omni induſtria conſtat, reperire eſt. Dabo tamen quæ non vana conjectura aſſequi licuit. Ejus vero condendi occaſionem atque conſilium ſuppeditaſſe videntur ſocietates Rhenana, Suevica, Bavarica, ſeculo prius auctore potiſſimum Dalburgio atque Celte in id conſpirantes, ut optimorum auctorum editiones adjuvarent, conf. cl. BVRCARD. *de fat. LL. in Germ. P.II. p.* 402 *ſeqq.* talem enim etiam Auguſta Peutingerum foviſſe, in ejus vita in *templo hon erud. Germ. Vol. I. dec.* 2. probavimus. Hujus vero typographei initia recte ad annum 1594. referri, ex edito Gennadio & *præfatione* HOESCHELII *ad cat. mſc Græcorum* Marci Velſeri juſſu vulgatum probatur, ait enim: *Hunc typis novis editum tibi Commeline clariſſime inſcribere volui.* Et ſub his typographei initiis ſolum Velſerum ſumtus ſuppeditaſſe, noſter iterum prodit, quando in *dedicatione Horapollinis ad M. Welſerum* ſcribit: *Te auctore atque hortatore laborem hunc ſuſcepi: Tuo SOLIVS beneficio typis adeo elegantibus myſtica hæc κονηματια prodeunt.* Hinc expreſſis verbis *typos Velſerianos* vocat I. LIPSIVS in *ep. ad noſtrum* inſerta *notis ad Photium p.* 929. Vbi tamen & hoc ex *dedicatione Photii ab A. SCHOTTO Latine facti ad M. Velſerum* tenendum, fratres hujus Antonium, Matthæum ac Paulum re quoque, id eſt ære ſuo

Merita literaria. §. V. Satis, puto, hæc omnia loquuntur, Hœſchelium de bonis, præcipue vero Græcis literis immortaliter fuiſſe meritum; multo tamen magis eruditiſſima ejus ſcripta teſtantur, absque adulatione in epitaphio noſtro poſito Hainzelios fratres eum vocaviſſe: *Pelaſgæ literaturæ anteſignanum.* Tot enim de hoc

hac in re eruditos juviſſe. Quoniam vero magnos ſumtus requirebat, typis Welſerianis libros Græcos excudere & typothetarum pariter operas & chartam redimere, acceſſere tum alii viri graves, & numis inſtructi, qui ſumtus ad libros ad inſigne pinus excudendos ſubminiſtrarent. Hoc imprimis factum eſt, ubi Photii bibliotheca, magnum & carum opus, edendum erat. In id enim ex ipſo ærario quosdam ſumtus factos eſſe, *dedicatio ad duumviros Quir. Reblingerum & Marc. Velſerum* his verbis ſuadet: *in hac urbe veſtro auſpicio recentibus iisque pervenuſtis typis alia atque alia utriusque linguæ κομμάτια brevi temporis ſpatio excuſa ſunt.* Imprimis vero ſuppeditabat ſumtus *Bonaventura Bœdeceerus* Elcoviæ dominus, S. cæſareæ majeſtati a conſiliis, qui ab ejus affine *Carolo Reblingero*, ſcholarcha, magnoque Hœſchelii patrono noſtro conciliatus ſumtus liberaliter exhibuit. Ita enim in *epiſtola præfixa notis in Photium* Hœſchelius ad eum: *Has tuis auſpiciis in lucem prodire patiaris vir magne, qui nulli ſumtui peperciſti, quo theſaurus hicce tenebris erutus juris tandem publici fieret*, id quod anno 1601. factum. Anno ſequente *Chryſoſtomi opuſculum contra Iudæos* Hœſchelius his typis edidit, in cujus *dedic. ad Gaſp & Melchiorem Erbardos* ait: *hunc neque æri ſuo parcere voluiſſe, quo hæc editio maturari poſſet.* Anno inſequente 1603. edidit noſter *eclogas legationum*, in quarum dedicatione profitetur, eam editionem deberi *liberalitati Marci Velſeri, duumviri.* Originem vero biennio poſt *Caroli Reblingeri liberalitate typis evulgatum eſſe* noſter iterum gratus in *ep. præf* profitetur. Hunc ſequebatur biennio poſt Procopius; in cujus præfatione editor Hœſchelius monet, *ſumtus ad maturandam editionem ſuppeditaſſe ornatiſſimos cives Auguſtanos Io. Georgium Oeſterreicherum, p. m Ioannem Huebher, & Wolfgangum Emekofer, quos honoris cauſſa nominat, ut eorum exemplis NB. alii ad ſimiliter reip. literariæ opem ferendam allectentur & invitentur.* Inde cum audiret curante Daniele Heinſio Lugduni Batavorum imprimi Procopium, optat, ut certior factus fuiſſet, *ne damno eſſet iis, quorum ære & charta & operæ conductæ ſunt.* in *ep. ad Iungermannum poſt Hottomannianas p. 456.* Hæc, niſi fallor teſtimonia, ſatis dicta confirmant. Cum vero alios libros David Franckius, alios Michael Mangerus, alios Ioannes Prætorius excuderint, inde neceſſario conjiciendum eſt, illos docto huic & munifico librorum Græcorum edendorum conſortio operam ſuam, ſed typis illius, commodaſſe: quod ne ſuis ſumtibus fraudetur, de privilegio

hoc eruditionis genere titulos meruit, ut inter Germaniæ noſtræ viros ſummos paucos habeat, qui cum eo comparari queant, ſuperiorem vero fere neminem. Id ſi teſtimoniis eruditorum, qui omni tempore, usque ad hæc noſtra ampliſſimis laudibus illum extulerunt, conficiendum eſſet, nubem teſtimoniorum de Hœſchelianis in rem literariam meritis hic facili manu congererem; verum id ab aliis ita factum eſt (*oo*), ut haud difficile ſit in eruditorum ſcriptis verſato, illa multum augere. Nobis duorum noſtra ætate magnorum virorum teſtimonia ſufficiunt, PETRI BÆLII, cui (*pp*) *vir longe doctiſſimus* audit, & IO. ALBERTI FABRICII (*qq*), qui *poſt Camerarium ſe neminem noſſe* ait, *qui inter Germanos tantum Græcas literas amplificaverit, atque in lucem protractis variis præclaris Græcis monumentis eorumque collectionibus tam bene fuerit de elegantioribus ſtudiis promeritus, quam Davidem Hœſchelium, Auguſtanum.* Vnde merito in tanto eruditorum de Hœſchelianis in Græcas literas meritis conſenſu mireris, *Ioſephum Scaligerum*, Hœſchelio alias amiciſſimum, & in extollendis ejus meri-

tum Cæſareo, tum regis chriſtianiſſimi, ſibi proſpexit. Et hinc *ſubobſcura elegia* IANI GRVTERI *Photio præmiſſa* lucem capit. Typos vero hos *ad invidiam elegantes* jure vocat *Lipſius l. c.* Inſigne autem pinus a civitatis teſſera, quæ pinum refert, deſumtum eſſe, cum hac epigraphe: *Honos erit huic quoque pomo*, qui libet videt. Nos hanc Auguſtanarum literarum felicitatem tantorum virorum conſilio, ope, ære & benevolentia promotam merito in cælum extollimus, noſtrisque temporibus ad depellendam, quæ imminere videtur, barbariem, multos Velſeros, Bœdecceros, Rehlingeros, Stettenos optamus, certi, non defuturos iis Hœſchelios.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

(*oo*) Collegere judicia de Hœſchelio TH. POPE-BLOVNT *in cenſ. celebr. auct. p. 900. ſeq.* MAGIRVS *eponym. crit. p. 450.* WENDLERVS *diſſ. laud. p. 48. 49.* quibus addi poſſunt ea, quæ *Hilaria ſcholaſtica* exhibent *p. 10.* Quibus adjiciatur BOECLER. *bibliograph. crit. p. 162.* IO. FABRICIVS *hiſt. bibl. ſuæ T. I. p. 319.* & quos laudat.

(*pp*) *loc. cit. p. 782.*

(*qq*) In *bibl. Græc. Vol. XIII. p. 532. conſ. Vol. IV. p. 475.*

meritis alibi ſatis liberalem (*rr*), quem tot officiis ſibi noſter devinxerat, *pædagogi & mediocris Græci* titulo eum oneraſſe (*ss*). Id quod tamen Hœſchelianis meritis non magis officit, quam alia iniqua judicia in viros magnos temere ab eo inter commenſalium licentiam jactata eorum laudibus obſunt. Nos teſtes in contrarium habemus non communem tantum eruditorum per ſesquiſeculum conſenſum, ſed & patrocinia a viris maximis & proceribus reipublicæ ſummis Hœſchelio non denegata (*tt*), amicitiam item virorum, quos ut in omni eruditione ſummos, ita in Græcis literis principes & ſua & noſtra ætas jure extulit (*uu*). Nec diffitebitur, quisquis literas Græcas pro-

(*rr*) Vid. *epiſtolæ Scaligeri in fronte & fine Photii*, *Chryſoſtomi*, *Procopii*, & paſſim in ſcriptis noſtri extantes, conf. *Epp. p.* 389.

(*ss*) Vid. *Scaligerana ſecunda p.* 112. bene tamen eſt, quod nec doctrinam, nec diligentiam ei deneget.

(*tt*) Hos ſupra magnam partem jam nominavimus. Ex exteris imprimis patroni Hœſchelii notandi ſunt Georgius Herwartus, cancellarius Bavaricus, Bonaventura Bœdeccerus, Io. Matthæus Wackerus a Wackenfels, Eq. conſil. aul. cæſ. imo inclitus quoque ſenatus Noricus. Falſum itaque eſt, Hœſchelium Auguſta ejectum fuiſſe, niſi eum tueretur Velſerus, quod nugatur Scaliger; alia omnia loquuntur hactenus adducta.

(*uu*) Inter eos primas tenet Maximus Margunius Cytherenſium epiſcopus, cui amiciſſima cum noſtro conſuetudo interceſſit. His proximus fuit Iſaacus Caſaubonus, qui magnum Hœſchelii amorem & verbis & officiis toties teſtatus eſt. Adjungo his Ioannem Livinejum, Andream Schottum, Ianum Gruterum, Georgium Remum, Conradum Rittershuſium, Thomam Segetum, quibus adjiciendi ſunt Græci Conſtantinus Lucaris, & Leontius Euſtratius, qui in epiſtolis ad Hœſchelium exaratis, quæ præfixæ ſunt *Chryſoſtomi orationibus contra Iudæos*, Græcam eruditionem ejus ita extollunt, ut non erubeſcant fateri, Græcas literas ex Græcia exulantes in Hœſchelio Auguſtæ domicilium eſſe nactas. Addendi his ſunt præter Ioſ. Scaligerum Iuſtus Lipſius, cujus amiciſſima epiſtola in not. *ad Phot. p.* 929. extat, Paulus Merula, & Bonav. Vulcanius, Ioannes item Meurſius: at quanti in Græcis, & in omni doctrinæ genere viri! Porro Tobias Adami, Fronto Ducæus, Ioannes Caſelius, Godofredus Iungermannus, Elias Putſchius, Iacobus Schegkius filius, Wolfgangus, Seberus, Ioannes Weizius, Henricus Wottonius, quorum ad Hæſchelium epiſtolas poſſidebat ὁ πάνυ VFFENBACHIVS.

propius novit, immortaliter Hœſchelium de illis meritum fuiſſe. Hujus etiam indefeſſæ diligentiæ tot producta in lucem ex carcerum & pulveris ſqualore debemus ſcripta veterum Græcorum; ejus accurato in arte critica judicio acceptæ referendæ ſunt tot emendationes feliciſſima Minerva in Græcis ſcriptoribus plurimis factæ: ejus amori in Græcas literas gratiæ referendæ ſunt, quod in annotationibus ſuis, *in quibus nihil ſuperflui eſſe* recte vir quidam doctus monuit (*x*), tot ἀποσπασμάτια ex codicibus manuſcr. nondum edita nobiſcum communicaverit. Ejus in conjectando merito miramur εὐστοχίαν & ἀγχίνοιαν, queis locis deſperatis ſæpe ſola ingenii felicitate & Græcæ linguæ uſu ac lectione adjutus medicinam attulit; & vaſtam ſimul jure deprædicamus lectionem, quæ per omnes veterum libros vagata παραλληλισμὸν veterum plerumque vel ad oram ſcriptorum vel in margine annotavit. Quæ ut ſatis evincunt, Hœſchelii merita in rem literariam, & præcipue Græcam, fuiſſe maxima, ita ad hanc noſtram ætatem noſtro partam ſtudio & eruditione laudem merito conſervarunt, & conſervabunt, quamdiu honos erit bonis literis.

§. VI. Sed ut plenam tandem fidem lectori faciam, meritis in Pelaſgam eruditionem fere neminem habuiſſe ſuperiorem ſibi Hœſchelium, enarranda jam doctiſſima ejus ſcripta ſunt, & ita luculenta demonſtratione evincendum, ſine adulatione egiſſe viros doctiſſimos, qui Hœſchelianam Muſam in cœlum laudibus evexerunt. Quo labore eo lubentius perfungor, quia Hœſchelianæ Græcorum ſcriptorum editiones pleræque raræ ſunt, nec ubivis inveniuntur, ut inſpici queant, qui vero eorum dedere indices, mancos plerunque exhibuerunt (*yy*). Sequar vero, quantum indagare licuit, annorum ordinem & ſeriem. ***Scripta***

Ora-

(*xx*) COLOMIES *bibl choiſ. p.* 493. *Op.* ed. Fabric.

(*yy*) Pleraque Hœſcheliana ſcripta in bibliotheca Auguſtana extantia indicantur in EL. EHINGERI *cat. bibl. Aug.* & ex eo in

1577.

Oratio Græca de humani generis lapſu ejuſdemque reſtitutione: recitata ſub initium anni 1577. publice in celeberrima ſchola Laugingana, auctore Davide Hœſchelio Auguſtano, Lauingæ 4. 2. pl. Dedicatio ad Matth. Welſerum, Chr. Paumgartnerum, ſeptemviros, Carolum Hoſium ſenatorem, ut ſpecimen ſtudiorum præcipue in Græcis literis alumnus ederet.

1587.

PHILONIS Iudæi opuſcula tria, 1. quare quorundam in ſacris literis mutata ſint nomina; 2. de formatione Evæ, ex Adami latere, & de utriusque lapſu; 3. Somniorum Ioſephi, Pharaonis, pincernæque ac piſtoris allegorica expoſitio, Græce nunc primum edita ſtudio & opera Davidis Hœſchelii A. M. ejusdemque notatiunculis alicubi illuſtrata, ex bibl. Aug. Francof. apud Io. Wechelum. 8. pl. 18. (zz).

In dedic. ad ſenatum Aug. Philonis eruditionem laudat, & cum Petro collocutum eſſe putat, totumque Philonem nitori ſuo reſtituere promittit. Textui in margine adjecit loca ſcripturæ, in calce notas, quibus partim, quæ ipſe auctor alibi traderet, vel eadem vel dilucidius, partim PP. teſtimonia nonnulla ex mſc. inſeruit, & errores quoque Philonis detexit. Nominat vero ſe tironem & in hanc arenam modo deſcendentem.

1587.

Ὁμιλίαι θεοφόρων τίνων πατέρων, *Homiliæ quædam ſacræ Baſilii M. Gregorii Nyſſeni, Nazianzeni, Ioan. Chryſoſtomi, Cyri Germani in præcipuas ferias: cum frag-*

ANT. REISERI *catal. libr. mſc. bibl. Aug. append. II* ſyllabum quoque ſcriptorum ejus contexuit *Spizelius l. c.* ſed imperfectum; omnium vero accuratiſſime de Hœſchelianis libris, qui Græcos auctores reſpiciunt, egit B. I. ALB. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. XIII. p. 532. ſeqq.*

(zz) Vid. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. III. p.* 109. propter emendationem quandam in notis allatam plagii noſtrum inſimulat *Petrus Faber* præcipitanter, notante IAC. THOMASIO *de plag. liter.* §. 497. *p.* 208.

fragmento Cyrilli Alexandrini: ſtudio & opera Davides Hæſchelii A. e libris calamo exaratis partim emendatiores, partim nunc primum editæ, cum ejusdem notatiunculis, rerum item ac verborum indice. Auguſtæ typis Mich. Mangeri. Cum Priv. Cæſ. 8. 1. alph. pl. 14. Et hanc collectionem ſenatui Aug. cujus codd. adjutus erat inſcripſit, plura integritati reſtituit. Diligenter hanc collectionem recenſet *Fabricius*, quem vide (*a*).

1588.

S. IOANNIS DAMASCENI Presbyteri Oratio Græco-Latina in transfigurationem Domini & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti ad mſc. codicis Auguſtani fidem emendata & integritati reſtituta. Acceſſit appendix complurium locorum Philonis, Baſilii M. Nazianzeni, Athenæi, & aliorum auctorum, qui partim corriguntur, partim redintegrantur, opera Davidis Hæſchelii A. M. Aug. typis Mich. Mangeri 8. pl. 9. Inſcripta Matthæo Welſero ædili & ſcholarchæ. Et hunc libellum enarrat *Fabricius* (*b*).

1589.

Γάμικα παραγγέλματα καὶ ἕτερ' ἄλλα ἔπη. *Præcepta conjugalia & alia quædam carmina in honorem nuptiarum Cl. & Doct. viri Dn. D. Georgii Laubii* (*c*), *medici Auguſtani* δευτερογαμοῦντος, *edita a Davide Hæſchelio Auguſtano M.* 4. pl. 3. Maluiſſe ſe, ait, verſus veterum in honorem nuptiarum excudendos curare, quam verſus ſcribere Muſis non afflatum. Sunt vero carmina iſta, Pſalmus 128. Græco metro expreſſus, conjugalia præcepta *Gregorii Nazianzeni* ad Olympiadem, Ej. carmen Iambicum de providentia, aliud Ejus de tolerantia, & de paupertate philoſophante & ſupplicationes ad Chriſtum.

1591.

(*a*) *loc. cit. Vol. XIII. p.* 534. *ſeqq.*
(*b*) *Ib. p.* 541. *ſeq.*
(*c*) Vide, quæ de hoc medico dixi in *proluſione ad hiſt. vitæ Adolphorum Occonum* §. XIII. *p.* 23. *ſeq.*

1591.

S. GREGORII epiſcopi Nyſſeni oratio de Filii & Spiritus S. Deitate, e codice mſc. reip. Auguſtanæ nitori atque integritati reſtituta, ſtudio & opera Davidis Hœſchelii 8. Aug. Vind. per Mich. Mangerum. pl. 2. Gr.

Inſcripſit Io. Georgio Hermanno, diſcipulo (*d*), ut teſtaretur, quanti ſuos faceret, ſibi in diſciplinam traditos. In fine additur catalogus operum Gregorii Nyſſeni, aſteriſcis notatis iis, quæ excudit Mich. Mangerus, indicatis quoque mſc. ubi inveniantur. Prodierat anteæ cum verſione *Ioach. Camerarii Lipſ. 1563. 8.* (*e*).

1591.

S. GREGORII NAZIANZENI theologi, arcana ſeu de principiis verſus CCCC XXCII: cum paraphraſi Græca: ejusdem carmen contra Apolloniarium.

Item de poëmatis a ſe editis, & quædam alia Græce nunc primum edita Lugd. Bat. 1591. 8. 1598. (*).

1592.

MAXIMI MARGVNII epiſcopi Cytherenſis poëmata aliquot ſacra, Græce nunc primum publicata ſtudio & opera Davidis Hœſchelii A. M. e bibl. reip. Aug. 1592. 8. ex off. Plant. pl. 2.

Quanta inter hunc Græcum epiſcopum (*f*) & Hœſchelium intercesſerit amicitia, frequentiſſimæ eorum teſtantur epiſtolæ, plerisque opuſculis Hœſchelii præmiſſæ: & huic quoque amicitiæ plura Græcorum

(*d*) Habebat is patrem Hieronymum, proavum Io. Georgium, Kaufbyranum, cujus amicitiam, teſte noſtro in dedic. magnus ille Deſ. Eraſmus, Olympia F. M. & alii docti coluerunt. Egit de hoc muſarum ſui temporis patrono literas, ex inſtituto cel. SCHELHORNIVS *amœn. hiſt. eccleſ. T. I. p. 700. ſeqq.*

(*e*) Conf. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. VIII. p. 157.*

(*) Conf. FABRIC. *l. c. Vol. XIII. p. 543.*

(*f*) De hoc epiſcopo Græco, ad cathedram Cytherorum in inſula Cypro 1574. evecto, qui antea Manuel dicebatur, ejusque ſcriptis videndus cel. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. X. p. 532. ſeqq.* qui cum carminum Maximi editionem Rittershuſii non notaverit, ex his ſupplendus eſt.

rum ſcripta debemus liberaliter a Maximo cum noſtro communicata. Hos hymnos Latinis verſibus expreſſit, & Græco-Latinos edidit *Conradus Rittershuſius* Græca epiſtola Hœſchelio inſcriptos. *Aug, 1601. 8.* pl. 9. apud. Io. Prætorium.

1593.

D. GREGORII NYSSENI opuſcula quinque I. de profeſſione chriſtiana: II. de perfectione, & qualem chriſtianum eſſe deceat; III. anagogica vitæ Moſis enarratio; IV. contra Apollinarium; V. de fide. Græce nunc primum edita ſtudio & opera Davidis Hœſchelii Aug. Lugd. Bat. ex off. plant. 8. pl. 12.

Inſcr. Wolfg. Palero & ultima duo G. Remo conſ. Nor. Vſus eſt autem codice Aug. & Margunii, cujus quatuor epiſtolæ Græcæ hic inſertæ ſunt. Adjecit & huic libello catalogum opp. Nyſſeni, quem inde recudi fecit *B. Fabricius* (*g*).

1593.

Nomenclator ſive index vocum trilinguis, in quem eæ fere dictiones ſecundum generum ſeriem conjectæ ſunt, quæ in præceptis grammaticæ occurrunt, indicata ſimul earundem declinatione. Aug. Vind. 8.

Dedicatus eſt Oeſterreicheris olim commenſalibus & patronis.

1594.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI archiepiſcopi Conſtantinopolitani oratio in diem natalem ſervatoris noſtri I. C. edita nunc primum ſtudio & opera Davidis Hœſchelii Auguſtani ex bibl. Aug. A. V. typis Mich. Mangeri 8. pl. 2.

Inſcripſit Ioachimo & Philippo Camerariis, non numero plures eſſe, quod innuit *Fabricius* (*h*) ſed unam titulus prodit & inſpectio.

1594.

ANDRONICI RHODII peripatetici philoſophi libellus περὶ πάθων, id eſt, de animi affectionibus, & Ano-

(*g*) *Bibl. Græc. Vol. XIII. p.* 538. *ſeqq.*
(*h*) *Bibl. Græc. Vol. VII. p.* 654.

Anonymus de virtutibus & vitiis, editi opera Dav. Hœſchelii Aug. Vind. typis M. Mangeri 1594. 8. pl. 3. Gr.

Inſcripſit Adolpho Occoni nepoti, Marco Windio, Georgio Laubio medicis Auguſtanis. Nactus eſt apographum à Margunio, & aliud Schotti a Frid. Sylburgio. Laudat iſtos medicos a Græcarum literarum eruditione. Præmiſſa eſt epiſtola Margunii. Verſionem Latinam paraphraſi Nicomacheorum Ariſtotelis adjunxit HEINSIVS (*i*).

1594.

GENNADIVS SCHOLARIVS Patr. CP. de prædeſtinatione primum editus Græce, 4. ad inſ. pinus, cujus forte primum ſpecimen eſt.

1595.

Catalogus Græcorum codicum, qui ſunt in bibliotheca reip. Auguſtanæ Vindelicorum, quadruplo, quam antea auctior. Aug. Vind. ad inſigne pinus cum privilegio cæſ. perpetuo. 4. (*k*).

Inſcriptus eſt Hier. Comelino; in ipſo catalogo accurate notata initia opuſculorum, & inſcriptiones, in margine indicata, quæ edita ſint, quove loco, editore, & typographo. Hunc catalogum paſſim laudari videas (*l*).

1595.

Hieroglyphica HORAPOLLINIS a Davide Hœſchelio fide codicis Auguſtani mſc. correcta, ſuppleta, illuſtrata Aug. Vind. ad inſigne pinus 4. 1. alph. pl. 5.

Inſcriptus M. Velſero, cujus typis edita ſunt. Verſio

(*i*) Conf. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. II. p.* 151. *Bœcler. bibliogr. cr. p.* 629.

(*k*) Recuſum eſſe 1605. CONRINGIVS *de bibl Aug. p.* 162. & LABBEVS *in bibl. bibliothecar. p.* 37. WENDLERVS *diſſ. cit. p.* 49. CAVE *hiſt. lit. ſcr. eccl. prol. fol. XXV.* aſſerunt, verum neminem novi, qui hanc editionem ſe vidiſſe profeſſus ſit, certe Auguſtanis ignoratur.

(*l*) Vid ANTON. POSSEVINVS *append. ad appar.* S. COLOMIES *bibl. choiſ. p.* 492. BAYLE *dict. l. c.* FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. XIII. p.* 533. *not.*

Verſio eſt Bernardini Trebatii, non vero Ioannis Merceri, uti in averſa titulo pagina dicitur. Merceri vero notas ſuis junxit Hœſchelius (*m*).

1595.

NICOLAI CABASILÆ oratio in fæneratores, Græce edita a Dav. Hœſchelio 4. (*n*).

Non tamen integra, codicem ſubminiſtravit Margunius.

1595.

Synopſis ſeptem SS. conciliorum œcumenicorum Græce, Aug. Vind. inſ. pin. 4.

1597.

LAMPRIAS de ſcriptis Plutarchi Chæronenſis, & Gr. & Lat. nunc primum editus A. V. ad inſigne pinus, exc. Io. Prætorius, 4. pl. 4.

Recudi fecit *B. Fabricius* (*o*) calamo exaratum ab Andr. Schotto acceperat Hœſchelius (*p*), & dicavit Fr. Raphelengio.

1597.

HERMETIS TRISMEGISTI jatromathematica ad Ammonem Ægyptium, a Dav. Hœſchelio Gr. & Lat. edita fide mſc. codicis emendata, ſuppleta cum notis Aug. Vindel. typis Mich. Mangeri, 8. pl. 4.

Ad calcem adjecta eſt Io. Stadii interpretatio liberior (*q*).

1597.

MATTHÆI CAMARIOTÆ συνοπτικὴ παράδοσις τῆς Ῥητορικῆς, *compendium rhetoricæ, editum cura D. Hœſchelii Aug. Vind. 1597. 4.*

Et hic Margunium opitulatorem habuit. Recudi fecit hanc ſynopſin ab Hœſchelio editam *Io. Scheffe-ferus*

(*m*) Conf. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. I. p. 51. Morhof. pol. T. I. p. 725.*

(*n*) *Idem Vol. V. ad Allatium de Nilis p. 74.*

(*o*) *Bibl. Græc. Vol. III. p. 333.*

(*p*) Hinc corrigendum apud *Fabricium l. c.* eum hunc catalogum neſcio e qua Italiæ bibliotheca accepiſſe.

(*q*) Vid. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. I. p. 59.*

ſerus Hamb. 1675. 8. de qua editione videndus *Fabricius* (*r*).

1599.

Appiani Illyrica Græce, ex cod. B. Aug. edidit Dav. Hæſchelius 4. (*s*).

1599.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI de ſacerdotio libri VI. Gr. & Lat. DCC. amplius locis emendati, aucti, illuſtrati ope librorum mſſ. ex bibliothecis Palatina & Auguſtana, opera D. Hæſchelii Aug. Vind. 1599. e Mangeri typographeo, ſed typis, ut ex collatione patet, ad inſigne pinus; quod tamen additum non eſt.

Inſcripſit Alb. a Stetten, ob ejus liberalitatem in ſuſtentandos ingenuarum artium ſtudioſos. Præfixa eſt epiſtola Margunii, & præmiſſa notis judicia veterum & recentiorum de Chryſoſtomo & Baſilio, quocum ille in his libris colloquitur (*t*).

1599.

S. MAXIMI martyris myſtagogia ex codd. mſc. reip. Aug. & Maximi Margunii Græce nunc primum edita cum interpretatione Latina. Ejusdem S. Maximi definitiones integritati reſtitutæ, opera D. Hæſchelii Aug. Aug. ex offic. typographica I. Prætorii 8. pl. 11.

Inſcripſit Græca epiſtola Margunio, a quo duæ epiſtolæ præfixæ ſunt, una ad noſtrum, altera ad antiquitatis ſacræ ſtudioſos. Notulæ paucæ ſunt. Latina verſio *Gentiani Herveti* eſt (*u*) typi inſignis pinus adhibiti.

1599.

S. GREGORII Nazianzeni definitiones rerum ſimplices, Græce primum ex Aug. bibl. editæ a Davide Hæſchelio, cum ejusdem notis & Latina verſione Io.

(*r*) *Idem l. c. Vol. IV. p.* 475.
(*s*) *Idem Vol. III. p.* 396.
(*t*) Vid. FABRICIVS *l. c. Vol. VII. p.* 651.
(*u*) FABRICIVS *Vol. VIII. p.* 732. 740.

Io. Leunclavii V. C. nunc recuſæ. Ex officina Mich. Mangeri 8. pl. 2. Græci typi Velſeriani videntur eſſe.

Inſcripſit Petro Steurnagelio & Io. Stirzelio: additæ *anonymi definitiones*, itemque *Maximi Martyris* (*x*).

1600.

Geographica Marciani Heracleotæ, Scylacis Caryandenſis, Artemidori Epheſii, Dicæarchi Meſſenii, Iſidori Characeni, omnia nunc primum, præter Dicæarchi illa, a Dav. Hæſchelio Aug. ex mſc. codd. edita A. V. ad inſigne pinus pl. 13.

Dedicavit Io. Georgio Herwarto ab Hohenburg, conſ. Bav. intimo & ſtatuum Bavariæ cancellario, qui codicem ei tradiderat conferendum cum apographo Velſeriano. Præmiſſa eſt Iſ. Caſauboni epiſtola ad Hœſchelium, & ſuffixum ſchediaſma *H. Stephani de Dicæarchi opere geographico* (*y*).

1601.

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΤΟΥ ΦΩΤΙΟΥ *librorum, quos legit PHOTIVS patriarcha excerpta & cenſuræ, quatuor mſc. codicibus ex Græcia, Germania, Italia, Gallia collatis. David Hæſchelius Auguſtanus primus edidit, notas, in quibus multa veterum fragmenta antehac inedita illuſtravit. Aug. Vind. ad inſigne pinus. fol.* alph. 8. pl. 6.

Inſcripſit duumviris Auguſtanis Quir. Rehlingero, Marco Velſero, annotationes vero Bonav. Boedeccero, qui ſumtus exhibuit. Quanta laude elegantiſſima hæc editio, quam typorum nitore, chartæ munditie & toto habitu magnifico paucæ ſuperant, excepta ſit, epiſtolæ Caſauboni, Scaligeri, Lipſii inſertæ, & præfixa elogia virorum doctiſſimorum loquuntur (*z*). Acceſſere etiam epiſtolæ Photianæ. De ipſo opere & hac editione videndus *Mart. Hanckius*

(*x*) Anonymi definitiones repetiit, multasque ſimiles collegit FABRICIVS *l. c. Vol. XIII. p.* 544. *ſeqq.*

(*y*) Vid. FABRICIVS *Vol. III. p.* 33.

(*z*) Conf. DAN. HEINSIVS *in præf. Ariſtarchi.*

kius (*aa*) & *I. A. Fabricius.* In notis emendationes quoque Scaligeri & Caſauboni inſertæ, ad quos folia miſerat excuſa.

1601.

PHRYNICHI epitome, cum Petri Io. Nunneſii verſione & notis D. H. Aug. Vind.

1602.

ADRIANI Iſagoge in ſcripturam S. primus ex cod. mſc. Græce vulgavit David Hæſchelius Aug. Vind. 1602. 4. adjecta ſunt argumenta duodecim prophetarum, quæ Heſychium Hieroſolymitanum auctorem habent (*bb*).

1602.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI contra Iudæos homiliæ VI. Græce nunc primum III. mſs. codd. Palatino, Auguſtano & Cyprio inter ſe collatis, Latine partim modo, partim emendatiores ac integriores, quam ante editæ opera Dav. Hæſchelii Aug. Auguſtæ e typogr. Io. Prætorii 8. præmiſſæ epiſtolæ Margunii, Conſtantini Lucani, Leontii Euſtrathii, Ioſephi Scaligeri. In fine additur *Iſidori Peluſiotæ epiſtola de abolita Iudæorum politia* (*cc*). Typi Welſerianos referunt. Dedic. Erhardis fratribus.

1603.

Eclogæ legationum Dexippi Athenienſis, Eunapii Sardiani, Petri Patricii & Magiſtri, Priſci Sophiſtæ, Malchi Philadelphenſis, Menandri Protectoris, cum corollario excerptorum e libris Diodori Siculi amiſſis. Omnia e MS. cod. a Davide Hæſchelio Auguſtano edita, Aug. Vind. typis Io. Prætorii ad inſigne pinus 4.

Inſcripſit egregium opus Io. Matth. Wackero a Wackenfels, Eq. S. C. M. conſ. aul. debetur hæc editio liberalitati M. Welſeri. Quo beneficio iſte conſi-

(*aa*) *De ſcript rer. Byzantin. p.* 395.
(*) FABRIC. *bibl. Græc. Vol. IV. p.* 521.
(*bb*) Vid. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. IX. p.* 381. 382. B. BVDDEVS *Iſag. in hiſt. theol. lit. p.* 1429.
(*cc*) FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. VII. p.* 651.

conſiliarius imperatoris noſtrum in reip. literariæ commodum ornarit, uti in dedicatione fatetur, incertum. Ex quibus codicibus iſta hauſerit peculiari pagina indicavit, & veterum judicia præfixit, annotationes vero nullas adjecit (*dd*).

1603.

Ad Phrynichum & ejus interpretem viri illuſtris notæ Aug. Vind. 4.

1604.

Eccleſiaſticus, recenſitus ad vetuſtiſſimas membranas bibl. Aug. & quatuordecim præterea exemplaria tum mſc. codd. Palatinos tum varios editos, addita verſione vulgata Latina ex editione Romana & notis ſuis editus a Davide Hœſchelio Aug. Vind. 1604. 8. Inſerta eſt hæc editio Græca notæque *criticis ſacris Anglicanis* (*ee*).

1605.

ORIGENIS contra Celſum libri VIII. & Gregorii Neocæſar. Thaumaturgi panegyricus in Origenem, a Davide Hœſchelio ex bibliothecis elect. Pal. Boja & Aug. Græce & Latine nunc primum editi. Acceſſere notæ & indices. Aug. Vind. ad inſigne pinus. 4. imprimebat Dav. Franck. alph. 5. pl. 11.

Inſcriptus liber Carolo Rehlingero, Dn. in Burckwalden, ſcholarchæ, cujus liberalitate typis vulgatus eſt. Interpretatio eſt *Sigismundi Gelenii*, paſſim tamen correcta: in margine variantes lectiones & loca veterum adjecta, in notis *ἀποσπασμάτια* veterum, imprimis Origenis ex Philocalia inſerta: additæ quoque in fine breves notæ *Laurentii Rhodomanni* (*ff*).

1607.

PROCOPII Cæſarienſis hiſtoriarum libri VIII. nunc primum Græce editi, acceſſit liber de ædificiis Iuſtiniani, fere duplo quam ante auctior, Aug. Vind.

 fol.

(*dd*) FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. VI. p.* 230. 491.

(*ee*) Vid. IO. FABRICIVS *hiſt. bibl. ſuæ T. I. p.* 278. *Le Long bibl. ſacr. P. I. p* 440. IO. FRID. MAYER *bibliotb. bibl diſſ. ult.*

(*ff*) Conf. FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. V. p.* 219.

fol. alph. 4. pl. 18. Editus e codd. Bojo, Scaligeri & Caſauboni: ſumtus libro typis Vellerianis edito ſubminiſtrarunt Io. Georg. Oeſterreicher, Io. Knebher, Wolfgangus Emekofer. Inſcriptus eſt duumviris reip. Norimbergenſis (*gg*).

Dictionarium Latino-Græcum, ſive ſynonyma D. Mart. Rulandi, acceſſit nova ſynonymorum Latino Græcorum appendix Aug. Vind. 1607. 1612. 8.

1610.

Alexiados libri VIII. ab ANNA COMNENA de rebus a patre geſtis ſcripti, nunc primum a Davide Hæſchelio A. ex Aug. reip. bibliotheca editi, Aug. Vind. ad inſigne pinus 4. alph. 1. pl. 1. Dicavit duumviris Auguſtanis M. Velſero, Io. Iac. Remboldo. Laceræ tamen hæ reliquiæ & male paſſim habitæ, quod in monitione præfixa indicat, & Latinorum de Annæ fide judicia adjungit (*hh*).

1611.

S. *ATHANASII vita* S. *Antonii Eremitæ, e codice Boico nunc primum edita, cum Davidis Hæſchelii Auguſtani interpretatione ac notis Aug. Vind. ad inſigne pinus imprimebat David. Franck* 4. pl. 21. (*ii*).

Inſcriptus libellus Græca epiſtola Antonio Velſero.

1614.

PHILO περὶ τῆς ἑβδόμης *de numero ſeptenario, Græce editus a Dav. Hæſchelio;* A. Vind. 4. adjecta fragmenta duo libri ejusdem *de providentia;* deinde *Nicetæ de ſeptem mundi admirandis,* denique locus *Hippocratis de ſeptem gradibus vitæ humanæ,* & *Gregorii Nyſſeni ex ſermone de Pentecoſte de numero ſeptenario* (*kk*). 1624.

(*gg*) *Idem Vol. VI. p.* 251. ubi excerepta ex epiſtola noſtri ad Iungermannum notanda.

(*hh*) Vid. HANCK. *de ſcript. rer. Byzantin. P. I. p.* 512. BOECLER. *bibliogr. crit. p.* 311. & præcipue FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. VI. p.* 391.

(*ii*) *Idem bibl. Græc. Vol. V. p.* 302. Ingolſtadii editam male, ut in aliis quoque, *Spizelius l. c.* aſſerit.

(*kk*) FABRICIVS *bibl. Græc. Vol. XIII. p.* 302.

1624.

Poſt fata prodiere:

P. TERENTII Afri comœdiæ ſex, Germanico-Latinæ, terſiſſimis verſionibus cll. & doct. pp. mm. virorum Matthiæ Schenckii & Dav. Hœſchelii ſcholæ Annæanæ olim primariorum, opera & ſumtibus Bern. Heupoldi, ſcholæ ejusdem præceptoris foras datæ, 8. 1. alph. pl. 29.

Indignus tantis nominibus fœtus, ſine dubio ex dictatis eorum diſcipulis olim oblatis conſarcinatus.

§. VII. His potiſſimum laboribus ingeniique ad optimam eruditionem nati & formati fœtibus Hœſchelius immortalem ſibi nominis gloriam peperit. Plura enim de eo mihi non conſtant (*ll*), etſi triennium adhuc ſupervixit, ſed cum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto finem ſcribendo impoſuiſſe *Peroratio.*

 vide-

(*ll*) *Homilias ſeptem Chryſoſtomi contra Eunomianos* cum interpretatione Eraſmi emendata ſe publicaturum, ſexque alias cum duobus mſc. collatas recudendas curaturum Hœſchelius *ad oram catal. mſc. bibl. Aug.* notavit. Nihil tamen earum editum eſſe reperi, nec notavit diligentiſſimus FABRICIVS, qui *bibl Græc. Vol. VII. p.* 654. homiliarum editiones recenſet. Ideo factum eſſe conjicio, quod circa illa ipſa Hœſchelii tempora & Fronto Ducæus Pariſiis, & Henricus Savilius in Anglia in edendo Chryſoſtomo induſtriam ponebant, qui etiam eas expreſſerunt, vid. CAS. OVDINVS *de ſcript eccl. T. I. p. 702. ſeq.* Plutarchum quidem ab Hœſchelio editum eſſe, perſonatus CLARMVNDVS in *biographiis vernacula editis P. V. p.* 22. aſſerit, verum is ſine dubio Lampriam de ſcriptis Plutarchi patris cum Plutarcho confudit. Ceterum in manibus eruditorum varia mſc. a Hœſchelio delitescunt. E.g. in *bibliotheca Bodlejana Oxonienſi in apotheca Caſauboniana P. V.* occurrit *Davidis Hœſchelii de cœna domini.* vid. *cat. libr. mſc. Angliæ & Hiberniæ Oxon.* 1697. *fol.* editus *T. I. P. I. p.* 265. *n.* 67. conf. CASAVB. *Epp. p.* 664. ad H. Stephanum ſe quasdam obſervationes in Thucydidem miſiſſe ipſe notat in *annot. in Damaſceni or. de transfig. Chriſti.* Annotationes quoque Hœſchelii *ad Stephanum* mſc. extare in bibliotheca Argentoratenſi refert BOECLERVS *bibl. crit. c. V. p.* 162. In *catal. bibl. Bodlejanæ, quem* TH. HYDE debemus *P. I. f.* 341. memorantur Hœſchelii *notæ ad Greg. Nazianz. definitiones rerum ſimplices Heidelb.* 1591. 8. quas non vidi. Teſte eodem catalogo *Ignatii Scaphophylacis magnæ eccleſiæ alphabetum morale, ſynonymis Græcis Rulandi* addidit, quod tamen in

videtur, quo anno Muſæ, imprimis Auguſtinæ, mortale vulnus per mortem Marci Velſeri acceperunt. Tum enim typographeum Velſerianum, ex quo ab anno 1595. optimos auctores edidit noſter, finem habuiſſe probabile eſt, rebus domeſticis magni viri poſt ejus funera nonnihil impeditis.' Verum & tempus relinquendum erat Hœſchelio ad æternitatem meditandam & colligendas tanto itineri ſarcinulas, ejus interim nomine atque honore & laudibus ſemper manſuris. Qui cum te, venerande SOCER, ſucceſſorem nactus ſit, qui veſtigia Hœſchelii de gymnaſio & bibliotheca inſigniter merendo premis, reviviſcit in tua imagine, & ominantur mecum, quotquot te amant, teque norunt, tibi æternam nominis gloriam. Scrib. Kaufb. Cal. April. A. S. R. M.DCC.XXXVIII.

Ἐπίμετρον. DVm vero finem impono huic diſſertationi, commode in manus incidunt MARQVARDI GVDII & CLAVDII SARRAVII *epiſtolæ*, quibus junctæ ſunt aliæ virorum doctorum, editæ a C. V. PETRO BVRMANNO. In elegantiſſimæ enim hujus collectionis *Tom. I. p. 187. ſeqq.* occurrunt quatuor epiſtolæ *Davidis Hœſchelii* ad *Ioannem Kirchmannum*, & una ad *Ioannem Meurſium*, omnes luculenti teſtes & voluntatis noſtri erga viros doctos, & exacti in rebus ad criticam artem ſpectantibus judicii. Ex his epiſtolis, quæ hactenus dicta illuſtrant & confirmant hæc potiſſimum notanda & ſuis locis inſerenda exiſtimo: Ep. CII. Hieroglyphica, & indicem mſc. deberi æri Velſeriano; non fuiſſe noſtrum poëtam & tamen non inelegans epigramma Græcum condidiſſe, cujus paſſim exempla occurrunt, unde inter poëtas Græcos locum ei fecit LAVR. CRASSVS, præter meritum eum omiſit LIZELIVS. Ep. CIV. bibliothecam Photii

noſtra editione non comparet. *Caſtigationes* quoque & *variantes lectiones in homilias S. Chryſoſtomi in Geneſin & ep. ad Romanos ex mſc. Aug.* ab Hœſchelio collectas, ſuffixit SAVILIVS *Tomo VIII. Chryſoſt. p. 971.*

Photii Latine ad inſigne pinus impreſſam eſſe ſumtu Velſeriano; ep. CVI. Andronici tam pauca exemplaria eſſe impreſſa, ut haud ſciat, ullane Francofurtum venerint. Imprimis vero promiſſa & affecta Hœſchelio notanda ſunt, quæ tamen nunquam lucem viderunt, morte & magnum ejus patronum Velſerum & paulo poſt illum ipſum quoque vivis eripiente. Scribit enim Kirchmanno, ſe inſudare *Porphyrio* περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων itemque *Gnomicis ſcriptoribus* cum tribus codd. mſc. collatis, quod & *B. Fabricius bibl. Græc. Vol. I. p. 436.* monuit; imprimis vero *totum ſe eſſe in recognoſcendis Epicteteis, enchiridio, Simplicio, Ariano, inde ad Cyrilli adverſus Iulianum Apoſtatam libros acceſſurus.* De quo Epicteteo labore etiam *ad Iungermannum 1608.* (quadriennio priusquam ad Kirchmannum iſta 1612.) ſcripſerat: *Animus erat dare Epictetea, enchiridio cum tribus mſſ. codicibus, Simplicio cum duobus collatis, emendata hinc inde ab ipſomet Wolfio, interpretatione notisque auctioribus. Sed idem cogitare Heinſium ex D. Bongarſii literis intellexi, ut jam totus hæream, exſpecto tamen reſponſum, ſi dignabitur dare, illuſtris Scaligeri*, conf. *Fabricius bibl. Græc. Vol. III. pag. 267.* Quando vero Hœſchelius ad Ioannem Meurſium *l. c. p. 190. Ep. CVI.* ſcribit: *Herodis inſcriptionem abs te verſam habeo e tuo autographo, atque ut Caſaubonus noſter edidit, unde minus de Gloſſarienſi* (lege Goſslarienſi 1608. 4. & confer *Io. Fabricium hiſt. bibl. ſuæ T. V. p. 223.*) *laborabam editione, ad quam negabant, quicquam acceſſiſſe, neque ullum ejus exemplum venale proſtat*, ſcire lectorem velim, hanc ipſam Caſauboni editionem Hœſchelio transmiſſam cum verſione αὐτογράφῳ mſc. Meurſii & emendationibus noſtri, quas in hac epiſtola cum Meurſio communicavit, tineis & ſqualori ereptam in manus meas feliciter incidiſſe, & cum celeberrimo operum *Meurſii* editore *Io. Lamio* eam anxie quærente fuiſſe communica-

nicatam, qui eam operibus Meurſianis inſeret, illud ipſum vero *κειμήλιον* poſtea a me, ne priſtina fata experiatur, bibliothecæ Auguſtanæ illatum eſſe. Ceterum & epiſtolam Hœſchelii ad *Ioach. Camerarium* Norimbergenſem archiatrum legere licet in TH. CRENII *animad. philolog. & hiſtoricis P. VI. c. 3. ſ. 2. p. 184.* teſtem benevolentiæ Hœſchelianæ erga viros doctos, ubi etiam indictum aliis CASP. SCIOPPII *in arte critica p. 19.* judicium de Hœſchelio expreſſum eſt, teſtantis, eum abiturientes ex Germania Græcas literas reprehendiſſe.

OBSERVATIO XI.

Diſſertatio epiſtolica de manuſcripto quodam, quod GEORGIVS REMVS, Patric. Aug. incl. reip. Norimberg. conſiliar. & academiæ Altdorfinæ procancellarius, Sub titulo: Η ΑΡΙΣΤΟΠΟΛΙΤΕΙΑ, *Exegematis in quatuor regum libros explicatæ* Quondam conſcripſit, & in tenebris hactenus delituit, ad SIGISMVNDVM IACOBVM APINVM profeſſorem Norimbergenſem (*).

Vir ampliſſime atque doctiſſime!

Ex quo te noſſe, tuisque literis recreari felicit mihi contigit, antiquius cariusque habui nihi quam ut promtiſſimam voluntatem, & obſ vantiſſimum, quantum quidem poſſem, tibi dec rar

(*) Vidit hæc ſcriptiuncula lucem Auguſtæ Vindelicoru 1724. 4.

rarem animum. Quæ quoque cauſſa mihi extitit, ut deſiderio tuo facturus ſatis pauca quædam *de manuſcripto Remiano hactenus deliteſcente* ad illuſtrandam illuſtris REMI literariam hiſtoriam ad te perſcriberem. Neque memoria excidit, quod tum temporis in me recepi, daturum me ampliorem aliquantum & accuratiorem de eo manuſcripto notitiam, quod licet a me multo rerum tumultu impedito hactenus fieri non potuerit, præſenti tamen ſcriptione explebitur, ut & data exſolvatur fides, & labor tanti viri, ejus meritis & eruditioni admodum reſpondens, in apricum prodeat, ejusque hiſtoria, cui in doctiſſimis *procancellariorum academiæ Altdorfinæ vitis* egregiam accendiſti lucem, quantum poteſt, ſuppleatur.

Etſi vero illuſtris REMVS noſter, immo & veſter, quem ſcilicet multis beneficiis munerumque dignitatibus ſuum fecit incluti ſenatus Norimbergenſis liberalitas, in jurisprudentiæ caſtris locum obtinuit ſua eruditione digniſſimum, more tamen plurium jureconſultorum (*) ex quibus non ita pridem viros magnos, CASPARVM ZIEGLERVM, & AHASVERVM FRITSCHIVM orbis eruditus ſuſpexit, in theologiæ quoque, imprimis ſacrarum literarum, ſtudium indefeſſus incubuit, cujus ſi non aliud extaret ſpecimen, ſola *ſpicilegia*, quæ *in Salomonis proverbia* & *eccleſiaſten* vir celeberrimus conſcripſit ediditque, luculento ſatis eſſent teſtimonio. Et eodem pietatis inſtinctu, ejusque propagandæ cupiditate inductus REMVS præſentem quoque, de quo ſermonem inſtituere cœpi, laborem politico-theologicum in ſe ſuſcepit, & ex utroque Samuelis libro & contenta ibi Iudaici regni hiſtoria prudentiæ practicæ, & formandorum cum principis tum civis morum præcepta feliciſſimo famæque ſuæ prorſus reſpondenti modo eruit, ut dolendum ſit admodum, laborem eum genuinam pieta-

(*) Quorum complura exempla affert ipſe REMVS, præfat. ad ſpicil. in παροιμ. Salomonis.

pietatem & haud levem eruditionem ſpirantem per annos centum & triginta delituiſſe.

Plenus titulus, ut eum ipſe REMVS in ἀυτογράφῳ, quod una cum ἀπογράφῳ ad manus eſt, formaverat, hac facie ſe oſtendit:

Η ΑΡΙΣΤΟΠΟΛΙΤΕΙΑ,

Sive

De optimo reipublicæ ſtatu tam ad principem quam civem bonum informandum

διδασκαλίαι,

Exegematis in quatuor Regum libros explicatæ;

Auctore GEORGIO REMO Auguſtano.

Pſalm. 2. v. 10. 11. & 12.

Καὶ νῦν βασιλεῖς σύνετε, παιδεύθητε τε πάντες οἱ κρίνοντες τὴν γῆν. Δουλεύσατε τῷ Κυρίῳ ἐν φόβῳ, καὶ ἀγαλλιᾶσθε αὐτῷ ἐν τρόμῳ. Δράξασθε παιδείας. Conſimile extat lib. Sapientiæ c. 6.

AD GLORIAM DOMINI DEI,

Ædificationem eccleſiæ, & reipubl. in tranquillo ſtatu converſationem.

POſt titulum ſequitur dedicatio, quæ præfationis quoque vicem ſuſtinet, & illuſtri heroi, ut titulus habet, Dn. Guilielmo, Widæ comiti, Roncaliæ & Iſenbergæ domino, cui tum temporis, anno ſcilicet 1593. quo hæc ſcripſerat, a conſiliis fuit, inſcripta eſt. In ea multa verborum & ſententiarum gravitate, deplorata humanarum ſcientiarum imperfectione, obſcuritate atque vanitate, quam teſtimoniis ſapientiſſimorum virorum omni exceptione majoribus luculenter confirmat, neceſſitatem ſcrutandi ſcripturas demonſtrat, cauſſamque indicat, quæ ipſum impu-

impulerit, ut majori ſtudio divina oracula tractaret & expenderet: *illectum* ſcilicet *ſe ſcripturæ encomio* divi Pauli 1. Tim. III. 16. *ac tractatione ipſa ſacrorum librorum pertractum ad ulteriorem altioremque indaginem, cœpiſſe paulum remotis ex oculis philoſophorum & aliorum ciſternis* ἀνύδροις, *aut non niſi turbidam ac limoſam præbentibus lympham, ad veram ſapientiam anhelare, & vivum perennemque fontem aquæ in vitam æternam ſcaturientis ſitire*: quæ poſtea pluribus exequitur, & rationem exponit, cur iſtos potiſſimum libros ſelegerit, nempe quoniam tentare voluerit, *an ad civilem vocatus vitam, & a comite ante quadriennium*, anno ſcilicet 1589. *in partem conſiliorum & gubernaculi admiſſus, ſi non lauti nec nimis perſpicacis, candidi tamen & aperti quid in illuſtrando meditationibus illo libro poſſit.* Tum in laudes horum librorum excurrit, veraque politices ſænæ & utilioris fundamenta ibi inveniri demonſtrat, nec ſe in inexhauſto divinæ ſapientiæ ſacrarumque literarum oceano poſt multos alios fruſtra laboraviſſe affirmat, idque maxime monet: *tota in hac ſcriptione ſuo ſe navigaſſe vento & remigio, ſibi ceciniſſe, ſibi ſaltaſſe, ſic tamen affectum eſſe, ut ſi labor ſuus prodeſſe queat aliis, non vetare, quo minus e bonis meliores fiant, ſtet animo.* Reliqua ad ipſum comitem directa ejus & eccleſiarum Widanarum laudes continent. Et hæc quidem de dedicatione, quæ & præfationis locum occupat; ex qua id præcipue notandum videtur, primum hunc viri optimi laborem biblicum fuiſſe, cum clare aſſerat, ipſi ad ſacrorum librorum ſtudium primum divinitus inflammato hoſce libros ante alios divina virgula fuiſſe oſtenſos, licet dubium moveat, quod mox in limine ad 1. Sam. I. 5. de ἀτεκνίᾳ verba faciens, ſcribat: *Qua de re etiam ad c. I. Lucæ v. 7. dixi;* niſi hæc de extemporaneis cogitationibus & annotationibus in juſtam libri formam, quod fere conjicio, nondum redactis ſint intelligenda.

Quod

Quod ad ipſam tractationem attinet, ex titulo rubroque, quod ajunt, cum nigro accurate conveniente, qualis illa ſit, facile fieri poteſt judicium. Primarium enim finem ſcopumque hunc ſibi auctor propoſuit, ut veræ & Chriſtianæ prudentiæ fundamenta poneret, artes regendarum rerum publicarum indicaret, quæ principi, quæ civi ad formandum & ſervandum optimum reipublicæ ſtatum ſuſcipienda vitandave ſint, exponeret, & exemplis in iſtis Regum libris enarratis practica ratione, quæ DEI circa populos viæ, quæque hominum tum piorum tum impiorum, totarumque rerumpublicarum & ſociatatum fata ſint, oſtenderet. In hoc ſtadio abſolvendo totus eſt, & quemadmodum ingenio, ſtudiis uſuque erat præſtantiſſimus, ita egregia prorſus veramque pietatem ſpirantia præcepta gravi oratione ubique propoſuit, ut nullus dubitem aſſerere, vel ex hoc ſolo labore ingenii illam vim judiciique practici & politici (ne quid in præſentia de cognitione & accuratione theologica dicam) excellentiam, quæ eum illuſtri ſenatui Norimbergenſi aliisque principibus viris commendavit, & ad publica conſilia admovit, aperte deprehendi, vivisque coloribus exhiberi. Cujus aſſerti fidem ut vel unico exemplo faciam, afferre libet quæ 2. Sam. XVII. v. 5. habet, ibi enim, poſtquam eleganti ſſime in antecedentibus Achitophelis contra exulem Davidem conſilia detexerat, ad verba: *vocate*, &c. ita diſſerit: *Bonum & ſalutare eſt, in rebus arduis plurium audire vota ſeu ſententias, voces. In multitudine conſilii ſalus conſiſtit populi: Quod in ſenatu Romæ religioſe obſervatum. In damnatione Catilinianorum duæ erant ſententiæ (ait M. Tullius quarta Catilinar.) una Decii Silani, qui cenſebat, eos morte eſſe mulctandos; altera Caji Cæſaris, qui mortis pœnam removebat, cæterorum ſuppliciorum acerbitates omnes amplectebatur, municipibus diſpertiri jubet, adjungit gravem pœnam municipibus, ſi quis eorum vincula ruperit: horribiles cuſtodias circumdat.* Hæc Cicero.

Qua-

Quatuor oculos præ duobus videre amplius, certum eſt, non tam, quia adagio jactatur, quam experientia quotidiana confirmatur dictum. Et cum audit princeps pro conſilio diverſorum diverſas ſententias, utrasque ſuis rationibus ſubnixas, neceſſarium ei donum τῆς διακρίσεως eſt, quod a Deo aſſiduis petat precibus. Neque tamen omittat legere hiſtorias, diſcutere ſcriptores politicos, conferre cum peritioribus, & eventus priorum temporum diſcere, quibus conſiliis majores uſi ſint, ut habitum judicandi acquirat. Nam cum nihil novi ſub ſole fiat, ſed, quod prius factum, mutatis perſonis quotidie iterum accidat, Eccleſ. c. I. ideo ex præteritis de futuris pronuntiare poterit. Minime omnium feſtinet ad judicandum, niſi re bene perpenſa: nam injuſtitiæ noverca eſt feſtinatio in judiciis conſiliisque: verior meliorque ſententia, ubi res ventilabitur, diſputatione modeſta tandem emerget, fuci autem & falſæ ἀντιλογίαι evaneſcent, & apparebit non raro, majorem partem ſequiorem defendiſſe ſententiam. Cognitiſſimas habeat hiſtorias veteres princeps, & ex iis eruat, quæ ſuis hominibus, temporibus, locis accommodet. Verum ad Abſcholomum quod attinet, dicam cum Ammiano Marcellino l. XIV. ſolent manum injectantibus fatis ſenſus hominum hebetari & obtundi, ut prorſus tendant ire de fumo in flammam. Dominus trahere voluit Abſcholomum in exitium, ideo ademit ei mentem, ut ſequeretur malum Achitophelis conſilium de comprimendis concubinis patris: omitteret conſilium bonum, de corroborando ſtatu ſuo, deprehenſo nimirum patre. Ita fit, ut qui perire velit, aſpernetur conſilia amicorum, nocitura ſequatur. A veritate, ait philoſophus, parvus factus diſceſſus progreſſu fit maximus.

Non tamen ita ſibi temperavit auctor celeberrimus, ut ab omni ſcriptorum profanorum allegatione abſtineret, &, quæ prolixiſſima optimorum librorum lectione collegerat & notaverat, non ubertim haud raro afferret. Facile hoc iterum pluribus exem-

plis

plis probari poſſet, niſi epiſtolæ limites excederet. Vno tamen reliquorum dare ſpecimen quid vetat? Eſt illud ad 2. Sam. XVIII. v. 16. ubi ad verba: *receptui cecinit Ioab, parcere volens multitudini*, poſt alia, his verbis: *A moderatis principibus ſolet de induſtria fieri, ut ſedatis ſeditionibus auctores ad ſupplicia commerita rapiantur, deceptæ parcatur multitudini. Iuſtinus ex Trogo l. XIII. Perdicca, inquit, offenſus ſeditionis auctori, repente luſtrationem caſtrorum propter mortem Alexandri indicit. Poſtquam armatum exercitum in campo conſtituit, conſentientibus univerſis evocatos duntaxat de ſingulis manipulis ſeditioſos tradi occulte jubet, &c. Tit. Livius, gravis ſcriptor libr. XXVIII. hiſt. ab V. C. per eosdem, ait, dies concilium de ſeditioſis Carthagine erat, certabaturque ſententiis, utrum in auctores tantum ſeditionis animadverteretur, an plurium ſupplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quam ſeditio eſſet. Vicit ſententia lenior, ut, unde orta culpa eſſet, ibi pœna conſiſteret: ad multitudinem caſtigationem ſatis eſſe. Idem Livius pag. ſeq. 218.* (uſus autem eſt REMVS edit. Manutiana, quæ Patavii 1583. cum notis SIGONII prodiit, ut ex inſcriptione nominis ejus in limine, multisque notis, quas manu ſua margini allevit in illo ipſo exemplari, quod ad manus meas quoque pervenit, patet) *verba ſunt Scipionis ad exercitum: Quod ad vos univerſos attinet, ſi erroris pœnitet, ſatis ſuperque pœnarum habeo. Albius Calenus & Atrius Vmber & ceteri nefariæ ſeditionis auctores ſanguine luent, quod admiſerunt. Appianus de bello Hiſpan. p. 923. refert: Scipionem milites ſeditioſos, cum ſeſe præſidio ante muniſſet, multitudine remota, alioque deducta, in medium produci juſſiſſe ac confodi; nonnullos ad palos vinctos virgis cædi, moxque ſecuri percuti imperaſſe, reliquæ vero multitudini veniam a ſe dari per præconem ſignificari juſſiſſe. Hæc iſti. De ſedatis porro ſeditionibus lege ſis Valer. Max. l. IX. c. 7. Denique argumentum (ne hoc ſilentio involvam) hocce ſi pluribus explicatum*

catum cupis, evolve Themiſti λόγον περὶ ἠτυχηκότων, *& alteram* περὶ εἰρήνης *orationem: dejero, nihil ad propoſitum pulchrius inventurum quenquam: iisque adjunges Ariſtotelem in Polit. l. V. c. 2. 3. 4. & 5. Facit quoque ad ſuperiora oratio Diodoti apud Thucydidem l. III. p. 288. editionis Witteberg. &c.*

Facile jam ex ſpeciminibus hiſce, prout manibus oculisque ſe offerebant, lectis, judicium eſt, quid de toto opere ſentiendum ſit, qualisque leo ex hoc ungue ſit cognoſcendus. Vbique enim ſibi ſimilis eſt, nec remiſſius quicquam affert, ſed ſolidam induſtriam & æquale in omnibus judicium ſpirat: unde, quid de eo promittendum ſit, quilibet facile deprehendit.

Rebus ita intentus in commentationibus hiſce REMVS, verba tamen non negligit, ſed accurate potius ad ea attendit. Hinc videas ubique verſionem vulgatam cum aliis conferri, illamque examinari, media hermeneutica adhiberi, ſenſum obſcurum illuſtrari, harmoniam erui, &, quæ ſibi contradicere videntur, conciliari, quæque ab interprete requiruntur alia. Præcipue vero Græcam verſionem ejusque parallelismum diligenter contulit, ſic ut ſenſum quoque inveſtiganti magno uſui eſſe poſſit. Plura hæc ſunt, quam quæ exemplis comprobari hoc loco poſſint; ne tamen ἀσύμβολος abiiſſe dicar, id quod ad manus eſt, ad hujus ſcilicet, quod jam adductum eſt, capitis v. 18. coll. cum c. XIV. v. 27. notatum addere liceat. Apparentem enim contradictionem, cum hoc loco Abſcholon dicatur ἄπαις, ibi tres filios habere, ita conciliat, ut dicat, *filios iſtos Abſcholomi ante patrem oculos clauſiſſe, unde & in jure dicantur ſine liberis deceſſiſſe ii, qui liberos vel nullos habuerunt, vel qui ante patrem in fata conceſſerunt.* Non minori felicitate obſcuro loco 2. Sam. XX. 18. quem multa reddunt difficilem, quemque vulgatus ſatis incommode & contra ſenſum ita tranſtulit: *Sermo dicebatur in proverbio: qui interrogent, interrogent in Abela, & ſic*

proficiebant ; hunc in modum clariſſimam lucem accendit: *Senſus eſt: Cum Moſis lex jubeat velitque, Deut. XX. 10. 11. 12. ut incolæ urbis prius interrogentur, quam obſideatur, de pace, utrum placide tranſigere malint, reſtituere per injuriam ablata, ſatisfacere poſtulatis, dedere confugos, nocentes &c. ni commode reſpondeant, ſed contra vim agant, ut tunc liceat, omnes urbis maſculos gladio percutere. Hoc pacto Ioabum cum Abelanis itidem acturum, vulgo ferebatur, miſſurum certos homines, qui deditionem Scebæ fieri petant. Id vero non ſine admiratione & indignatione noſtrorum civium & turpi oblivione juris militaris omiſit curare Ioabus. Sed neceſſarium eſt, ut obſervet vel nunc, obſeſſa jam urbe, quod Moſes dicto loco præcepit. Quod ſi poſtulet Ioabus Schebam, non dubium, quin impetraturus ſit potius, quam ut ſinamus exſcindi urbem ; & ſatisfactum ſibi Ioabus videbit, dedito Scheba, atque confeſtim urbis noſtræ obſidionem ſolvet. Hæc loci ſententia eſt. Vulgaris interpretatio præter neceſſitatem παροιμιάζει, nullo ſenſu. Corrigatur itaque hic verſiculus exigente ipſo rerum tenore & contextu.* Quæ explicatio quam commoda & contextui pariter atque phraſeologiæ Ebraicæ conveniens ſit, ipſa loci docebit inſpectio.

Tandem quod ad ſtilum attinet, eo utitur aperto, gravi, caſto, rebusque, quas proponendas habet, omnino conveniente, & auctorum claſſicorum lectionem ſpirante, ut prorſus trahat lectorem etiam invitum ad lectionem.

Et ea quidem interna exegematum horum eſt facies, quam ex promiſſo fuſius paulo me delineaſſe, *vir ampliſſime*, non inique feres. Clauderem jam rivos, & ſarcinulas colligerem, niſi duo adhæc reſtarent momenta, quæ me hactenus circa hunc librum ſuſpenſum tenuere. Vnum eſt, inſcribi ab ipſo auctore exegemata in quatuor libros Regum, cum tamen in manuſcripto in duos tantum priores commentatio-

tationes appareant. Et facile quidem mihi perſuaderi paterer, partem poſteriorem hujus operis a REMO quidem confectam eſſe, aſt nunc deſiderari: niſi obſtaret alia ratio. Scilicet anni 1595. initio commentationem in primum librum abſolvit, ut ipſe manu ſua in ſubſcriptione notavit. Et ab eo tempore ſine dubio alteram partem elaborare cœpit. Aſt anno 1596. prodiere meditationes in Salomonis proverbia & Eccleſiaſten Sigenæ Naſſoviorum, unde facile colligi poteſt, REMVM hocce anno plura abſolvere nequiviſſe, præſertim, cum horis tantum ſubciſivis, & ab ordinariis muneris curis vacuis ejusmodi labores ſuſciperet. Cum itaque eum poſt illud tempus, & editam in Salomonem illuſtrationem, continuationem hujus laboris aggreſſum fuiſſe nec vola vec veſtigium appareat, facile in eam inducor ſententiam, ipſum conſilium mutaſſe, & a continuatione deſtitiſſe, maxime cum elaborata, ut ex dicendis erit probabile, typis committi non potuerint, & tempus ipſum ad majora vocatum ſine dubio deſtituerit. Favet quoque ipſum ἀπόγραφον, quod manu priſtini poſſeſſoris (fuit vero ille præter alios David Ehingerus, quem ex bibliotheca parentis τοῦ πάνυ Eliæ Ehingeri hoc manuſcr. accepiſſe multis rationibus colligo) multa accurata, nihil tamen de defectu reliquarum partium notatum habet: plures itaque meditationes, quam in primum & ſecundum librum Samuelis, ut mihi quidem videtur, quærendæ non ſunt; corrigendusque, quem initio auctor conceperat, titulus.

Alterum, quod incertum dubiumque fecit animum, eſt, utrum, de quo hactenus ſermonem inſtitui, opus typis unquam commiſſum fuerit, nec ne? Perſuadebant ferme affirmativam elaborata plane tractatio, & titulo pleno atque dedicatione ſive præfatione ornata ejus limina. Augebat opinionem dedicatio ſpicilegio in Eccleſiaſten præmiſſa, quæ comitatus Widæ, præfecturæ Dirdorpianæ, itemque dy-

naſtiæ Roncaliæ ac Iſenbergi miniſtris orthodoxis, ut habet titulus, inſcripta eſt, & quibus librum dicari, dominum vero præteriri, vix viro prudenti, multisque a comite beneficiis affecto, videbatur conveniens. Subduxi itaque inde rationes, inſcriptam illuſtriſſimo comiti in Regum libros commentationem lucem ante ſpicilegia in Salomonem, id eſt, ante annum 1596. vidiſſe. Re tamen accuratius penſitata ſententiam totam mutavi, cum, quia ſæpius accidit, ut opus ad typos plane paratum multis ex cauſſis non imprimatur, tum quia ex dedicatione ſpicilegio in Proverbia Salomonis præmiſſa clarum manifeſtumque eſt, illum laborem primum fuiſſe. Ait enim: *primæ curæ ſunt & primitiæ, quas noſter agellus habebat, quales e tenui rure venire ſolent; damus, quod dedit alma Ceres.* Cum itaque hocce anno, ut ſupra obſervatum eſt, labores in Regum libros nondum abſolverit, cadit & ſecunda, quam ſupra poſui, affirmans ratio, & REMVM paſtoribus librum ante comitem, immo huic plane nihil inſcripſiſſe editum manifeſtum eſt. Quod ſi adducta ex dedicatione ſpicilegii in Proverbia verba cum dedicatione noſtri tractatus conferamus, ubi uterque primus labor dicitur, probabilius inde multe fit, REMVM conſilium de vulganda illa ἀριϛοπολιτεία abjeciſſe, niſi virum prudentiſſimum ſibi contradixiſſe velimus. Accedit, quod neque in catalogo bibliothecæ noſtræ, cui tamen, patrii amoris memor, omnes lucubrationes ſuas inſeruit, neque inter commentatores in Regum libros, neque ab iis qui vitam & ſcripta ejus nobis dederunt, FREHERVM puta, KOENIGIVM, WITTENVM aliosque, recenſeatur, cum tamen ſpicilegia in Salomonem ab iis enumerentur. Repugnare quoque videtur manuſcripti ipſius conditio: manu enim poſſeſſoris in ἀπογράφῳ varia ad tenorem αὐτογράφου correcta & emendata ſunt, ubi ſcilicet deſcriptoris incuria aberravit, quod ſane una cum toto deſcriptionis labore fuiſſet fruſtraneum, ſi eo tem-

pore

pore, quo jam fatis functus erat REMVS, quoque ea emendabantur, liber typis fuiſſet expreſſus. Facillime itaque in tuam, *vir ampliſſime atque doctiſſime*, quam olim jam literis mihi indicaſti, concedo ſententiam, nunquam prodiiſſe REMI in Regum libros commentationes. Neque alienum quoque eſt, hanc cauſſam allegare, quod vel loci munerisque mox poſt editas in Salomonem curas facta mutatio, vel prolixitas operis ad centum & viginti plagulas mediocri charactere excurrens impediverit, quo minus vulgatum fuerit opus; præſertim cum coarctatæ & multum breviores in Salomonem notæ, noſtris admodum diſſimiles & inferiores, tantum non certe perſuadeant, REMVM difficiles bibliopolas pro more fuiſſe expertum. Quod ſi in publicum editus liber ſit, de cujus tamen contrario haud exiguo probabilitatis gradu perſuaſus ſum, illud certum eſt, tantum non omnino ex oculis evanuiſſe, longiori memoria & melioribus fatis dignum, & hinc ſat amplum hujus ſcriptionis fructum me percepiſſe credam, ſi ei occaſionem dedero ex tenebris emergendi. Quod ſi vero, quod tantum non evictum teneo, lucem opus hoc nondum viderit, nihil in me deſiderari patiar, ſi aliis ita viſum fuerit, ut cum erudito orbe communicetur: quem in finem æquiſſima petenti nullo modo me præbebo difficilem. Vale, *vir ampliſſime & doctiſſime*, & obſervantiſſimam hanc compellationem æqui bonique conſule, inſtanti vero, multorumque annorum ſerie lætus & incolumis perenna, orbemque literarium eruditiſſimis ingenii fœtibus, quos promiſſos mecum avide anhelat, proxime bea. Scrib. Auguſtæ Vindelicorum Non. Decembr. A. S. R. cIↄ Iↄcc XXIII.

(o)

OBSERVATIO XII.

ELOGIUM
illuſtris viri
LVCAE SCHROECKII
medicinæ doctoris
S. R. I. nobilis, medici cæſarei, comit. pal. Lateran. cæſar. academiæ imper. naturæ curioſorum præſidis,

Academiæ recuperatorum, phyſicocriticæ, & coloniæ phyſicocriticorum ſocii, reipublicæ Auguſtanæ phyſici primarii, collegii medici ſenioris vicarii,

Officinarum pharmaceuticarum viſitatoris perpetui.

MAgnam me rem poſcis, optime SCHELHORNI, & quam facilius ſummis viris relinquam, quam infelicibus parumque profuturis conatibus aggrediar: laudes ſcilicet viri ſummi & ſupra invidiam omnesque laudes poſiti, LVCAE SCHROECKII, quo nec ætas ulla inter Auguſtanos vidit doctiorem, nec civitas in reſtituenda & tuenda ſanitate experta eſt feliciorem, nec Pieridum chorus obſtupuit majorem: quem educavit ornamento ſibi futurum patria, admirabilem fecere bonæ literæ, venerati ſunt exteri, coluit Germania, ad illuſtria honorum culmina evexit ſacratiſſima auguſtiſſimorum imperatorum majeſtas, ſingulari mortalium generi ſolatio ægrorumque levamini dedit divina providentia. Quem cum anni hujus auſpicia ſero quidem, nimis tamen maturo orbi erudito fato abſtulerint, dubium eſt, orbisne literarius & elegantiores literæ, an ars ſalutaris, vel ipſa quoque celeberrima Auguſta jacturam paſſa fuerint majorem: & annon atro lapillo dies ille faſtis inſerendus, & res malo omini ſimilis videatur, quod inter

inter votivas gratulantium preces & fauſtas civium acclamationes Auguſtæ ereptum fuerit tam inæſtimabile palladium. Cujus laudes ut digno quis aſſequatur ſcriptionis genere, ne vel Schroeckiana eruditione opus eſt, vel ipſis Muſarum artibus, ne inſubida commentandi ratione plus detraxiſſe videatur tanti viri laudibus, quam eas evexiſſe. Vide itaque quam impoſſibilia me poſcas, & quam inique a me poſtules, quæ non niſi eruditionis & literarum elegantia maxime conſpicui viri exequantur. Cum tamen nihil mihi tua amicitia unquam fuerit jucundius, nihil tua voluntate acceptius; &, quod privata pietate addo, nihil beatis SCHROECKII manibus venerabilius, a quo ſcilicet toties mea meorumque ſanitas & defenſa & reſtituta eſt: dabis veniam ſterili calamo, & de vita & meritis illuſtris viri pauca diſſerentem tu pariter atque literatus orbis patienti audietis animo, mentis veneratione ſupplentes, quod pennæ exilitas aſſequi auſa non eſt.

Dedit tantum orbi literato virum *Auguſta Vindelicorum*, fœcunda illa tot virorum eruditione & meritis clarorum mater; in cujus ſinu natum eſſe illuſtrem SCHROECKIVM, multum certe ejus laudibus & felicitati addit. Cum enim multum interſit, quo quis loco in lucem edatur, an is rei literariæ augendæ aptus, & ad promovenda eruditionis ſtudia idoneus, ejusmodi ſubſidia ſubminiſtret, quibus ad ſummos eruditionis gradus pertingere liceat: an nec loci anguſtia animi impetum ſufflaminet, nec eruditorum virorum inopia inſtitutionem impediat, nec majorum præjudicia bonis artibus obſint, nec ad incitandum ad honeſta quævis audenda animum exempla deficiant; in his omnibus felix cenſendus eſt SCHROECKIVS. Nam & auguſtum urbis antiquiſſimæ decus noſtri ingenium excitaviſſe, & virorum eruditiſſimorum abundantiam illud ad excellentiſſimam perfectionem formaſſe, & parentum atque majorum inſtituta ejus ardorem aluiſſe, & omnem **Patria.**

laudem exſuperantia exempla calcar currenti addidiſſe, nemo negaverit, qui Auguſtanam literariam hiſtoriam non ignorat cum ignariſſimis. Scilicet pulchrum & decorum putabat ipſe vir ſummus, in eadem urbe eruditionis ſtadium decurrendum ſuſcepiſſe, in eo theatro medici perſonam induiſſe, in quo tot celeberrimi nominis medici tantam ſibi honoris nominisque famam pepererunt, & immortalitatis ſimul cedro inſcripſerunt Auguſtæ patriæ memoriam. Habuit ſcilicet anteceſſores & tantæ, quam conſecutus noſter, famæ auctores & exempla, veneranda nomina, *Ioannem Cubam, Adolphos Occones, Marquardum Freherum, Ioannem Ambroſium & Vdalricum Iungios, Achillem Pyrminium Gaſſerum, Lucam Stenglinum, Leonhardum Rauwolfium, Caſparum Gutmannum, Tobiam Kneulinum, Georgium Heniſchium, Ioannem Vdalricum Rumlerum, Raymundum Mindererum, Philippum Hochſtoetterum, Ieremiam Erbardum, Marcum Banzerum, Davidem Verbezium, Georgium Hieronymum Welſchium, Ioannem Heniſium*, aliosque non Auguſtæ tantum ſed & apud exteros præclaræ famæ viros, quos cum & ipſe laudatiſſimus SCHROECKIVS noſter in *Hygea Auguſtana* dignis extulerit encomiis, & me quoque in *ſpecimine hiſtoriæ literariæ medicorum Auguſtanorum*, quod ad prelum paratum noſti, de iis pluscula dixiſſe recorder, plura addere e re præſenti non eſt.

Parentes. Quod verum præcipuo felicitatis exemplo natura Machaoni noſtro dedit, eſt, quod eo præcipue parente genitus & educatus ſit, a quo non potuit non cum dextera & pia inſtitutione abundantiſſima in filium haud degenerem derivari eruditio. Patre enim uſus eſt noſter LVCA SCHROECKIO, philoſophiæ & medicinæ doctore, & reip. Auguſtanæ per multos annos phyſico ordinario, de cujus medendi dexteritate & peritia, eruditionis præſtantia, judicii rectitudine, ingenii acumine, & quæ reliquæ boni medici virtutes ſunt, nunquam ſilebit Auguſta, quamdiu bona-

rum

rum literarum & meritorum egregiis artibus partorum memoriam pia non obliterabit patria, quamdiu egregiæ & limatæ obſervationes, quas præſtantiſſimis academiæ naturæ curioſorum ephemeridibus paſſim inſeruit, legentur & habebuntur a doctis in pretio. Hoc parente genitus ex nobiliſſima omnique virtutum genere ornatiſſima matrona, *Anna Maria* ex *Welſchiorum* genere, die 24. Septembris, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quadrageſimo ſexto; turbulentis ſane Auguſtanæ civitatis temporibus, & ad triſtia fata inclinantibus circumſtantiis cunctis; non malo tamen omine, ut parentis noſtri familiæ nato filio hilaritas & gaudia exorta ſunt, ita patriæ brevi exoptatiſſima reditura eſſe Halcyonia, quæ quoque vix biennio elapſo non ſine exultatione ſenſit. Verum nec maternum genus hic negligendum ſiccoque prætereundum eſt pede. Ex matris enim gente nobile illud Auguſtanorum medicorum & orientalis quoque eruditionis ſidus *Georgius Hieronymus Welſchius* ortus eſt, qui, quod noſtro ſanguine erat conjunctiſſimus, eumque ex ſorore nepotem, quem dicunt, dilexerat, multum quoque ad conſummatam SCHROECKII eruditionem contulit, non ingrato noſtro, qui civi, avunculo, medico & collegæ poſtea ſuo egregium grati animi monumentum, edita vitæ ejus memoria, erexit, de qua poſtea dicemus.

Tantis naturæ & providentiæ divinæ, uti recte fortunam vocamus, ſubſidiis accedebat mira ingenii felicitas, judicii præmatura firmitas & accuratio, memoriæ excellens quædam fidelitas, quibus parenti & neceſſariis maxima eaque lætiſſima ſpes enata eſt, fore, ut & patri & patriæ ſingulari ornamento & ſolatio futurus eſſet. Nec præſagium fefellit eventus: tanta enim maturitate ſe oſtendebat ingenii Schroeckiani præſtantia, ut non ſolum inſolita fertilitate tradita bonarum artium ſemina redderet, ſed & omni expectatione major in puero adhuc meſſis exſurgeret. *Dotes animi.*

Educatio literaria. Aperiebantur tum, reducta in Germaniam pace religioſa, Muſarum januæ, & Auguſtanum quoque gymnaſium, quod per decem & quatuor annos ſiluerat, docentium & diſcentium voce reſonabat, docentibus viris egregiis, moderante viro clariſſimo *Matthia Wilhelmi* patebat. Huic bonarum literarum palæſtræ dum concredebatur SCHROECKIUS, mature bene de eo ſperantium vota ſuperabat, & quis olim vir futurus eſſet, ſingulari creſcentis eruditionis ſpecimine comprobabat. Cum vero piæ & accuratæ doctorum publicorum inſtitutioni ſocias quoque manus jungerent pater & avunculus, dici non poteſt, quantas dotes congeſſerit, quantas eruditionis divitias ſibi cumulaverit Schrœckianum ingenium. Quas ut publice quoque oſtenderet, tribus vicibus vires periclitatus egregie ſe omnibus probavit, publice habitis orationibus, quæ & optime tempus eum hactenus collocaſſe innuebant, & de eo præſtantiſſima quæque patriæ, patronis, parentibus, amicis pollicebantur. Vt itaque ad juſtam perfectionem ejus perduceretur eruditio, pater optimus filium tandem academicæ quoque inſtitutioni credendum ratus eſt. Nondum vero tum temporis peſtilens & ad evertendam ſolidam eruditionem enatus hodie mos invaluerat, quo pueri, antequam ingenium adoleſcit, viresque capit judicium, antequam ſolidioris doctrinæ fundamenta a fidis præceptoribus jacta & percepta ſunt, præpoſtera feſtinatione in academias mittuntur, pleno quidem plerumque marſupio, ſed inani cerebro, ut per aliquot annos neſcio quam ſuperficiariam doctrinæ ſpeciem corradentes, & licentia academica audaciores facti pulchre quidem ornati & comti, pueri tamen haud raro, quod ad ingenii vires attinet, redeant; quæ res quantum eruditionis incrementis impedimentum afferat, dici vix poteſt: noſter itaque ad viceſimum usque ætatis annum in gymnaſii exercitatione detentus, tum eo ſtudiorum genere, quod ab humanitate nomen accepit, tum philoſophiæ quoque elementis

feli-

feliciter ſolideque imbutus non potuit non ad academiam & majora ſtudia accedere inſtructiſſimus.

Elegit vero parentis & amicorum conſilio *Ienenſem* academiam, in qua eruditionem aleret, ingenium acueret, optimisque diſciplinis, imprimis arti ſalutari totum ſe traderet, quod & viris eruditiſſimis ſummaque eruditionis laude famigeratiſſimis iſtud Athenæum eſſet refertum, & tot jam viri multa doctrinæ præſtantia inclyti ex ea, tanquam ex Trojano equo, prodiiſſent. Nec fefellit noſtrum ſpes & opinio; in ædes enim celeberrimi medici, *Ioannis Theodori Schenckii*, medicinæ doctoris & profeſſoris, delatus, non tantum quæ ad vitæ commoditates & recte vivendi rationem pertinent, apud fidum hunc hoſpitem invenit, ſed & dextera & ſolidiſſima ejus inſtitutione uſus, artis medicæ fundamenta, quæ cum ſobria philoſophiæ cognitione imprimis accurato naturalis ſcientiæ ſtudio junxerat, tradentem non ſine emolumento audivit. Vbi prætereundem haud eſt, illuſtrem SCHROECKIVM noſtrum non commilitio tantum, ſed contubernio quoque & intima amicitia junctum tunc ſibi habuiſſe æternum Salani Heliconis decus, magnum illum noſtrorum temporum Aeſculapium *Georgium Wolfgangum Wedelium*, quocum noſtro ex eo tempore usque ad beatam viri ſummi analyſin non ſine maximo rei literariæ, præſertim medicæ, emolumento, interceſſit amicitia. Sed & experientiæ & doctrinæ celebratiſſimæ viro *Guernero Rollfinckio* præceptore uſus, & *Ioannis Arnoldi Friderici* quoque lectionibus eruditus ita in artis præcipue ſalutaris cognitione profecit, ut nec naturæ tum humanæ tum univerſi conſtitutionem viresque ignoraret, nec artis chymicæ artificia negligeret, nec herbarum genera, ſpecies & vires ignotas haberet, nec corporis humani fabricam curioſo oculo, immo cultro quoque non exquireret, nec Morbonæ ſtragem cum cauſſis ſuis non inſpiceret, nec medendi denique rationem eamque tutam, certam & jucundam non teneret. Quem in finem

Vita academica.

Præceptores academici.

finem non modo attentam doctoribus aurem largitus eſt diligentiſſimus SCHROECKIVS, ſed & diurnæ nocturnæque lectioni optimorum auctorum, nôn recentium tantum, ſed & veterum, invigilavit, & ubi alii perpotabant, & egregie debacchabantur, ipſe doctis impalleſcere chartis, & ad multam uſque noctem cum mortuis colloqui, vel ingenii vires ad lucernam quoque acuere pulchrum & decorum putabat. Iungebat enim primario doctrinæ generi, cui ſe devoverat, elegantiorem eruditionem, nec noſtræ ætatis hominibus quibusdam ſimilis, de ea tantum ſcientia erat ſollicitus, quæ de pane lucrando, quod ajunt, eum certum faceret: quæ cauſſa eſt, cur ſcripta ejus, de quibus poſtea nobis ſermo erit, tam variam eruditionem ſpirent, raro eorum temporum exemplo, quibus adhuc Muſæ elegantiores plerumque Germania noſtra exulabant. Verum tempus jam erat, ut comparereт publice elegantiſſimum SCHROECKII ingenium, manifeſtaretur eruditio, augeretur hominis fama, per cunctos honoris gradus ſtrenue graſſatura magnisque paſſibus ad excelſum gloriæ culmen, in quo eum collocavit divina providentia, tuita eſt ſumma eruditio, confirmavit auguſtiſſimorum imperatorum gratia, enixura. Hinc ſtudiorum academicorum rationem redditurus, elegantem *de Moſcho* diſſertationem conſcripſit, & eruditorum ſubjecit examini. Quo in conflictu, dubium non eſt, quin talem ſe præſtiterit, qualem poſtea controverſiis medicis implicitum novimus, cujus ſcilicet neque calamum neque os amarulentia tingebat, neque in morum humanitate & comitate quicquam mutabat adverſariorum pertinacia. Hunc laborem cum feliciter ceſſiſſe animadverteret, *theſes* quoque *chymicas*, plaudentibus præſide, opponentibus & auditorio, in publica cathedra defendit, eoque ſpecimine mature oſtendit, quid in hac quoque arte, cui ſe præcipue devoverat, ab ipſo eſſet expectandum. Sentiebant id non ſolum parentes & amici, ſed & ipſi præceptores, qui tam egregio diſcipu-

Diſputationes editæ.

ſcipulo delectati, & eruditionis Schrœckianæ elegantia capti, dignum eum judicabant, qui ſummis medicinæ honoribus augeretur, ut cunctis conſtaret, quibus præmiis afficienda ſit eruditio, quidque expectandum iis, qui ad ſolidæ doctrinæ elegantiam penetrare laborant: Qui honor uti noſtri diligentiæ & eruditioni diu jam debebatur, ita ab eo, qui omnem honoris ambitionem auræque popularis captandæ ſtudium cane pejus & angue oderat, non quæſitus quidem, verum nec rejectus eſt, unde poſt exantlata ſumma cum lauda examina ſolennem *de Bulimo* diſputationem anno 1669. defendit, & ita ſtetit, ut cunctis innoteſceret, non minus honoris ab ipſius eruditione ad artem medicam, quam ab arte medica ad ipſius famam acceſſiſſe. *Honores academici.*

Sed ne hisce quidem cancellis ſe continuit ad ſumma contendens præſtantiſſimi juvenis eruditio, ſed ut ad magna quævis ille natus erat, ita fovendo, quo fervebat, plura diſcendi augendique theſauros, quos collegerat literarios, igni apta quærebat alimenta. Quem in finem, parente optimo annuente, iter quoque literarium inſtituere cœpit, probe gnarus, quantum ejusmodi itinera emolumentum afferant, ſi recte ſuſcipiantur, nec curioſitatis cauſſa, & ad mutandum cœlum quidem, non autem animum, & dilapidandos matris numos fiant. Qualia a multis hodie fieri, qui præter linguam patriam vocabulis alienis corruptam, veſtemque novam, & aularum exterarum morem referentem, nihil domi referunt, neſcio utrum ridendum potius an deplorandum rectius quis exiſtimet. Non is SCHROECKIO elegantiſſimo erat animus, qui non niſi ad ſolida & magna contendens, nihil parabat oſtentationi, ſed utilitati, non iter ſuſcipiebat tempori perdendo, ſed ingenio exornando, nihil ad pompam & inanem jactantiam referebat, ſed ad ſoliditatem. Imitaturus itaque formicarum morem, quæ multo labore ex variis locis alimenta ſibi conquirunt, & ſollicita opera ingenioſe *Itinera.*

com-

comportant, ad iter ſe accingit, regionum climata, victus & potus rationes, naturæ operum admiranda ſpecimina, medicatorum fontium proprietates, morborum epidemicorum & certis regionibus propriorum mirabiles haud raro circumſtantias, herbas rariores, metallifodinas celebriores, & quæ alia ſunt, de quibus medicorum filii ſolliciti eſſe ſolent, perſcrutaturus, celebriorum bibliothecarum forulos excuſſurus, virorum doctiſſimorum & in arte potiſſimum medica celebrium colloquio notitiam medicam & literariam adaucturus, & quæ ipſe in academia didicerat, ad concinnam & juſtam maturitatem & maſculum vigorem perducturus. Quo animo varias Germaniæ provincias peragravit, eo fructu, ut non eruditione tantum rediret locupletiſſimus, ſed & magnæ famæ viris, ſummisque medicis innoteſceret, quod certe fundamentum fuit, quo poſtea gloriæ meritis & fama partæ inædificavit ædificium, cum ex eo tempore cum præſtantiſſimis viris literarium aleret commercium, iisque tanta felicitate ſe commendaret, ut via inde aperta ſit, qua poſtea ad excelſa honorum culmina graſſatus eſt. Redux autumno hujus anni ſalutatisque parente & patria terras quoque alio ſub ſole calentes adire paratus, DEO duce, eruditione & pietate comitibus, ad iter Italicum ſe accinxit, Auſonias quoque divitias, non arcæ ſed ingenio replendo aptas, corraſurus: Locum vero ſibi elegit antiquiſſimam Muſarum ſedem & celebratiſſimum optimarum artium emporium Patavium, ubi artis imprimis ſalutaris præcepta a ſummis viris tradebantur, & crebriori quoque artificioſæ ſectionis corporis humani exercitio multum ad cognitionem accuratiorem machinæ humanæ afferebatur ſubſidii. Perſonabat vero tum quoque Patavii admiranda *Octavii Ferrarii* eloquentia, quem cum audiret impenſius noſter, mirum in modum ejus ſibi devinxit animum, ut ei frequentiorem lubentiſſime concederet aditum. Sesquiannum vero ibi commoratus eſt, ſolita eruditionis accu-

accuratione in exiguo temporis ſpatio plura in uſus ſuos vertens, quam alii ſolebant, qui per quinquennium iſti Muſarum ſedi adhærebant. Tum ad perluſtrandam Italiam ejusque celebriores urbes, viſenda naturæ & artis miracula, perluſtranda gazophylacia & rerum naturalium apothecas, adeundos viros celeberrimos animum adjiciens, Patavio ſolvit, Ferraraque Ancona & Laureto urbibus viſis, caput Italiæ urbem ipſam accedit. Detinebant virum eruditiſſimum & curioſiſſimum non palatiorum ſplendor, non pontificiæ aulæ ſtrepitus, non templorum magnificentia, ſed antiquitatis canæ marmora, & rudera venerandam vetuſtatem præ ſe ferentia, cimeliarchia, imprimis rerum naturalium raritate & varietate commendatiſſima, bibliothecæ optimis libris refertiſſimæ, virorum doctiſſimorum converſatio: quo fine etiam in amœniſſimam Campaniam exſpatiatus, immo ipſam Calabriæ metropolin Neapolin pari modo inviſit. Redux vero Florentiæ, Bononiæ Milanique celeberrimas inviſens urbes, non tam ædificiorum elegantia & magnificentia, quam eruditiſſimorum & clariſſimorum virorum humanitate & colloquio eſt captus. Inter quos præcipue magni Hetruriæ ducis bibliothecarii *Antonii Magliabechii* inuſitatam comitatem & facilitatem, illuſtrem virum haud ſemel grata memorique narratione mihi celebraſſe memini. Et cum eruditionis ſuæ ſoliditate & præſtantia magnam ſibi apud eos peperiſſet famam, mirarenturque haud raro, inter ſeptentrionales, quod harum gentium præjudicium eſt, tales inveniri viros, facile inter illos atque noſtrum amicitia coaluit jucundiſſima, quam literarum poſtea commercio ſancte conſervavit.

Redux exacto biennio in patriam, anno 1671. cumulata brevi meritorum præmia vidit & expertus eſt, eamque carpſit plena ſaturaque lance fructuum meſſem, quam pietas, diligentia, accuratio, eruditio hactenus ſeminaverant. Doctoris enim titulum atque jura, quorum percipiendorum hactenus licen- *Munus in patria.*

tiam

tiam habuerat, abſens a medicorum Salanorum collegio, auguſtiſſimis & ſereniſſimis auſpiciis, accepit: quo honore initiatus patribus patriæ officia & devotionem, civibus curam in tuenda eorum ſanitate ſuam, qua par eſt, obſervantia obtulit. Non potuerunt non lætari patres conſcripti, ſibi gratulari collegium medicum, exultare cives, cum tam dignus vir albo medico nomen daret, & artis ſalutaris exercitium atque praxin more majorum rite capeſſeret: revireſcebat enim Schroeckianum nomen, artis felicitas, eruditionis elegantia, quam in patre mirabantur & amabant, in filio; nec falſo augurio ſibi perſuadebant, fore, ut non patris modo excellentiam aſſequeretur, ſed & multis paraſangis anteiret. Et profecto falſos eos non fuiſſe, χαλκέντερος SCHROECKIVS noſter, nullis vigiliis expugnabilis, omnique labori invictus, multis rationibus demonſtravit. Tanta enim accuratione, tanto ſtudio, tanta experientia ægrotorum curæ ſe tradidit, ut nec diligentiam doctrinamque ejus deſtitueret exoptati effectus felicitas, nec eorum, qui ejus ope, conſilio & auxilio convaluerant, deeſſet gratus animus. Quibus artibus cum profectu temporis accederet longiſſima & rariſſima experientia, quæ inſolita prorſus ſexaginta fere annorum praxi non poterat non evadere longe excellentiſſima, dici non poteſt, quanta celebritate effloruerit Schroeckiani nominis & eruditionis honor atque fama. Quam non quærebat quidem vir, uti modeſtiſſimus, ita vere pius, conſequebatur tamen ſponte, & ultro in amplexus ruentem videbat gloriam, cum illis artibus inſtructus eſſet, quibus æternitati inſcripſerunt nomina medici famigeratiſſimi. Vt enim, de qua toties, nunquam tamen ſatis, mentionem fecimus, eruditionis præſtantiam taceam, erat in eo mira comitas & facilitas cum ſumma humanitate conjuncta, quæ non pauperes modo & tenuioris conditionis homines a foribus ejus & muſeo non arcebat, immo ædibus potius ipſorum eum introducebat, ſed quæ ægrotantium quoque mentes

Praxis clinica felicitas.

mentes mire refocillabat, animum & fiduciam ſane ingentem eis excitabat, & tantum ei amorem conciliabat, ut qui ſemel virum incomparabilem adiiſſent, vel conſilio ejus fuiſſent uſi, nec meliorem, nec humaniorem, nec jucundiorem exoptarent unquam medicum. Ad hæc accedebant alia etiam: in ſanandis morbis etiam deſperatiſſimis providentia ſumma, certitudinis & ſecuritatis, quas ejus medendi ratio promittebat, fœcunda mater, methodus plana & facilis, & ad minuendos quantumpote ſumtus, qui haud raro inſanum quanti faciendi ſunt in valetudinem reſtituendam, apprime apta & compoſita, indefeſſa in viſitandis ægris diligentia, quam nec ſenex admodum, nec ſummis honoribus auctus unquam depoſuit, & quod in medico inter primas virtutes reponendum primo loco puto, ſancta & vera pietas, quæ ab omni oſtentationis & hypocriſeos ſpecie longiſſime remota ita ſalutis & ſanitatis, immo medicinæ quoque, auctori ſerviebat ex animo, ut non poſſet non ille conſiliis ejus adeſſe, & laborem ejus lætiſſimis beare ſucceſſibus. Nihil hic, optime SCHELHORNI, auribus do, nec licentius evagantur verba, ſed parciora ſunt, quam merebatur vir ſupra communem ſortem poſitus, & ſcribo hæc tot annorum experientia in me & meis a viro optimo factis, & utinam! diutius, ſi fata permiſiſſent, faciendis doctus. Hæc cum ita ſe habuerint, nemo mirabitur, ad ædes ejus non cives tantum & primariæ quoque dignitatis homines, tanquam ad Aeſculapii templum, confluxiſſe, ſed & ſummos quoque, immo principes viros & ſereniſſimo ſanguine natos, capita ſua ejus fidei & curæ credidiſſe. Quod non faciebant tantum, qui Auguſtæ & ejus in confinibus habitabant, ſed & haud raro ex omnibus Germaniæ oris, & ab exteris quoque literæ advolabant, quibus vel ſummi principes & altiſſimo loco conſtitutæ perſonæ de ſua valetudine eum conſulebant, vel qui eorum ſanitati præfecti erant, a noſtro de inita & ineunda porro medendi ratione tanquam

ab altero Hippocrate conſilium capiebant, multum profeciſſe ſibi viſi, ſi noſter vel annuiſſet, vel medendi rationem, quod ſemper ſumma fidelitate, humanitate & modeſtia faciebat, præſcripſiſſet. Cujus generis conſilia cum tot numero Muſa Schroeckiana elaboraverit, dolemus merito orbis literati & ægrotantium quoque fata, quod vir uti eruditione & meritis illuſtris, ita modeſtia nulli comparandus, maluerit in ultima voluntate jubere ea ſupprimi, quam editione vel ſummorum virorum arcanos haud raro morbos & circumſtantias prodere, vel ullam ambitionis de ſe dare ſpeciem.

Scripta. Magna hæc utique ſunt, & nominis immortalitatem famæque æternitatem parare apta, non tamen hiſce adquievit invictum SCHROECKII ingenium, ſed & ad inſerviendum ſcriptis orbi erudito, & ſolidiſſimis meditationibus & lucubrationibus rem medicam amplificandam adjecit animum. Ita enim plerumque comparatum eſt cum viris, quorum ingenia primæ magnitudinis ſtellas æquiparant, ut nullis animi impetum contineri patiantur limitibus, ſed abundantiſſimas potius, quæ in animo latent, divitias longe lateque ſpargant, & vix ulla eas communicandi cum aliis via ſit, quam non feliciter ingrediantur, felicius proſequantur, feliciſſime abſolvant. Verum multi thyrſigeri ſunt, pauci Bacchi. Noſter vero SCHROECKIVS, uti rara & elegantiſſima eruditione abundabat, ita ut decore & cum laude applaudentis orbis literarii ingenii theſauros depromeret & exponeret, feliciſſimo eventu laboravit. Non tamen ſponte ſua & ſcribendi quodam pruritu in ſcenam prodiit elegantiſſima SCHROECKII Muſa, nec, qui perverſi multorum noſtræ ætatis hominum mores ſunt, eo doctiorem ſe putabat, quo audaciorem ſe in corradendis aliorum obſervationibus & oſtentando alienis plumis ingenio ſe præberet, quo plura, ſi non apte ſcriberet, ederet tamen utcunque in vulgus protruſa & centonis inſtar conſuta, modo polygraphi no-

men acquireret; illud enim uti a modeſtia & virtute noſtri erat alieniſſimum, ita eruditioni ejus, ſolida tantum ſectanti, & domi abunde habenti, unde rem medicam egregie & cum laude juvaret, adverſabatur quam maxime. Sed fatis & collegis ita volentibus, & honore collegii medici Auguſtani poſcente, non ad leve ſcriptionis genus, ſed ad argumentum graviſſimum & refrenandum hoſtem, uti impune & jactanter hactenus graſſantem, ita rei medicæ apud Auguſtanos ignominiam & invidiam conflare conatum, immo plerisque ex ſilentio Auguſtanorum medicorum magni habitum, ſe accinxit. *Ioannem Zwelferum*, Palatinum, medicum Viennenſem indigitari, nemo in hiſtoria literaria medicorum tam jejunus hoſpes eſt, ut ignoret. Is enim, neſcio quo animo, (invido certe & dicaci inſolentiora ejus ſubinde verba & ſcribendi ratio prodit) pharmacopœiæ Auguſtanæ a celeberrimo *Adolpho Occone III.* primum editæ & a ſucceſſoribus, imprimis magni nominis & experientiæ medico *Raymundo Minderero* emendatæ & auctæ, & in plerisque S. Rom. imperii locis, ditionibus & urbibus, immo in exterorum quoque regionibus hactenus pro norma rei pharmaceuticæ habitæ & uſurpatæ refutationem, correctionem & temerariam emendationem ſuperbo ſatis & præfidenti animo auſus, *animadverſionem in pharmacopœiam Auguſtanam ejusque mantiſſam, ſive pharmacopœiam Auguſtanam reformatam, Norimbergæ 1652. fol.* edidit, & in altera editione, quæ 1657. lucem vidit, appendicem addidit. Cui ſcriptori, cetera non indocto, ſi id conſtitutum fuiſſet, ut opinionis & chymicæ Θεωρίας ſuæ rationes exponeret, dubia propelleret, & quæ a ſua ſententia diſcedebant, modeſte examinaret, tantum abeſt, ut id medicis Auguſtanis diſplicuiſſet, ut ſine dubio laudem multam iſto pariter labore atque *pharmacopœia regia*, qua medicamentorum novam conficiendi rationem oſtendiſſe ſibi viſus eſt, ab eis atque univerſo orbe erudito reportaviſſet. Sed alia erat

mens Zwelferi, qui ſua non cum laude edita & egregie, ſi diis placet, commendata putabat, niſi cuncta bile & amaritudine conſpergeret, manes virorum ſumma laude inclytorum conſpurcaret, in eorum cineres mingeret, & Auguſtani diſpenſatorii famam, per integrum ſeculum ſancte conſervatam, conviciis inquinaret & proſcinderet. Noluit tamen collegium medicum cum homine, non aliam litis cauſſam & finem ſibi ſtatuente, quam ut ignobili pugnæ genere gloriæ medicorum Auguſtanorum detraheret, contentionis ſerram reciprocare, ſed aut ad meliorem mentem eum rediturum, aut ſua ſe impudentia & canina dicacitate peremturum apud idoneos æquosque judices ſperavit: unde rara patientia ſilentio ejus inſolentiam ſuppreſſit, & digna tantis viris modeſtia tam atroces injurias patienti devoravit animo. Quæ tantum abeſt, ut Zwelferi animum ad modeſtiam compulerint, ut potius in ultima operum editione vehementes ſatis injurias in inclytum illud medicorum collegium iterum evomuerit, quo quoque animo tandem, non expectato reſponſo, ad plures antagoniſta abiit. Quæ omnia eo magis tolerabant, & patienter negligebant viri optimi, quod, ne mortuo leoni inſultare viderentur, ſi ad imputationes & criminationes hujusmodi reſponderent, metuebant. Cum vero non eruditi tantum viri hactenus iſtud ſilentium improbaviſſent, ſed & ſeplaſiarii & pharmacopolæ eam ſibi ex modeſtia & patientia Auguſtanorum medicorum audaciam ſumpſiſſent, quam lectis ipſorum libellis ςυλιτευτικοῖς merito mireris, & de quorum impudentia prolixiorem narrationem & arcanam hiſtoriam *in ſpecimine hiſtoriæ literariæ medicorum Auguſtanorum* exhibui, (quod in hiſtoria vitæ Adolphorum Occonum dedi, & quæ hujus contentionis literaria facta fuerint latius enarravi, cum his comparanda;) cumque injuriarum & ſcriptillantium pruritus nec modus nec finis eſſet, & varia quoque affingerentur veneran-

venerando medicorum collegio, quæ intolerabilia prorſus erant, immo ὑπερασπίςης, *Schmuzius* quidam, indecoro pugnæ genere, collegio medico, cujus partes ſe tueri crediderat, labem inſulſa ſcriptione aſpergere videretur, permovit tandem in venerandos majorum cineres pietas, erga veritatem amor, erga collegas honor excellentiſſimum SCHROECKIVM noſtrum, ut ad apologiam ſe accingeret, & expenſis atque ad trutinam rationis & experientiæ examinatis Zwelferi & aſſeclarum objectionibus egregias vindicias libri præſtantiſſimi pararet, quas conſenſu collegarum, etſi inter eos ætate & auctoritate minor, in *pharmacopœia Auguſtana reſtituta, ſive examine animadverſionum in diſpenſatorium Auguſtanum ejusdemque mantiſſam hermeticam Ioannis Zwelferi, Palatini*, in patria anno 1673. 4. edidit. Non narrabo vel contenta libri vel ſcribendi rationem, dicto loco pluribus a me expoſitam, & in ipſo libro paſſim obvio videndam, cum non hiſtoria literaria, ſed elogium tantum illuſtris viri dandum ſit: illud tamen præteriri non debet, ita ſe in prolixa iſta apologia geſſiſſe SCHROECKIVM, ut neque eruditionis accurationem, neque experientiæ certitudinem, neque dictionis nitorem, neque modeſtiæ ſingularis ſpecimina jure quis deſideret, & ita debellati fuerint adverſarii, ut propriis telis jugulati non invenerint, quid reponerent, præter ſarcaſmos, & turpia verba & calumnias, quas humaniſſima ſcribendi & tractandi ratio Schroeckiana haud aliter, ac ſolis radii inſectorum genera quævis, præter culpam ſuam provocavit. Iterum enim in ſcenam prorepens emendicatus *Mulleri* pharmacopœi Viennenſis calamus, qui ſe umbræ Zwelferianæ paraſtatam venditabat, vel potius *Spanbolzius* quidam, qui *Philonis Naſturtii* nomen mentitus fuerat, non Schmuzio tantum, ſed SCHROECKIO quoque canina prorſus rabie & inhumana dicacitate reſpondit. Fruſtra hic quæres argumento-

rum pondera, objectionum ſolutiones, luculentiora rerum controverſarum lumina, ſed miſerabile conviciorum & verborum male cohærentium chaos, quod qui ſine nauſea & ſtomacho legerit, ne is omnem ſenſum exuiſſe cenſendus eſt. Ad quos tamen miſeri homuncionis thraſonismos pauciſſimis & ita reſpondit illuſtris pharmacopœiæ Auguſtanæ defenſor, ut invictam ejus patientiam non minus quam elegantem eruditionem admirandam propinaverit in *ejusdem defenſione*, Auguſtæ 1675. edita: aſt paucorum foliorum iſta reſponſio fuit, prolixiorem enim cum ejus generis hominibus facere nec ſibi decorum nec rei medicæ utile & honeſtum judicavit, memor illius Senecæ: *Noli congredi cum imperitis, nolunt diſcere, quæ nunquam didicerunt.* Prolixiorem tamen tractationem requirebant alia, quæ celebris nominis medicus *Fridericus Hoffmannus* in *clave pharmaceutica Schrœderiana* protulerat dubia; qui quod modeſtia & eruditione tinxerat calamum, & Zwelferi partes moderate ſuſceperat, talem expertus eſt noſtrum, ut pateret, non cum inſulſis tantum, ſed & cum viris doctis congredi noſſe SCHROECKIVM; dubiumque eſſet, utrum plus honoris afferret, hunc in modum vinci vel vincere? Et ita quidem invictus in arena ſtetit, & cum pharmacopœia aliquoties ejus cura, anno ſcilicet 1684. 1694. 1710. aucta & emendata, perpetuam honoris atque famæ conſervavit integritatem.

Alterum, quod luci eruditorum publicæ expoſuit ſcriptum SCHROECKIVS, fata non ſibi tantum, ſed & orbi literario nimis maturo obitu erepti & poſt funera deſideratiſſimi avunculi, *Georgii Hieronymi Welſchii*, medici Auguſtani, & in S. R. I. ſocietate naturæ curioſorum dicti Neſtoris, & noſtri in eum poſtulabant pietas. Quia enim ipſe vir doctiſſimus, cujus ſcripta raram & inſolitam eruditionem ſpirantia æternum Auguſtæ orbisque literati ornamentum erunt, exorſam vitæ ſuæ conſcribendæ telam, mortis telo præventus pertexere non potuerat, noſter non

tantum

tantum privato affectu avunculo, compatri, medico, collegæ, civi monumentum erat poſiturus, ſed ex academiæ naturæ curioſorum inſtituto memoriam tam celebris membri commendaturus. Id quod etiam factum, edita 1678. *memoria Welſchiana* ſive *hiſtoria vitæ ejus*, in qua non de vitæ tantum ejus ratione, eruditione, honoribus, amicis, & quæ alia ſunt, quæ eruditis honorifica eſſe ſolent, ſed & de ſcriptis tum effectis tum affectis, quorum numerum & argumentorum ſingularem raritatem merito ſtupeas, luculenter diſſerit, nobili eoque egregio exemplo, qua ratione ejusmodi biographiæ ſint conſcribendæ, dignusque, cui tot nominibus meritus tribuatur honos, in tanto per duo ſecula Auguſtanorum eruditorum numero admodum rarus, & neſcio quo, pene dixeram ingrato, animo inſolitus, a B. Spizelio demum ex exilio quaſi revocatus. Sed hæc obiter. Quia vero noſtro neceſſitudinis & amicitiæ jure ex ultima voluntate Welſchii opera quædam ejus *ἀνέκδοτα* in manus venerant, noluit ea ſupprimere, ſed deſideriis & iteratis votis eruditorum ſatisfacturus, primo quidem *methodum medendi Walæo-Welſchianam* anno 1679. & altero anno *ejusdem curationum propriarum & conſiliorum medicorum decades X.* edidit: de quibus, cum in vita Welſchii & in præmiſſis præfationibus plura ipſe dixerit noſter, ea huc non transferam, niſi hoc unum addidero, ſtupendam quoque SCHROECKII in his operibus edendis fuiſſe diligentiam & inexpugnabile non ſuis tantum, ſed aliorum quoque obſervationibus rem medicam & literariam juvandi ſtudium, qui tot aureas in deſcribendo ſummo faſtidio mſc. horas utilitati lectoris dicavit, ut ipſe in præfatione innuit.

Plura vero & majora præſtitit nobile SCHROECKII ingenium in edendis *Ioannis Hellwigii*, philoſophiæ & medicinæ doctoris, phyſicique Ratisbonenſis celeberrimi *obſervationibus phyſico-medicis.* Quas

cum poſt funera auctoris nactus eſſet immortalis nominis medicus *Io. Georgius Volckamerus*, medicus Noricus, transmiſit Welſchio, ut ederentur, & hoc quoque fatis functo, SCHROECKIO commendavit, ut & typis exſcribi curaret, &, ubi videretur, ſcholiis adaugeret. Id quod mira felicitate ita præſtitit, ut mirabile & lectu jucundiſſimum ſit, occaſione obſervationum Hellwigianarum tot annotationes enaſci doctiſſimas, tot virorum celeberrimorum exponi cogitationes, tot ſingularia afferri rerum inuſitatarum momenta, unde varia & multiplex Schrœckiana eruditio latiſſime ſe demonſtravit. Quod tamen hanc laudem longe ſuperat, meo quidem judicio, inæſtimabilis ſentiendi & philoſophandi libertas eſt, qua divinum Podalirii noſtri ingenium uſum eſt. Vti enim in omni philoſophia, cujus partem nobilem medicinam conſtituunt, quicunque recte rationes inire norunt, nihil veritati magis officit, quam præjudicia auctoritatis & antiquitatis, quæ ſcilicet incrementis ſtudii medici tantopere hactenus obſtitere, ita noſtrum regiam hanc viam ingreſſum, feliciſſime has cautes & ſyrtes ſuperaviſſe, tum ipſa ſcholiorum Hellwigianis obſervationibus additorum lectio, tum confeſſio præfantis innuit, fatentis, *ſe in libera natum & innutritum republica, artium quoque ipſo nomine liberalium eſſe ſtudioſum, qui abſque alterius injuria, ea in temporum felicitate, qua, quid ſentiamus, libere edicere licet, ſuum non minus animi ſenſum libere exponere voluerit.* Quæ uti egregia, & juſto, ſenſu veræ philoſophiæ plena ſunt, ita in tanto viro imitationem oppido merentur.

Tandem ad plenam, quam ab annis quatuordecim inceperat, concinnandam *Moſchi hiſtoriam* animum adjiciens, eandem ad leges academiæ naturæ curioſorum elaboratam, anno 1682. 4. publicæ luci expoſuit. In ea de moſchi nomine, origine, & variantibus auctorum ſententiis, de animali moſchifero ejusque folliculo locoque natali: de moſcho adulte-

rino

rino veroque, ejuſque natura, qualitatibus, incommodis, virtutibusque in omni fere morborum genere, de doſi moſchi, medicamentis moſchatis, uſusque moſchi ſacro, politico, œconomico, cosmetico emblematico, deque rebus naturalibus moſchatis, tanta eruditione, variæ lectionis copia per auctorum veterum & recentiorum latifundia ſe diffundente, tanto imprimis philologiæ curioſæ præſidio diſſerit, ut impius & ab omni ſolidioris eruditionis ſenſu remotus ſit oporteat, qui non magni Volckameri judicio ſubſcribat, ita de hoc libro canentis:

Dum tractat manibus Moſchum, dum Schrœckius edit,
En! tibi divino tinxit odore librum.

& *Georgii Franci:*

Nil tibi corporei eſt, ſis ſpiritus omnis, oportet;
Nam tua vis replet Solis utramque domum.

Incidebant biennio poſt ſecularia collegii medici, quod ſcilicet A. V. *Lucæ Stenglini* potiſſimum cura, auſpicio vero illuſtris ſenatus Auguſtani anno 1582. erectum ſumma cum laude hactenus floruerat. Cujus memoriam ut ipſe quoque celebraret, edidit hoc anno 1682. *Hygeam Auguſtanam*, ſive memoriam ſecularem collegii medici Auguſtani, inque ea non hiſtoriam tantum ejus & virorum celeberrimorum, qui Auguſtæ floruerunt, in artem ſalutarem merita, ſed ipſius quoque inclytæ reipublicæ in divinam hanc artem benevolentiam & ſtudium elegantiſſime expoſuit, magnamque eo nomine gratiam, tum ab illuſtribus reipublicæ proceribus, tum ab ipſis collegii medici membris iniit, quam multum auxit, cum collegii medici nomine biennio poſt anno 1684. novam eamque multum auctam *pharmacopœiæ Auguſtanæ* editionem pararet, de qua ſupra me dixiſſe memini, otioſe hic non repetenda.

Nondum vero hic indefeſſi & vere ænei ingenii Schrœckiani laborum publicorum finis eſt, ſed enumerandæ jam eſſent tot obſervationes doctiſſimæ, ſum-

maque eruditione refertæ, quas *miſcellaneis academiæ naturæ curioſorum* ſingulis annorum decuriis inſeruit: adjiciendaque doctiſſima ſcholia, quæ aliorum quoque lucubrationibus, ex quo ephemeridum director, & poſtea academiæ præſes creatus erat, addidit. Verum cum hæc ſcriptionis hujus limites excedant, & ex præfixis auctorum indicibus facile colligi queant, ad iſta quidem non deſcendo, id unum annotaſſe contentus, tantam in iis tamque ſingularem emicare eruditionem, ut meritiſſimam honorum ſumorum viam ei mature ſtraverint, largisque laudis & famæ corollis cumulaverint.

Honores. Patuit ea noſtro, cum eruditionis præſtantiſſimæ datorumque de ea ſpeciminum memor illuſtris academiæ naturæ curioſorum præſes, inter ſocios eum, conſueto diplomate exhibito, anno 1677. reciperet, *Celſi* addito cognomine ſocietatisque teſſera. Nec incommode præterque rem hoc ei nomen eveniſſe cenſeo, qui non ſolum ingenium monſtrabat excelſum, & ad magna & ardua natum, cui illud Curtii incitamento ſemper erat: *nihil tam alte naturam conſtituiſſe, quo virtus non poſſit eniti:* ſed qui rei medicæ experientia famigeratiſſimum quoque inter Latinos medicum Celſum non æquabat modo, verum etiam, quæ noſtrorum temporum eſt felicitas & artis perfectio, ſuperabat. Id quod ſumma ſedulitatis & doctrinæ raritate in promovenda, juxta nobile illud inſtitutum, re literaria medicinæ comparavit, exhibitis frequentibus obſervationibus rariſſimis, immo, quod ſupra audivimus, libris quoque, juxta normam ab eo præſcriptam, doctiſſime elaboratis. Quibus artibus cum ſibi magnam ubique famam cum apud Germanos, tum apud exteros conciliaſſet, & perſpectiſſima omnibus eſſet ejus eruditio, ad alia quoque orbis literati decora aditum invenit. Anno enim 1678. Patavinorum academiæ, quæ *Recuperatorum* nomen ſibi ſumſit, a præſide ſummi nominis medico *Carolo Patino*, qui noſtrum impenſe diligebat, & fre-

frequens cum eo inſtituebat literarium commercium, adſcriptus eſt; quam poſtea, anno ſcilicet 1701. *academia phyſicocritica*, & *Romanorum colonia phyſicocriticorum* ſecuta eſt, magnum honorem & ornamentum ex tam nobili tamque claro membro non inanibus votis captantes. Verum & Germania meritorum ejus grate memor, inque augendis ejus honoribus minime ſegnior, de evehendo Schrœckiano nomine admodum fuit ſollicita. Anno enim 1681. ſplendidiſſimo academiæ naturæ curioſorum præſidi, plaudentibus collegis, *adjunctus*, & anno 1685. *ephemeridum* quoque *director* nominatus eſt, quod talis eſſet noſtri eruditio, ut non melius aptiusque iſtud munus, quod & ſingularem induſtriam, & literaturæ, quam dicunt, elegantioris haud vulgarem cognitionem requirit, alii committeretur, fatente in diplomate ipſo præſide. Ex quo tempore quoque noſter non indefeſſo tantum ſtudio, in tanta, qua utebatur, clinicæ praxeos frequentia, in opus hoc incubuit, ut elegantiſſime & ornatiſſime ſemper in publicum prodiret, ſed & tot doctiſſimis obſervationes ſcholiis paſſim auxit, ut haud exiguam illa libri partem ſibi vindicent. Verum & hæc occaſio fuit literarium commercium cum plurimis ſummæque famæ & celebritatis medicis ineundi, ita ut fere ſpondere auſim, vix eſſe medicum alicujus famæ ſcriptisque clarum, a quo non epiſtolas acceperit noſter, vel ad eum miſerit: nec excitabo nomina ex ephemeridibus ab eo tempore, quo earum dirigendarum curam ſuſcepit, facile colligenda. Illud tamen merito dolemus, vix ſupereſſe ſpem, ut tantus theſaurus epiſtolicus lucem unquam videat, cum voluntas viri ſummi obſtare videatur. Vt tamen pateat, quo loco exteri quoque noſtrum habuerint, unam addo, quæ forte fortuna in manus meas devenit, epiſtolam, & ſua elegantia & ſcribentis nomine rariori exemplo commendabilem, quam ſcilicet elegantiſſimi ingenii femina, *Carola Catharina Patina*, patris deſideratiſſimi difficilem obſcu-

rum-

rumque morbum & ſecutam eum mortem ſignificavit, & medicam anatomicamque ejus morbi hiſtoriam, polypum aortæ revelantem, transmiſit, quam quoque SCHROECKIUS *Ephemeridibus Dec. III. ann. I. in appendice p. 87. ſeqq.* una cum epiſtola medica, quæ obſcuriſſimam morbi cauſſam præſagiverat, inſeruit, virginem iſtam eruditione virtutumque ornamentis nobiliſſimam vere prædicans. Ita vero illa:

Illuſtriſſimo Viro Domino

D. LUCAE SCROCIO

Archiatro Cæſareo

Carola Catharina Patina S.

„ POſtquam parens optimus quinque menſium ſpatio „ ſæviſſima & obſcuriſſima ægritudine conflictatus „ fuerit, die decima Octobris poſt repetitos validiſſi- „ mæ orthopneæ inſultus apnoicus occubuit. Ana- „ tomicam hiſtoriam haud ſine lacrimis perlegendam „ tuæ curioſitati ſeu dolori potius ſubjicere putarem, „ cum ſciam, quanta jucunditate ipſius amicitiam ex- „ colueris. Angebatur parens optimus morbi potius „ obſcuritate, quam ſævitia, & pudebat medicum in „ medicinæ emporio ignoto ære, quo ſibi mortem „ compararet, e vivis diſcedere. Culter anatomi- „ cus D. Alexandri Macopii ipſi addictiſſimi, qui ſæ- „ pe de detecto morbo voce & ſcriptis philoſophaba- „ tur, veritatem denudavit. Mæſtiſſimam me ſuper- „ vivere, tibi haud dubium erit, nec alio levamine „ profligabitur dolor, niſi in me eadem benevolentia, „ qua patrem meum proſequebaris, derivata, quam „ ditiſſimam hæreditatem, te quamdiu ſuperſtite, mi- „ hi fata largiantur. Vale vir ornatiſſime, mihique „ & familiæ noſtræ favere perge. Scr. Patavii, lacri- „ mis potius, quam atramento, die 23. Octobris „ 1693.

Multo tamen majores parabantur honores noſtro a ſummo imperii monarcha, LEOPOLDO I. glorioſiſſimæ

ſiſſimæ memoriæ, rerum Germanicarum ſupremo arbitro. Qui auguſtiſſimus imperator uti clementia prorſus ſingulari & æternis laudibus decantanda in bonas literas ferebatur, ita propenſiſſimo quoque affectu tam nobile, famæque Germaniæ multum decus concilians collegium atque inſtitutum proſecutus eſt, quo illud in tutelam ſacri Romani imperii recepit, & præſidem pariter atque ephemeridum directorem S. R. I. nobilium numero adſcripſit, comitum palatii ſacri Lateranenſis axiomate & cæſareæ perſonæ medicorum honore auxit, & alia privilegia conceſſit, tanto imperatore digniſſima, quæ ipſe noſter in *hiſtorica continuatione progreſſus academiæ Leopoldinæ imperialis naturæ curioſorum Dec. II. ann. 88.* adductis diplomatibus cæſareis, pluribus enarrat. Quo honore mactatus SCHROECKIVS, aureo quoque numo, ſacram imperatoris imaginem referente, confirmato, eo non ad efferendam animi ſuperbiam, a qua tantopere abhorrebat, ſed ad promovendas bonas literas uſus eſt. Quo factum, ut cum, Volckamero e vivis ſublato, præſidis illuſtre munus vacaret, excelſum hoc honoris faſtigium unanimi membrorum conſenſu, approbante electionem auguſtiſſimo imperatore, ad SCHROECKIVM devolveretur, cui ab anno 1693. per triginta atque ſex annos tanta accuratione præfuit, ut non minus gloriæ ab eo illuſtris academia, quam ipſe ab ejus præſidio, conſequeretur.

Tam effuſis itaque cum proſequerentur honoribus noſtrum exteri, ſummusque Germaniæ monarcha, impietatis plane accuſanda fuiſſet patria, niſi & ipſa, quantum poſſet, tantum urbis ſuæ atque civium ornamentum evexiſſet. Verum nec ea parcior in hac re fuit. Vt enim taceam Decani collegii medici munere eum prima quidem vice 1683. & per vitam ſepties, inſolito hactenus apud Auguſtanos exemplo, ſumma cum laude fuiſſe functum, anno inſuper 1712. propter ſumma in rem medicam merita ſecretioris ſenatus decreto & juſſu phyſicus primarius, collegii

medici

medici vicarius, & officinarum pharmaceuticarum viſitator perpetuus conſtitutus eſt, tam felici ſucceſſu patrum electionem approbante, ut ſero licet funere humanis rebus hisque muneribus ereptus, impatientiſſimum tamen diligentiæ, doctrinæ, fidei vigilantiæ curæque deſiderium apud omnes relinqueret.

Vita privata. Talis erat, amiciſſime SCHELHORNI, illuſtris SCHROECKIVS, ſi ejus vitæ in theatro orbis eruditi actæ historiam ſpectes: ad privatas ejus circumſtantias quod attinet, matrimonium iniit anno 1678. die 18. Maji cum virgine omnibus virtutis & laudis ornamentis conſpicua, *Anna Catharina Pfanzeltia*, viri nobiliſſimi *Porphyrii Pfanzeltii*, mercatoris famigeratiſſimi, filia, quacum dulce quidem & amicum expertus eſt conjugium, verum non admodum fœcundum, quippe ex quo non niſi unius filii, præmaturo fato poſt annum iterum erepti, pater factus eſt, quam tamen orbitatem doctiſſimis ingenii fœtibus noſter ſolatus eſt, ita ut deficiente SCHROECKIANI ſanguinis ſobole, non deſint tamen filii literarii, libros puto ſumma arte ab eo elaboratos.

Mores. Ceterum nec mores ejus privati hic tacendi ſunt, quibus ſcilicet non minus, quam eruditione, ſe fecit commendatiſſimum. Eluceſcebat enim in eo rara & ab omni fuco remota pietas, quæ etſi ab omni ſpecie & oſtentatione vehementer abhorrebat, radios tamen per totam urbem ſparſit, ita ut non minus exemplo, quam colloquiis multos inſtrueret, & ad paria audenda excitaret. Vſus enim naturalium rerum cognitione ad deprædicandam opificis ſapientiam, toties infinitæ majeſtatis adoravit veſtigia, quoties novas de rebus naturalibus faciebat obſervationes, vel ægrotos mortis faucibus eripiebat. Facile ex his, quæ veritate dictante & tota civitate Auguſta teſte ſcribo, colligere licet, poſito hoc fundamento totum virtutum chorum in illuſtri viro emicuiſſe, quippe cui nec morum ſanctitas & vitæ innocentia, nec frugalis & ſobria vivendi ratio etiam inter affluentes opes, nec re-

verentia

verentia erga ſuperiores, nec ſuavitas vivendi & converſandi, nec fidelitas amicitiæ, nec amor pacis & tranquillitas, nec beneficentia erga pauperes ullo modo deeſſent, in quibus omnibus, ſecundum ſymboli ſui argumentum, *nunquam* erat *otioſus*. Tam nobile itaque literati orbis, & imprimis patriæ Auguſtanæ, ſidus ſero omnino occidere par erat, & in votis habebatur ab omnibus. Annuit divina gratia, quæ orbi erudito præſidium, patriæ ornamentum, ægris ſolatium rara annorum diuturnitate concedebat. Quam divini numinis in ætate provectiore benevolentiam uti noſter medica diætæ ratione, cum quoad animum, tum quoad corpus maxime adjuvit, ita beneficium hoc gratiſſimo agnovit animo. Nec tamen ita rerum humanarum, quæ fluxæ & caducæ ſunt, amore capiebatur, ut cœleſtia non appeteret, nec honoribus & divitiis inter mortales pertæſus, æterna faſtigia & duraturos theſauros anhelaret. Ad hos enim fines ſenectutis imprimis tempora deſtinaverat, & virium decrementa, animi incrementa & itineris feliciſſimi præparationem eſſe voluerat. Qua de re ipſa magis viri maximi, quam mea verba apponere liceat, ita ad me ſuperioris anni veris initio ſcribentis: „Gravior hyemis præſentis ſtatus vires corporis mei, tot „annis jam gravati, non parum debilitavit, capitisque vigorem diminuit, ut de longiori vitæ productione cogitare haud poſſim, immo nec deſiderem, „devotas ſimul gratiæ divinæ, quæ tot me beneficiis „hactenus obruit, gratias agens.„ Quibus artibus bene præparatum, & in ſtatione ſummi imperatoris vocem expectans pectus non potuit non ultimum iter feliciſſimis ingredi auſpiciis, ad quod ſcilicet tam ſollicite ſarcinulas hactenus convaſaverat. Cujus ingrediendi prænuntium ſe præbuit maraſmus ſenilis, qui naturalem vigorem ſenſim enecabat; non ita tamen, ut non totus devotus DEO mira domeſticorum, quique eum viſitaverant, erectione adhæreret. Qua animi præſentia & conſtantia, maxime vero devotione

Obitus.

ſumma & pia in DEI & Salvatoris gratiam & merita fiducia conſpicuus, animam tandem placidiſſima & beatiſſima analyſi reddidit creatori maximo die tertio Ianuarii anni hujus 1730. hora poſt meridiem nona, quartum ſupra octogeſimum annum agens, in quo vere impletum eſſe puto, quod dici ſolet: *Medicum oportere ſenem mori.* Ita quidem rebus terrenis ereptus eſt illuſtris SCHROECKIVS, plangunt Muſæ, dolet patria, lamentantur ægroti, ipſe tamen meliori ſui parte ſuperſtes, divinæ academiæ ſocius adſcriptus coram æternæ ſapientiæ throno inenarrabilia verba diſſerit, æternam interim nominis immortalis poſt ſe trahens nobisque relinquens fragrantiam. Quam in ultima voluntatis quoque ſuæ demonſtratione inſigniter auxit, variis legatis ad pias, quod dicunt, cauſſas deſtinatis. Immo ut orbi literario poſt cineres quoque & favillas prodeſſet, bibliothecam quoque ſuam, optimis & præſtantiſſimis libris refertam, celeberrimæ Auguſtanæ reip. bibliothecæ legato intulit, in qua tam diu de SCHROECKIANI nominis & famæ celebritate loquetur, quam diu honos nomenque laudesque manebunt bonis literis.

Et hæc ſunt, amice jucundiſſime, quæ de tanto viro, uti imperaſti, non tam copioſe & ex argumenti dignitate perſequi, quam inſubida potius & prærupta ſcriptione, qualem meam paupertatem noſti, delineare conſtitutum fuit. In qua tractatione, ſi vel tu vel alii balbutientis offendentur infantia, dabit tamen gratiam & conciliabit benevolentiam argumenti nobilitas, & illuſtre SCHROECKII nomen.

OBSER-

OBSERVATIO XIII.

Commentatio de vita & ratione ſtudii literarii venerandi ſenis, PHILIPPI IACOBI CROPHII, *Rectoris nuper gymnaſii Auguſtani & bibliothecarii publici*, ſocietatis Latinæ Ienenſis membri honorarii, Viri de ſcholaſtica juventute literisque amœnioribus præclare meriti, ad laudatiſſimam ſocietatem iſtam.

§. I.

PLenum humanitate, quod debetur virorum optimorum meritis, officium cum ſit, oblivioni eripere eorum memoriam, & immortalitati tradere laudabile humanam ſibi devinciendi ſocietatem ſtudium, quo & virtutis contentio ali ſolet, & innumera in humanum genus proficiſcuntur beneficia: recte illi facere cenſendi ſunt, qui fatis ereptorum res ſcriptis exponere, & explicare viam connituntur, qua ad æternitatem nominis præſtantiſſimorum meritorum cumulo graſſati ſunt. Quæ imprimis conſuetudo cum ſocietatum literariarum hactenus fuerit, quæ eorum, quos ſuo albo inſcripſere, commendavit autem civitati eruditæ doctrinæ præſtantia pulcherrimis ſpeciminibus comprobata, res literarias in ſuis commentariis enarrare ſolent, & vos quoque ILLVSTRISSIME DOMINE PRAESES, virique ceteri eruditiſſimi eandem benevolentiam viris nonnullis doctiſſimis præſtiteritis, quos circulis veſtris eripuit humani fati conditio: non abluſurum me a ſcopo, quem vobis præfixiſtis, ſpero, ſi vitam resque literarias venera- *Occaſio ſcriptionis.*

 bilis

bilis quondam ſenis, PHILIPPI IACOBI CROPHII athenæi Auguſtani rectoris & bibliothecæ publicæ curandæ præfecti, brevi commentatione explicuero. Ille enim & elegantiarum Latinarum tam fidelis cuſtos fuit, ut juvenes ſuæ inſtitutioni commiſſos magna fide & dexteritate ſingulari ad formandam juſtam ejus linguæ imaginem duceret; & vobis, viri optimi viros nonnullos ſuppeditavit, jugi labore ita effictos, ut vos non puduerit, eos ſocietati veſtræ adſcribere: tandem vero ille vobis viſus eſt, a quo nonnihil honoris nobili inſtituto, ſi adſcriptus reliquorum numero eſſet, exſurgeret. Eum autem cum præceptorem ego habuerim, & triginta fere annos familiariter cum eo vixerim, ſoceroque tandem gaviſus ſim, & pietatis officium, & rationes illius honoris, quo me nuper in illius locum ſuffectum mactaviſtis, a me poſtulare videntur, ut, qui omnium optime illum novi, & quibus artibus nomen poſteritati commendaverit, intelligo, paucis ediſſeram, & virum doctum bonumque, & de literis atque juventute literarum ſtudia æmulante optime meritum fuiſſe, dignumque, cujus in annalibus literariis conſervetur nominis meritorumque memoria.

Origo, nativitas, educatio literaria. §. III. Dedit literis ornamento & præſidio futurum noſtrum Auguſta Vindelicorum, III. non. Sept. anni clↃ IↃcLXVI. in hanc vitam progreſſum. Et fuiſſe quidem a multis ſeculis fœcundam virorum doctiſſimorum matrem Auguſtam, nemo in annalibus civitatis literatæ adeo peregrinus hoſpes eſt, ut ignoret: in hoc autem viro edendo, formando, promovendo, alendo ad id reſpexiſſe videri jure poteſt, ut haberet, quem viris magnis & in campo literario omnium judicio immortali gloria currentibus Betulejo, Wolfio, Hœſchelio, Heniſchio, Ehingero, Reiſero ſucceſſorem daret, nec doctrinæ copia, nec inſtitutionis ſcholaſticæ dexteritate, nec meritis indignum. Illum autem parentem nactus eſt, a quo non modo virtutis & doctrinæ exempla multa atque præclariſſima

ma poſſet accipere, ſed & cujus judicio atque ſtudio ita formari poſſet, ut egregie aliquando locum in civitate erudita tueretur. Fuit is vir plurimum reverendus atque eruditiſſimus, Ioannes Crophius, qui in gymnaſio prius Annæano docuit, poſtea alumnis regendis ephorus præfectus eſt. Is ex diſciplina Io. Henrici Bœcleri erat profectus, & ab hoc optimo præceptore in philologiæ ſacræ & profanæ, omnique humanitatis ſcientia ita formatus, ut inter egregios celeberrimi viri diſcipulos numeraretur, tanta autem judicii præſtantia & diligentiæ contentione in effingendis literarum cultu adoleſcentibus ſelectis verſatus erat, ut viri inde ſummi & reipublicæ Auguſtanæ moderatores æternam nominis meritorumque famam conſecuti ex ejus diſciplina exſurgerent. Sed & fratrem noſter habuit, natu majorem Ioannem Baptiſtam Crophium, veteris literaturæ cognitione præclariſſimum, cujus nobile ſpecimen reliquit, *antiquitates Macedonicas, ſive de regio Macedonum principatu, moribus atque militia diſſertationem*, dignam, quam ὁ πάνυ IO. GEORGIVS GRAEVIVS, accuratiſſimus hujus eruditionis generis arbiter, immortali operi *antiquitatum Græcarum*, *tomo ſexto*, inſereret. His domeſticis exemplis excitato & patris atque fratris inſtitutione efformato, cum præceptorum, qui tum in gymnaſio Annæano docebant, maxime rectoris, Georgii Friderici Magni, viri doctiſſimi (*) diligentia acceſſiſſet, dici non poteſt, quam fideliter ſcientiarum ſemina, prudenti ſolertique manu ſparſa, retinuerit ager animi probe cultus & natura fœcundus. Eas enim animi dotes noſter a natura acceperat, quibus capere feliciter omnia, & accurate diuque ſervare, & ad rectos uſus judicio adhibito reponero, futuræ vero eruditionis ædificio fundamenta ſubſternere certa poterat. Non itaque velitarius miles

(*) Ejus vitam Noſter enarravit in *hiſtoria athenæi Auguſtani P. II. p. 241. ſeqq.*

lis & inexercitatus ad palæſtram literariam in Ienenſem academiam anno clɔ Iɔ c LXXXVI. ineunte vere ablegatus eſt, ſed eam doctrinæ copiam attulit, quam haud pauci, ignava opera inſtitutionis fidelitatem eludentes, & fucorum inſtar viventes, ne tunc quidem referunt, quando eruditionis cujusdam ſuperficiariæ opinione tumentes ex academiis redeunt, vacuis plerumque loculis & ingenio, plenis ſtolida præſumtione animis. A qua peſte juvenum literis dicatorum memini ſæpius noſtrum adoleſcentes ſuæ curæ traditos vehementer fuiſſe dehortatum, & multoties hanc noſtræ ætatis ſcabiem ſuſpiriis & gemitu propter innumera, quæ in civitatem ſacram atque profanam inde redündant damna, doluiſſe.

Vita & ſtudia academica. §. III. Parentem noſter tum amiſerat, cum academicam palæſtram initurus eſſet: id quod haud exiguam ſtudiis ejus cladem minabatur. Factum tamen divinæ providentiæ conſiliis, ut non modo patriæ proceres benevolentiſſimos experiretur, ſed in academiam quoque Ienenſem delatus præceptores inveniret, humanarum divinarumque rerum cognitione præclariſſimos, & magna doctrinæ fama inter eruditos eminentes, docendi facilitate & felicitate autem juventuti ſcholaſticæ utiliſſimos: & imprimis viro optimo traderetur, a quo non minori, quam parentes ſolent, fide ejus cura haberetur. Nempe vixere tum in celeberrima academia magni viri Bajerus, Danzius, Sagittarius, Schubartus, Posnerus, Slevogtius, Schmidius, in quorum meritis commendandis ſi prolixus fuero, haud levem lectori rerum eruditarum ejus ætatis ignorantiam tribuere videar. Ab optimis itaque præceptoribus illis artibus formatus eſt, quibus ſacrarum diſciplinarum rationes recte tenere, & imprimis humanitatis ſtudiis feliciter inſudare poterat. Muneri enim ſcholaſtico aliquando cum laude obeundo ſe potiſſimum diſtinaverat, ita tamen ut eccleſiæ quoque miniſterio aptus eſſet. Ex quo facile intelligi poteſt, non modo theologorum præſtantiſſimorum ab

ore

ore eum diligenter pependiſſe, ſed imprimis quoque philoſophiæ & philologiæ, & Latinæ Græcæque linguæ atque antiquitatum ad eas reſpicientium ſtudiis maxima contentione invigilaſſe, adjeciſſe quoque mathematum & hiſtoriæ præſidia. In quo non deteſtabilem multorum morem ſecutus eſt, qui aut iſtas plane diſciplinas velut otioſas & pani olim lucrando inutiles prætereunt, aut leviter tantum, velut canis & Nilo, tangunt, ita vero doctrinam encyclicam negligentes, maximis eruditionis præſidiis ſe ſpoliant, & in ſublimiori quoque eruditionis genere plerumque infeliciter leviterque verſantur. Quod quam damnoſum ſit, & evertendæ felicitati non modo juventutis ſcholaſticæ, ſed & civitatum & eccleſiarum, quibus poſtea regendis præfici ſolent, aptiſſimum, vir optimus haud raro diſcipulis enarrabat, imo proceres quoque rei ſcholaſticæ præfectos monebat. Huic vero inſtitutioni cum par attuliſſet ingenium erectum & attentum, & genuini candoris rectique ſenſus pectus addidiſſet, eam autem diligentiæ rationem haberet, eam ſtudiorem contentionem aleret, qua inferior haberi poterat nemini, dici non poteſt, quam præclare omnique ſpe pulchrius in iſto ſtadio abſolvendo perrexerit, quanta alacritate præceptorum hortantium & calcar addentium voces exceperit, quæ diligentiæ teſtimonia ab iis acceperit, & quam dignus fuerit, cujus eruditio & induſtria vehementer commendaretur. Retulit itaque poſtea ampliſſima diligentiæ, doctrinæ, morumque teſtimonia, dignusque judicatus eſt, qui omnium amorem & benevolentiam mereretur.

§. IV. Plurimum autem adjuvit Crophianam contentionem, eruditionis ſtadium, quibus liceret greſſibus emetiendi, Ioannes Andreas Schmidius vir ſummus, & tum quidem matheſeos atque philoſophiæ publicus in ſchola Ienenſi doctor, poſtea vero in Iulia ſacrarum literarum profeſſor & abbas Vallis Mariæ, innumeris de re literaria atque eccleſia meritis immortalem nominis gloriam conſecutus. In eo *Præſertim ſub Io. Andr. Schmidio.*

 enim

enim noſtro præceptor contigit, qui paterna cura atque fide non tantum ab ore ejus mathemata & philoſophiam tradentis pendentem erudivit ſed & juventutem ejus regere, conſiliis adeſſe, doctrinæque rationes, etiam arcanas pandere, & quamcunque poſſet, opem ferre atque auxilium ſtuduit. Nam & ipſe vir optimus ſimilem benevolentiam fidemque a noſtri parente erat expertus. Cum enim Auguſtanorum procerum beneficentia olim, orbus & exul, eſſet in collegio, quod vocant, inter alumnos receptus & educatus, Crophium patrem præceptorem habuit genitoris officiis non parcentem, ut adoleſcentem ad præclara quævis graſſantem in eo curſu adjuvaret. Cujus beneficii memor Schmidius, cum præceptoris memoria gratiſſima eſſet, nihil omiſit eorum, quæ noſtro in ſtudiorum curſu rite tenendo & abſolvendo utiliſſima fore intelligebat. At quantus in omni doctrina ſacra pariter & philoſophica ille ſtudiorum moderator fuerit, tot theologi & philoſophi celebratiſſimi ſpecimina literaria loquuntur, ut his inhærere opus haud ſit, præſertim cum omnia eleganter expoſuerit diſſertiſſimus illuſtris MOSHEMII calamus (*). Hunc itaque cum ducem arbitrumque ſtudiorum, hunc cum conſultorem & adjutorem haberet, facile intelligi poteſt, quanta inde utilitas juveni ſcientiarum ardore flagranti, & omnem veri diſciplinam animo complecti cupienti enata fuerit. Maxime vero laudandum in ſummo viro, quod ad veteris eruditionis fontes Crophium duxerit, ſcriptoresque Græcos & Latinos nocturna diurnaque manu verſandos commendaverit. Hac ratione enim a ſuperficiariæ eum eruditionis larva prudenter avocavit, quæ loquentia inani auram vulgi captat, nihil vero habet, quod ſolidum dici queat. Itaque dum per vetuſtiſſima ſapientiæ divinæ & humanæ monumenta noſter volutatur, dum de veterum moribus, ſententiis rebusque curioſus diſquirit, Græcæ ſimul atque Latinæ linguæ

(*) In *memoria Schmidiana, Vol. I. Diſſ. ad hiſt. eccl. pert.*

guæ eum ſibi uſum comparat, ut cum paucis commilitonum poſſet comparari. Hiſtoriam vero ſapientiæ veterum præ ceteris amplexus, raro ejus temporis exemplo plurimum in hoc doctrinæ genere valuit. Cujus ut ſpecimen publicum extaret, anno cIↃ IↃ cLXXXVIII. in cathedram publicam a Schmidio deductus diſſertationem egregiam *de gymnaſiis Athenienſium literariis* proprio Marte conſcriptam virorum doctorum examini ſubjecit. In qua eleganti tractatione mirandum eſt, virum juvenem, vix biennium in academica palæſtra exercitatum, de argumento a nemine hactenus ſatis & pro dignitate excuſſo explicatoque inſigni lectionis veteris copia ea attuliſſe, quibus poſt iſta tempora haud ita multa ex affluentiſſimis Menagii, Stanleji aliorumque ſcriptorum hiſtoriæ philoſophicæ horreis potuerunt adjici: ut taceam raram eo tempore avem illum fuiſſe, qui talia attingeret, feliciorem & rariorem, qui cum laude & doctrinæ teſtimonio in eo argumento verſaretur. Recte itaque pronuntiavit B. IAC. FRID. REIMMANNVS, *ita auctorem* (quem tamen Schmidium fuiſſe putat,) *hæc gymnaſia deſcripſiſſe, ut omnibus ejusmodi argumentum in poſterum occupaturis exemplo eſſe queat* (*). Talis cum eſſet, dignus ab academiæ patribus habitus eſt, cui poſt probatam examine doctrinam ſummi in philoſophia honores menſe Octobri ejus anni conferrentur.

§. V. Hactenus feliciſſimis auſpiciis in Muſarum Salanarum caſtris Chrophius militaverat, jam & Lipſienſibus nomen dare ex ſuorum conſilio conſtituit. Eo in loco per annum fere verſatus, maxime a theologorum, qui ibi docebant, celeberrimorum ore pependit. Et longiorem ſine dubio in illa academia moram feciſſet, niſi ſumtus ingraveſcere ſenſiſſet, quos non niſi modicos facultates ejus patiebantur. Ienam itaque repetiit, ea quæ a præceptoribus audiverat, lectione & meditatione ad juſtam maturi- *Reditus ex academia.*

(*) In *idea ſyſtem. antiq. liter. P. II. §. 15. p. 84.*

turitatem perducturus. Quo in opere dum verſatur, & rem ſuam gnaviter urget, deſiderium reviſendæ patriæ ex improviſo, juſta vero ex cauſſa, accenditur. Nempe tempus illud inſtabat, quo IOSEPHVS glorioſiſſimæ memoriæ princeps Auguſtæ Vindelicorum rex Romanorum eligendus erat atque inaugurandus. Quæ imperii ſolennia eo minus negligenda eſſe noſter judicabat, quo minus eum latebat, hujus generis panegyres, ad quas celebrandas tota fere Europa ſolet confluere, vitæ quoddam theatrum eſſe, in quo omnis generis, nationis morumque homines conſpiciuntur. Quorum rationes expiſcari, moresque gentium noſcere, & quid vitæ diſcendum ſit, quid civilis prudentia obſervandum jubeat, cognoſcere, magnum momentum habere in vivendi & philoſophandi ſapientia noſter ſatis intelligebat. Menſe itaque Auguſto anni cIↃ IↃc LXXXIX. domum redux factus, ſtudiorum profectus pulchris ſpeciminibus Mæcenatibus atque fautoribus demonſtravit, & ad confluentes ex omnium regionum angulis populos, quorum innumera turba Auguſtæ ſolennibus coronationis regiæ interfuit, ita attendit, ut prudentia morumque cognitio plurimum ex eo aleretur. Nunquam tamen a propoſito ſemel ſtatuto ſe dimoveri paſſus eſt, id imprimis reſpiciens, ut quos collegerat, theſauris, aliis iterum rite inſerviret. Cujus exoptatam occaſionem ei annus cIↃ IↃc LXXXIX. obtulit.

Munus collatum. §. VI. Nempe filio moderatorem ſtudiorum quærebat Georgius Hannibal S. R. I. Comes ab Eck & Hungersbach, ducatus Carinthiæ & Marchiæ Vinidorum architriclinus, qui tum temporis Reginoburgi ſedem fixerat. Huic cum valde commendata eſſet Crophiana eruditio, formandis imprimis doctrina juvenum animis tota adaptata, eum in familiam ſuam adſcivit, in qua ſexennio vixit. Habebat autem noſter herum ſtudiis apprime innutritum, & optimas diſciplinarum rationes edoctum, qui filium ſuum Fridericum Iulium, maximæ ſpei juvenem, prudenter digno-

dignoque majorum ſplendore & natalium decoribus modo educandi curam indefeſſam alebat. Cui expectationi Crophium valde feciſſe ſatis, vel ex una ſexennii mora, quam in iſto munere fecit, intelligitur. Lætiſſimis autem ſucceſſibus incrementa cœpit diligentia illuſtriſſimi juvenis, per elegantiſſimarum diſciplinarum vireta non obiter ducti, quod parens deteſtabatur, ſed per omnia latifundia accurate verſati, adeo ut habito publico examine, cui intererat, quicquid literatorum urbs comitiis frequentiſſima alebat, omnium ſpem atque expectationem ſuperaret. Id quod haud parum famæ atque dignitatis noſtro conciliavit, & cum illuſtriſſimi comitis benevolentiam comparavit, quam ad vitæ finem ſibi dulciſſimam omnique voto majorem fuiſſe noſter multoties teſtatus eſt. At nec illi ipſi hæc mora Ratisbonenſis ſine emolumento effluxit, eo quod in ampliſſimo hoc theatro conſtitutus occaſionem nactus eſt, viris multis primæ notæ atque conditionis innoteſcendi, qui doctrina atque prudentia præclariſſime effulgebant, & ex quorum conſuetudine haud parum Crophiana profecit induſtria. Eo autem tempore, anno ſcilicet cIↃ IↃcXC. factum, ut cum carminis Germanici & Latini copia noſter emineret, facilique vena uteretur, a fratre palatii cæſarei comitibus adſcripto lauream poeticam acciperet, quam in ſolenni panegyri ex parentis voluntate ejus capiti impoſuit illuſtriſſimus diſcipulus. Quem tandem, academicis ſtudiis jamjam maturum, relinquere coëgit vocatio ab ampliſſimo ſcholarcharum Auguſtanorum collegio ad ſubeundas præceptoris publici vices in gymnaſio Annæano exſpirante menſe Septembri anni cIↃ IↃcXCV. miſſa. Cui cum parendum erat, non ſine publico fidei & dexteritatis teſtimonio eum diſcedere illuſtriſſimus herus voluit. Convocatis itaque viris ſummis & dignitate atque natalium ſplendore & doctrina conſpicuis publica oratione una cum diſcipulo vale dixit, & non ſine lacrymis ex familia comitis innume-

ris benevolentiæ teſtimoniis cumulatus in patriam abiit.

Schola Auguſt. præfectus.

§. VII. Suſcepit commiſſum munus Crophius præſente magnificorum ſcholarcharum collegio prid. id. Dec. ejus anni, & oratione id quoque ſolenni *de harmonia ordinis ſcholaſtici & œconomici* habita auſpicatus eſt. Talem autem patria lætiſſimis ſpeciminibus experta eſt, qualem fore expectaverat, & parentis fratrisque exemplum promiſerat. Egregie enim proficiebant adoleſcentes ea ætate ipſius curæ commiſſi, qua ad penitiorem Latinæ linguæ cognitionem & ad haurienda diſciplinarum encyclicarum rudimenta manu ſolent duci. Quos ita formavit, ut fundamenta prudenter jaceret, cuncta exercitatione firmaret, neceſſaria urgeret, jucunditatem diſciplinæ adderet, mores probatos effingeret, ſicque ſpem patriæ, (nobiliſſimam enim Auguſtanæ juventutis partem publica privataque cura regebat) miro artificio augeret atque roboraret. Qua fide atque docendi prudentia adeo procerum Auguſtanorum benevolentiam ſibi devinxit, ut cum ineunte anno cIↃ IↃccIV. rector gymnaſii Georgius Fridericus Magnus muneri ſe abdicaret, communi ſecretioris ſenatus & ſcholarcharum collegiorum ſententia ampliſſima iſta provincia una cum cura bibliothecæ publicæ ei demandaretur. Quam ſpartam difficillimis reipublicæ temporibus ornandam ſuſcepit, eo quod urbs a Gallico exercitu occupata ab hoſtium jugo vehementer premebatur. Quæ calamitas publica tanta fuit, ut haud pauci actum eſſe de ſalute reipublicæ anxie ſubtimerent. Neque tamen illa tempeſtas noſtri animum dejecit, ſed imperterritus gubernacula naviculæ illius, quam regendam acceperat, capeſſivit, eamque fidem, vigilantiam, curam gymnaſio regendo adhibuit, ut inter medios fluctus, quibus civitas mire turbabatur, curſum rite teneret, ſervaretur autem præſtantiſſimum, quod in ea ſchola res publica Auguſtana habet, palladium. Nec defuit divinæ providentiæ auxilium, quod noſtri animum erexit confirmavitque, quo cum

menſe

menſe Auguſto miraculoſo eventu liberaretur civitas, noſter inter primos fuit, qui Numini conſervatori & liberatori hoſtias offerret, muneris auſpiciis oratione ſolenni, quam flamma hactenus bellica impediverat, factis, quibus *jucundam triſtium recordationem* civibus commendando, quid a Deo patriæ, ſcholæ, ſibi diſcipulisque promitteret, facundo, quo utebatur, ore deprædicavit, proque imperatoris, imperii, patriæ patrumque ejus, ac gymnaſii felicitate vota publica nuncupavit. Anno autem ſequente Ioſephum I. glorioſiſſimæ memoriæ imperatorem carmine vernaculo ſalutavit, ea clementia excepto, ut ejus ſpecimen imperator numo aureo majori ſanctiſſimam ejus imaginem gerente extare voluerit. Qua felicitate Crophius noſter etiam a Carolo VI. imperatore nuper, eheu! noſtro clementiſſimo mactatus eſt, cum adventum ei in urbe Auguſta humillima ſalutatione gratularetur.

§. VIII. Muneri hunc in modum graviſſimo præfectus totis viribus in id incubuit, ut ei rite præeſſet, ſalutemque gymnaſii juventutisque ſcholaſticæ ſupremam ſibi legem figendo, omnem animi contentionem, vimque doctrinæ, quæ haud levis illi inerat, eo conferret, ut in hoc reipublicæ plantario educarentur juvenes, quibus ſalus eccleſiæ & reipublicæ ſuo tempore tuto poſſet committi. Quod qua ratione efficiendum ſibi eſſe ſtatuerit, quemque eventum ſortita ſit ejus induſtria, poſtea enarrabo. In præſentia autem id non prætermittendum eſt, multum curæ in eo poſuiſſe beatum virum, ut juventus ſcholaſtica vitæ quoque foroque præparetur, captaque dicendi facultate diſceret perſonam publicam effingere. Quem ſcopum ut attingeret, celeberrimorum anteceſſorum exemplum imitatus, in ſcenam aliquoties juvenes deduxit, orationibus autem publice habitis dicendi vires illis confirmavit. Et illius quidem rationes haud paucas habuit. Intellexerat enim, quam felici ſic via ad eloquentiam veram atque maſculam

Ratio muneris cum laude geſti.

ſculam duci queant juvenes, & quanto ſucceſſu viri ſummi, & docendi peritia immortale nomen conſecuti hac palæſtra uſi ſint, ut adoleſcentes ad juſtum dicendi habitum iſtis exercitationibus præpararent. Quod argumentum cum mira perſpicuitate expoſuerit diſertiſſimus incomparabilis viri, SAMVELIS WERENFELSII (*), calamus, noſter autem celeberrimi theologi rationibus mirum delectatus ſit, ad hunc conſulendum lectorem ablegamus. Ipſe vero exempla in theatrum deducenda ſuo ingenio ſemper debuit: eo quod non extarent, quibus in magno juvenum ad actionem ducendorum numero commode duci poſſet. Id quod eum coëgit, a ſeveritate legum, quibus iſtud poëſeos genus circumſcribitur, certoque tempore definitur, interdum diſcedere, & ampliorem ſibi campum deligere. Quem dici non poteſt, quanta ingenii felicitate abſolverit, quanta dicendi elegantia & caſtitate veteris Græciæ Latiique floribus eum reſperſerit, qua arte morum characteres expreſſerit, quanto artificio adoleſcentes exercuerit, & quanta ſolertia ea omnia abeſſe curaverit, quæ rigidiſſimo cenſori diſplicere queant. Idem orationum publicarum exercitio factum eſt, quas imprimis frequentes eſſe voluit, ut haberent auditores, quibus profectus ſtudiorum proceribus patroniſque probarent. Maxime autem ſolennia publica, (jubilæa vocari mos eſt,) iſto exercitationum genere curare ſolebat. Qualia de exſtructo gymnaſio, deque ſacris repurgatis Auguſtæque publica confeſſione anno cIc Iↄ XXX. probatis aliiſque occaſionibus quinquies celebravit.

Virtutes ſcholaſticæ. §. IX. In hoc gravi vero & ampliſſimo munere ita ſe vir optimus longo triginta atque octo annorum ſpatio geſſit, ut & vivus omnium in oculis ferretur, & defunctus impatientiſſimum ſui deſiderium relinqueret. Non memorabo in præſentia, qua vel reverentia ſuperiores, & imprimis magnificum ſcholarcharum collegium proſecutus ſit, vel qua fide & humani-

(*) In *orat. de comœdiis Opp. p. 793. ed. prioris.*

manitate collegas rexerit, ſed qualis tum in curando gymnaſio tum in docendis juvenibus curæ ſuæ commendatis fuerit, paucis ediſſeram. Aderat autem viro perſpicaci, & tum doctrinæ auxiliis inſtructo, tum avi, patentis, fratrisque & anteceſſorum quoque obſervationibus adjuto, maxime vero multorum annorum experientia firmato, accurata ſcholæ,quam gubernandam acceperat, notitia. Plurimum enim intereſſe ſemper ratus eſt, ut non ingeniorum tantummodo rite perſpiciendorum facultas docenti adſit, isque ipſum diſciplinarum ordinem, quem circulus eruditionis ſolet ſuppeditare, rite teneat, ſed ad ejusquoque loci genium hominumque, ex quorum filiis ſcholæ cives colliguntur, indolem practica prudentia attendat, eaque in rem præſentem deducere ſatagat, quæ ob iſtas circumſtantias non impoſſibilia videri queant. Quæ ubi negliguntur, probe intelligebat vir prudentiſſimus, tot ac tanta doctori ſcholaſtico impedimenta ſe objicere, quæ haud facile ſuperari poſſint, & quibus incrementa rei ſcholaſticæ mirum quantum ſufflaminentur. Cujus ipſi exemplum ob oculos verſabatur luculentiſſimum magni cetera viri, & immortalis gloriæ Hieronymi Wolfii, qui ſe non ſatis ad Auguſtanæ civitatis indolem, mores, circumſtantias attendiſſe, & hinc amaroribus innumeris vitæ dies repleviſſe, haud ſemel in vitæ ſuæ hiſtoria (*) prodidit. Noſter itaque, qui non ex aliarum vultu ſuam ſcholam metiebatur, pulchreque noverat, multa expedire aliis in locis, quæ domi obſunt magis quam proſunt, in id potiſſimum ſibi connitendum eſſe ſtatuit, ut qua poſſet, via proxima ſuæ diſciplinæ commiſſos ad pulcherrimarum ſcientiarum cognitionem perduceret, ſe autem gymnaſii circumſtantiis & temporum hominumque rationibus ita attemperaret, ut ſalva maneret ſcholæ ſalus atque incolumitas. Qua de re quot quantosque animi fluctus fideique omnem ob id lapidem movere conantis ſollicitudines exper-

(*) Vid. *ſynopſin biographiæ Wolfianæ a me editam p. 34. 40.*

expertus ſit, ego, in cujus ſinum curarum partem effundere ſolebat, omnium optime novi. Alligatus autem erat methodo præſcriptæ, quæ a Wolfii tempore frequentibus mutationibus formata tandem manu quaſi ad ipſum devenerat(*), quæque in ſe quidem culpari valde non poterat, at incommoda, quod fateor, in quibusdam videbatur noſtræ ætati, aliam eruditionis effigiem ſibi depingenti. Aſt his noſtris temporibus adoleſcentes educandos eſſe probe noverat. Multum itaque curarum vir pius, & quodam conſcientiæ tenerioris ſenſu æger ad id adhibuit, ut ea gymnaſii conditio eſſet, quæ facere, quod poſſit, ſatis deſideriis parentum, ſuppeditaret. Itaque neque auditoribus ſuis recentioris philoſophiæ, hiſtoriarumque & geographiæ præcepta invidit, nec inferiorum claſſium methodum, quantum licebat, emendare neglexit. Quos autem nævos viderat, videre autem vir acutus fere omnes facile pro acumine & experientia ſua potuit, eos ampliſſimo ſcholarcharum collegio candide detexit, & rogando, inſtando, monendo, calcarque addendo, & voce & libellis ſcriptis rem gymnaſii promovere contendit. Inde enatæ conſultationes ſcholaſticæ graviſſimæ, queis ampliſſimum ſcholarcharum collegium de emendanda diſciplina ſcholaſtica aliquoties modeſte monuit, & quo pacto immutari nonnulla ad adoleſcentium utilitatem poſſent, luculenter expoſuit. In quibus libellis regnat prudentia didactica loci hominumque circumſtantiis accommodata, quæ cum multorum annorum experientia nixa ſit, digni ſane eſſent, qui lucem publicam viderent. His vero impedimentis licet valde ſufflaminari ſentiret noſter induſtriam ſuam ſtudiumque, gymnaſii res, quantum poſſet, promovendi, ita tamen ejus curam geſſit, ita providit diſciplinæ ſcholaſticæ, ut quæ deeſſe judicabat, publica privataque inſtitutione ipſe perficeret, ſic ut non defuerit ado-

(*) Eam in *hiſtoria gymnaſii Annæani P. I.* ſtrictim delineavit.

adoleſcentibus occaſio favens & aperta in literarum ſtudiis proficiendi, & is juvenes quam plurimos ex diſciplina ſua in academias dimiſerit, qui probata doctrinæ ſoliditate impigre in ſublimioris eruditionis ſtadio progreſſi ſunt, multi in patria ſummis muneribus cum laude præfecti, nonnulli præclaris ingenii monumentis in civitate erudita famam nomenque nacti. Vivunt autem pauci in Auguſtana civitate ſacris pariter atque civilibus muneribus conſpicui, & multis nominibus de patria pulcherrime merentes, qui non Crophium præceptorem habuerint, & ad illum doctrinæ, qua enitent, partem & fundamenta grati referant; in funere vero viri deſideratiſſimi lacrymis & vocibus teſtati ſint, quanta pietate profiteantur, præclare eum de ipſis meruiſſe.

§. X. Non magnopere vero mirandum eſt, omnium eum diſcipulorum pectora ſibi devinxiſſe; ita enim inſtitutionem juvenum animis adhibebat, ut non ſeveritatem diſciplinæ, ſed paternæ curæ amorem ſentirent, omnisque inſtitutio non laboris moleſtiam, ſed ſtudii jucunditatem præ ſe ferret. Namque non tædioſum longorum & multorum præceptorum iter urgebat, ſed exemplorum uſusque praxin præeundo ducendoque inculcabat, idque illa prudentia faciebat, quæ diſcendi tædia mira arte tegeret, & quandam diſciplinarum jucunditatem ingeneraret. Vnde non legibus ſe methodi ita conſtringebat, ut non converſando, diſſerendo, excurrendoque interdum ad literarum amœnitates, alacritatem diſcipulorum aleret, augeretque attentionem, mire ad præceptoris fidelis & prudentis ductum erectam. Quo factum eſſe multis exemplis compertum eſt, ut maxima contentione ſe ſtudiis juvenes ingurgitaverint, & veterum ſcriptorum lectione immerſi eos potiſſimum fructus retulerint, quibus in academiam nonnulli veſtram delati meruerunt, ut veſtro, viri præſtantiſſimi, albo ob Latinæ linguæ uſum & exercitationem adſcriberentur. Eandem curam ſplendidæ

Educatio juvenum ſcholaſtica.

quo-

quoque reipublicæ Auguſtanæ bibliothecæ præſtitit, & imprimis virorum doctorum, qui ad hos theſauros inſpiciendos conſulendosque accurrerunt, conatus & ſtudia ita adjuvit, ut promtiſſimo inſerviendi ſtudio eminuiſſe merito ſit dicendus, ſintque inter epiſtolas virorum eruditorum ad noſtrum datas haud paucæ, quibus gratiſſimum hoc nomine illi animum teſtati ſunt.

Corporis animique imago. §. XI. Et hoc quidem modo hacque diligentia, per dimidium fere ſeculum rara felicitate vir optimus Pindo Auguſtano præfuit. Acceperat enim a natura corpus robuſtum, faciem liberalem, frontem non ſcholaſtica ſeveritate rugoſam, ſed humanitate & lepore gratam & apertam, ſanitate autem uſus erat firma, talique, quæ immenſi laboris moleſtiam perferre poſſet. Vnde quanquam a primo mane ad ſeram usque veſperam labore vere concatenato eoque haud parum moleſto obrueretur, & quotidie plerasque horas in pulvere ſcholaſtico volutaretur, a morbis tamen ad ſenectutem usque immunis conſervatus eſt. Senex poſt febrem catarrhalem vertigine & aſthmate vexari cœpit, quæ tamen ſenilis ætatis incommoda medici providentia & uxoris cura valde de eo ſollicita feliciter levavit. Ingenium autem nactus erat largis a Numine dotibus inſtructum & ſupra modum elegans. Et in judicando quidem cunctator interdum videri poterat, eo quod matura rerum experientia providentiam ſuaderet, at certiori cuncta & ſolido fundamento ſuperſtructa excuſſit, digeſſit, perfecit. Vnde haud ſemel eum mihi juvenili ardore ad conſilia literarum properanti ſe cunctatorem objeciſſe, & cunctando rem Romanorum reſtituiſſe Fabium monuiſſe memini. Vbi vero accurate rem omnem exploraverat, valde certus erat & ſolidas ſententiæ rationes præ ſe ferebat. Ingenii autem ſtrictiori ſignificatione ita dicti tanta amœnitate gaviſus eſt, qua gaudere homo potuit. Vnde miram inventionis hylen animo ſervabat, & imagines rerum aptiſſime

jun-

jungendo, in illis artibus præclare eminebat, quæ ab imaginandi virtute proficiſcuntur. Hinc facilem largamque carminis venam nactus eſt, & imprimis ſymbolicæ doctrinæ artificio ita excelluit, ut cum paucis poſſet comparari. Prodierunt autem pauca apud Auguſtanos opera, imaginibus artificum, quibus ea urbs abundat, condecorata, quæ non Crophianum ingenium pulchre adjuverit. Valde vero ea cogitandi elegantia in ſermonibus quoque effulſit, quos miro lepore & dicendi jocandique cum gravitate acumine temperabat, véterum ſententiis aptiſſime ſuis locis adhibitis, quæ res, dici non poteſt, quantum ejus converſationem ſummis imisque commendaverit. Aſt cum utile dulci miſceret, nemo niſi melior ab ejus colloquiis diſceſſit. Vnde factum, ut accedente canorum reverentia vultusque ſereni gravitate & decore omnibus plane eſſet venerabilis.

§. XII. Non minores autem viro præſtantiſſimo inerant virtutes animi, ſinceræ pietatis fructus elegantiſſimi. De quibus ne nimium dixiſſe videar, adducam verba collegarum, auctoritate & conſenſu generoſiſſimorum ſcholarcharum funus ejus indicentium, quibus inter alia ad totius civitatis conſcientiam provocantes ita de eo pronuntiarunt. *Cum & ingenii opibus polleret, & doctrina præſtantiſſima ornatus eſſet, tantam tamen eruditionis curam non habuit, quantam animo adhibuit, ut eum & fide recta & moribus inculpatis Deo hominibusque commendaret. Quamvis enim haud vulgaris in eo eluceret eruditio, quæ magnorum virorum, Betuleji, Wolfii, Hœſchelii, Ehingeri, Reiſeri ſucceſſorem eum fecit, nec meritorum gloria nec doctrinæ elegantia inferiorem, multo magis tamen in venerabili ſene virtutis præſtantiam ſuſpicimus, animumque candidum atque veritatis ſtudio ſimplicem, pium, rectum & in pietatis cultura ad vitæ exitum conſtantiſſimum, intemeratosque mores, quibus nobis & ſcholaſticæ juventuti præluxit, admiramur.* Quæ eſſe veriſſima non familiares tantum norunt, ſed to- *Pietas.*

Obitus. ta Auguſtanorum civitas. Quo factum eſt, ut, cum nihil opinantem feralis iſchuriæ morbus opprimeret, quo IX. cal. Octobr. an. cIɔ Iɔcc XLII. pie placideque, editis prius præclaris fidei & conſtantiæ æternitatis ſolatia adſpirantis ſpeciminibus rebus mortalium ereptus & beatis ſedibus illatus eſt, publicus civitatem luctus opprimeret; ipſi quoque illuſtres reipublicæ proceres lacrymis teſtarentur, quem amiſerint; & innumeris ſuſpiriis gemitibusque eo cultu & ſolennitate, ſumtus ob inſignia viri merita faciente ampliſſimo ſcholarcharum collegio, efferretur, qualem vix unquam Auguſta viderat: impatiens autem deſiderium apud omnes & immortalem nominis memoriam relinqueret.

Scripta. §. XIII. Hunc Auguſtanum gymnaſium rectorem habuit, hoc ornamento patria Vindelicorum colonia gavisa eſt, illuſtriſſime Domine Præſes, virique ſpectatiſſimi. Non ſubduxiſſet reipublicæ eruditæ operam noſter ſuam, diligens admodum & in eruditionis partibus haud leviter verſatus, niſi a ſcribendis libris & muneris ratio, & circumſtantiæ domeſticæ eum revocaviſſent. Qua de re cum ad Matthiam Schenckium, qui gymnaſio ab anno cIɔ Iɔ LII. præfuit, ipſe provocaverit (*) ejus verba apud celeberrimum SCHELHORNIUM (**) legenda & cum vita & præfationibus Hieronymi Wolfii comparanda, doctiſſimorumque horum virorum epiſtolæ ipſæ lectori eo magis adeundæ ſunt, quo magis rem ſcholaſticam non modo Auguſtanam ſed univerſam mire illuſtrant. Reliquit tamen civibus ſuis vir beatus *memorias ad hiſtoriam occupationis urbis a Gallorum exercitu anno cIɔ Iɔcc III. cIɔ Iɔcc IV. facta pertinentes.* Eo autem tempore, quo non. Dec. anni cIɔ Iɔcc XXXI. altera extructi gymnaſii ſecularis memoria auctoritate illuſtris ſenatus Auguſtani celebrabatur, actus iſtius ſecula-

(*) *Hiſt. gymn. Aug. P. II. p. 256.*
(**) *Amœnit. liter. P. X. p. 1047. ſeqq.* Conf. *hiſt. gymn. Aug. P. II. p. 133. ſeqq.*

cularis ſolennitatem editis orationibus publice habitis, quæ: *hilaria ſcholaſtica*, inſcripſit, ad poſteros transmiſit. Invitaverat vero ad hac ſolennia celebranda programmate publico, vernacula propoſito, inque eo civitatis eruditæ ſententias de anteceſſorum ſuorum meritis in literas enumeravit. Comprehendunt autem hilaria iſta ſcholaſtica ſpecimina luculenta, quam facilem & elegantem dicendi rationem tenuerit, quam carminis Latini & Germanici facultatem habuerit, & quam feliciter imprimis in inſcriptionibus (in qua arte unus omnium facile regnavit) fuerit verſatus. Quæ ſpecimina vobis verſata ob oculos putaverim, viri optimi & celeberrimi, cum Crophium noſtrum numero ſociorum honorariorum ſocietatis veſtræ adſcriberetis, rati, nonnihil decoris ad inſtitutum veſtrum ex hoc ejus Latinæ linguæ uſu & elegantia poſſe redundare. Majus autem opus & ætatem laturum a multis jam annis vir beatus erat molitus, conditurus hiſtoriam gymnaſii Auguſtani, ſuis olim rectoribus & profeſſoribus per orbem literarium celebratiſſimi. Nactus enim a parente monumenta haud pauca a Schenckio, Wolfio, Heniſchio, Stamlero de ſtatu ſcholaſtico gymnaſii ſcripta, illis multorum annorum ſtudio & ſuo & amicorum labore adjecit, quicquid res ejus ſcholæ illuſtrare poterat. In qua ſylva cum haud pauca eſſent, quæ conſilia ſtudiorum ſuppeditabant, a viro ſummo, Hieronymo Wolfio profecta, ea ſuis locis inſerere, rectorum vitas, res, ſtudia, ſcripta enarrare & non ſcholaſticam modo hiſtoriam condere, ſed & literarios Auguſtæ eruditæ annales inſtruere cogitabat. Quod præclarum conſilium ego, qui arctiſſimo amicitiæ & ſanguinis vinculo ei diu junctus fui, urgere, fovere, languentem excitare, in partes curarum ſuccedere, & ita opus maturare vehementer ſtudii. At & quidam viri optimi metus difficultates nimium augere viſus, & mores cunctabundi, diuque omnia verſantes, maxime vero quotidiani labores, quibus de

alenda honeſte familia numeroſa cogitare cogebatur, rem ſufflaminarunt. Quare ne optato & utili labore in ſenio ingraveſcente patria careret, auctor ei fui, ut cuncta ſtrictim enarraret, ſcholæ naſcentis & adoleſcentis fata, docendi rationes, methodos varias & mutationes atque viciſſitudines deſcriberet, biographias rectorum adderet, cuncta autem ὡς ἐν συνόψει vernacula complecteretur, omiſſis digreſſionibus & monumentis, quæ ipſa exhibere prius ſtatuerat. Morem geſſit venerabilis ſenex & laboris ad cineres usque patientiſſimus, unde enata tandem vernacula tractatio, quæ *hiſtoriam originis & fatorum gymnaſii ad D. Annæ Auguſtani ejusque rectorum atque profeſſorum* luculenter eleganterque exponit (*). In quo libello mole exiguo eam obſervationum egregiarum ad res ſcholaſticas pertinentium ſyllogen nobis reliquit viri beati experientia & eruditio, quam in majoribus & ſpiſſioribus voluminibus ſæpe fruſtra quæſiveris.

Vita privata rationes. §. XIV. Iniit matrimonium noſter an. cIↃ IↃ XCVI. XVII. cal. Ian. cum virgine nobiliſſima, Regina Roſina Maria, viri maxime reverendi ampliſſimique Io. Andreæ Harderi, paſtoris Annæani & rev. miniſterii A. C. ſenioris filia unica. Quod matrimonium & uxoris fide, cura, amore, prudentia ſuaviſſimum & annorum diuturnitate longiſſimum, & prole fœcundum habuit, quinque filiorum, octo natarum parens factus. Quos liberos pie magnaque cura educavit, filium natu majorem, tuæ olim, maxime rev. director, curæ fideique in Salano athenæo potiſſimum traditum, ſacro præconum eccleſiæ collegio in patria adſcriptum vidit & lætatus eſt, at præmaturo fato trimeſtri poſt diſceſſum ſuum ex hac vita æternitatis comitem habuit. Filias quatuor honeſtis conjugiis elocavit, quarum natu maximam mihi uxorem deſponſavit, cum me a pueritia valde amaviſſet, ſtudiorumque

(*) Aug. Vind. 1740. 8. quam nuperrimi cl. SAM. GESNERVS in *progr. I. de hiſt. gymn. Rotenburg.* ex merito laudavit.

que auctor & ἐργοδιώκτης atque præceptor fuiſſet. Quam cum talem expertus fuerim, quæ animum meum non niſi præmaturo obitu vulneraverit, deſiderio fidei, amoris candidiſſimi & virtutis memoriam ejus renovare pium cenſeo. Vivunt cum matre vidua filius unicus, paternæ virtutis hæres, filiæ duæ virtutibus commendatiſſimæ.

§. XV. Pauca hæc ſunt illuſtriſſime Domine Præſes, virique ampliſſimi, quæ ad vos de rebus ad beatum Crophium pertinentibus diſſerere viſum eſt. Potuiſſem ex multorum annorum uſu & converſatione multa addere, niſi dicta ſufficerent, ut intelligatis, & Auguſtam in eo amiſiſſe doctorem optimum atque meritiſſimum, & Auguſtanos cives haud paucos, quorum animos formavit, parentem fidiſſimum, & veſtram ſocietatem membrum, honore, quo eum mactaviſtis, non indignum. Cujus ut ad poſteros perennet memoria literarum honoris & cultus intereſſe puto. Valete, & res veſtras feliciſſimis ſucceſſibus porro agite. Scrib. Kaufbyræ VI. Cal. Februar. anno cIɔ Iɔcc XLIV. *Peroratio.*

(O)

OBSERVATIO XIV.

De

ADVOCATIS

celeberrimæ S. Rom. imp. lib. civitatis

AVGVSTAE VINDELICORVM,

ſupplementi loco

ad ea, quæ de Advocatis Auguſtanis in hiſtoria

regiminis Auguſtani dicta ſunt.

§. I.

QVam difficilis & intricata de advocatis urbium imperii liberarum tractatio ſit (*a*), facile perſpiciet, qui rerum publicarum medii ævi non ignarus, quantis tenebris argumentum hoc obſeptum ſit, cognoſcit.

(*a*) Mire intricatum atque difficile fecere argumentum de advocatis imperii,urbium&provinciarum varia vocis accepti,variaque advocatiarum genera,quæ inter ſe a ſcriptoribus haud raro confuſa multas juris publici hiſtoriæ medii ævi tenebras offuderunt. Alia enim eſt advocatia univerſalis, ſummo S. R. I. capiti, imperatoribus regibusque Romanis propria, omnibus imperii membris velut ultimum aſylum & tutamen deſtinata. Alia eſt advocatia particularis ex cæſarea commiſſione exorta, qua ſummi imperantis vices in tuendis ſtatibus imperii alii obierunt. Et hujus quidem advocatiæ particularis variæ in Suevia occurrunt ſpecies, inter quas eminet advocatia provincialis univerſalis (die Landvogtey in Ober- und Nieder-Schwaben) de qua in diſſ. *de ducatu Sueviæ*, tum peculiari obſervatione *Actis eruditorum Lipſienſibus* inſerta egit, quem honoris cauſſa nominamus, conſultiſſimus vir BARTHOLOMAEVS DE HERTENSTEIN, Aug. civitatis conſiliarius, ex inſtituto autem explicitu rum nobile argumentum ſperamus, eruditiſſimum WEGELINVM ſyndicum & conſiliarium Lindavienſem. Huic ſubjacent advocatiæ provinciales ſpeciales, qualis Auguſtana, Briſgoviana, Ergoviana ſimilesque. Sed & eccleſiis advocati dati ſunt, unde advocatia eccleſiarum univerſalis, & particulares multæ exortæ ſunt. Idem de advocatiis civitatum dicendum, præter univerſalem enim civitatum advocatiam, particulares quoque earum advocatiæ fuere, ut ex hac diſſertatione diſci poteſt. Confundendi autem diſtincta hæc inter ſe occaſionem dedit, quod haud raro diverſa advocatiarum genera conjuncta unique etiam perſonæ commiſſa ſunt. Cujus exemplum eſſe poteſt,

noſcit. Exigua enim de iis, & popularis magis ac confuſa, quam accurata apud ſcriptores coævos mentio, qui rerum juriumque civitatum imperialium ignari, non poterant non in multis hallucinari, quos tanquam teſtes coævos recentiores ſecuti, in varios & errores inciderunt, & incertas ſemitas dubiasque vias delapſi ſunt. Monumenta vero publica temporis injuria ita diſſipata ſunt, & ex eruditorum plerorumque evanuere oculis, ut in tam arduo negotio rarius, quam par erat, ad ea provocantes viros doctos videas. Non itaque mirum, ancipiti pugna de hoc argumento decertaſſe viros eruditiſſimos, ut ea, quæ inter PAPPVM & HEIDERVM de eo diſputata ſunt, ſatis evincunt. Præcipue in iis quæ ad celeberrimam ſac. Romani imperii liberam civitatem Auguſtam pertinent, tantis ſentibus in hac materia obſeptum eſt iter, tot nebulis obſcurum cœlum, ut quo te vertas, fere neſcias. Ipſe certe GASSERVS, medicus Auguſtanus & hiſtoricus celeberrimus, cujus *annales Augſtburgenſes* diligentiæ illuſtris MENCKENII nuper debebamus, etſi in conſarcinanda patria hiſtoria erat longe diligentiſſimus, totque patriæ hiſtoriæ, jurium & fatorum ſchedas perlegerat, quot vel ſolis oculis videre vel centeſimo non licet, præter nuda tamen rerum ab advocatis geſtarum, & in patriæ ejusque jurium defenſionem ſuſceptarum indicia pauca habet; & ad hunc tamen fontem cum ſcriptoribus medii avi collatum recurrerunt, quotquot hactenus de hoc argumento tractationem inſtituerunt. Cujus non alia forte cauſſa eſt, niſi Auguſtani chartophylacii ſeculi decimi quinti fine infelicitas: de qua chronicon aliquod mſc. ad annum 1489. ſequentia refert. *Georgium comitem Werden-*

 bergen-

Leopoldus archidux Auſtriæ, qui cum Sueviæ provinciæ advocatus eſſet, a Wenceslao anno 1383. Auguſtanæ quoque civitati advocatus datus eſt. Ejusdem quoque ſeculi documentis evinci poteſt, advocatos provinciæ Sueviæ univerſalis ſubordinatos ſibi certo reſpectu advocatos Auguſtanos interdum habuiſſe. Ad quæ ſi provide attendatur, lux nonnullis locis inferri poterit, ſine qua non niſi palpare licet.

bergenſem eo tempore ad D. Conr. Peutingerum dixiſſe, in arce ſua Rotenfelſiana duabus in arcis multas urbis Auguſtanæ chartas & monumenta aſſervari, quorum copiam cum ſibi Peutingerus fieri optaſſet, ejus promiſſum a comite factum, qui prætori ſuo in dicta arce mandaverit, ut liberam inſpiciendi chartas illas antiquas copiam Peutingero non denegaret, impetraſſe quoque cancellarium hunc Auguſtanum a conſulibus, qui tunc ſummæ rei Aug. præerant, veniam poſt expedita Oeniponte reipubl. negotia in reditu ad dictam arcem deflectendi, & hæc monumenta perluſtrandi. In via vero triſtiſſimum accepiſſe nuncium: Arcem Rotenfels ſæviſſimo incendio conſumtam, ſimulque omnia iſta Auguſtanæ civitatis monumenta (tempore Syfridi epiſcopi, quo urbs direpta & incenſa fuit, eo translata) a Vulcano devorata eſſe. Quo facto chartophylaceum Auguſtanum in arcem Rothenfels delatum ſit, juvat ex GASSARI *annalibus Augsburgenſibus* ad an. 1088. huc transferre. Ita vero ille: Dum tunc etiam Egbertus Miſniæ Marckgrafius (qui poſt quinque annos ab imperatoris noſtri Hainrychi ſatellitibus, prope Brunſwicum in molendino, Eiſenbüttel vocato, obtruncatus eſt) juſſu pontificis in cæſarem, contra imperatorem, cujus affinis erat, a Deo ordinatum, lectus a papiſtis in Saxonia eſſet, certe noſtrum Augſtburgum in ipſo cœnæ Dominicæ feſto, anni M LXXXVIII. quidam uno plus, nonnulli tribus minus, numerant, a ſæpe dicto Welfone, qui ad Saxones defecerat, tertium proditorie ac dolo malo, commilitantibus vicinis Algoinibus & Bojariis, una cum epiſcopo ſuo captum, integroque triduo tam inhumaniter exſpoliatum miſere eſt, ut præter incolarum promiſcuas cædes, opumque privatarum direptiones, etiam ex archivis reipublicæ cuncta tam civitatis privilegiorum diplomata cum tabularum geſtarum annalibus, inſtrumentiſque quibuscunque, & quæ vocant regiſtris ærarii, ſecum avexerint, ac feria ſecunda Paſchæ, urbem ærumnoſe deſtructam muris undiqua-

quaque ſolo æquatis, lamentabiliter ſane everterit impius hoſtis. Porro diplomata & conſignatas literas prædæ hujus, cum aliter uſui non eſſet, ad Rotenfelſium ſuperioris Algeæ arcem, tanquam ad inacceſſum locum, comportarunt hoſtes, ubi aliquot ſæculis non ſine deploranda majorum & omnis antiquitatis obliteratione incognita non tam delituerunt, quam mere ſepulta fuerunt. Donec tandem ſenatus Augſtburgenſis noſtra memoria ea ſubodoratus, a Wolfio, Montfortenſe comite recuperare majore affectu, quam effectu ſtuduerit, fortuito enim igne, ſub Carolo V. cæſare, abſumta in dictæ arcis, propugnaculo Rotenfelſo dicto, nefarie fataliterque ſunt.

Nemo itaque Auguſtanæ hiſtoriæ lacunas mirabitur porro, qui ad hæc fata oculum intenderit. Interim quæ apud veteres de hoc argumento reperiebamus, in compendio olim retulimus in *diſſertatione præliminari, hiſtoriam regiminis Auguſtani ad annum 1368.* complexa, præfixa *hiſtoriæ regiminis Auguſtani* ſtudio beati viri DAVIDIS LANGENMANTELII collectæ, & a nobis editæ. Incidit tamen poſt dicti libri editionem in utriusque noſtri manus liber mſc. auro contra carus, hiſtoriam advocatiæ Auguſtanæ per diplomata & monumenta publica complexus, &, ut ex præfatione patet, publice celeberrimæ civitatis auctoritate e ſervatis documentis fide dignis circa ſeculi decimi ſexti initia ab auctore anonymo, ſed rerum Auguſtanarum callentiſſimo, conſcriptus, quem ea, quæ paulo ante incendium abſumſit, monumenta inſpexiſſe, ex adductorum diplomatum hodie majorem partem amplius non obviorum numero & multitudine videre eſt. Cujus libri fundamenta & argumenta, cum ea quæ dicto loco attulimus, non tantum lumen ſed & robur & illuſtrationem ſolidiſſimam concilient, non ineptum vel alienum a nobis, qui patriæ honori & libertati vires & vitam debemus, putavimus, hac ſcriptiuncula potiora indicare, eaque aper-

tius ex monumentis in eo libro exhibitis probare, quæ alibi brevius & non ſatis auctoritatibus munita, recte tamen a nobis dicta ſunt, ſicque hiſtoriam quandam præclari axiomatis atque dignitatis ſuppeditare.

§. II. Duplicis generis magiſtratus olim in imperii civitatibus obtinuiſſe, & tum proprio & civico tum imperiali jure eos regimen adminiſtraſſe, nemini antiquitatum non prorſus ignaro ignotum eſſe exiſtimo. Qui mos a primis coloniarum imperatoriarum principiis ad imperatorum ex Germanorum ſanguine oriundorum tempora propagatus (*b*), cuilibet civitati, quæ Romani imperatoris parebat imperio, & proprium ex civibus ſuis magiſtratum conſtituit, & cæſaris loco judicem præfectumque dedit. Quod ab Othone potiſſimum non abſurde deducit SIGONIVS *de regno Italiæ* l. XVII. p. 284. dignus, qui audiatur: *Regni*, ait, *civitates Otho pleraſque liberas, tributarias omnes reliquit. Nam quarundam etiam perpetuos marchiones, aut comites, ſuperiore ſibi reſervato jure, conſtituit. Libertatem autem civitatum in eo fere poſuit, ut leges, conſuetudines, jurisdictionem, magiſtratus, vectigalia ſui ferme juris atque arbitrii haberent; ita tamen, ut ſacramentum regibus dicerent. Quocirca alios ſibi præfectos rex, alios civitates ipſæ conſtituerunt &c. quos quidem rex ad jura reddenda & populos in fide continendos in provinciis collocavit, ii miſſi, ſive nuntii ſive legati imperatoris vocati. Quos vero populi ad regendam civitatem & jura moderanda poſthac crearunt, ii conſules duo aut plures fuerunt, ex antiqua Romanæ reipublicæ conſuetudine deſumti, qui quotannis ex ſingulis civitatibus creati aut apud epiſcopum civitatis, aut apud nuntium regis jurarunt.* Et ad hanc quoque normam Romanam olim coloniam, quæ

(*b*) Quamvis etiam certum ſit, ipſam imperii Romano-Germanici conſtitutionem, & auguſtiſſimum imperatoris faſtigium harum præfecturarum occaſionem fatis medii ævi ita ferentibus, ſimul ſuppeditaſſe.

quæ in liberam poſtea imperii civitatem tranſiit, AVGVSTAM VINDELICORVM præter duumviros, vel quo antiquo etiam nomine gaudebant, conſules, ab imperatore quoque comitem, præfectum, judicemve accepiſſe, quibus advocati urbis, impari tamen jure, ſucceſſerint, ex monumentis fide digniſſimis in dicta *hiſtoria regiminis Auguſtani* p. 10. ſeqq. abunde demonſtratum eſſe exiſtimamus.

§. III. Multum tamen difficultatis cognitioni jurium & officii advocati Auguſtani, quem hodienum den Land-Voigt, vocamus, affudit prolixiſſimæ & antiquiſſimæ epiſcoporum Auguſtanorum cum magiſtratu de juribus utriusque controverſiæ, quæ cum pro temporum fatorumque diverſitate diverſam quoque acciperet faciem, dici non poteſt, quantis tricis advocatiæ Auguſtanæ hiſtoria involuta fuerit, curia epiſcopi Auguſtani ad ſe & ſuam poteſtatem pleraque advocatiæ jura trahente, civitate vero ejusque ſenatu pro avita libertate ſtrenue contendentibus, eamque ubi fatorum iniquitate detrimentum & jacturam paſſa erat, multa fortitudine vindicantibus. Quæ ut latius cognoſcantur, ea potiſſimum, quæ PAPPVS pro epiſcopali circa advocatiam jure, HEIDERVS contra illud pro civitatis libertate & αὐτονομίᾳ maſcule diſputavit, perlegenda ſunt.

§. IV. Sed ut iis miſſis, quæ conjecturis potius, quam liquidis demonſtrationibus a viris doctiſſimis diſputata ſunt, ad certiora, quæque diplomatum chartarumque publicarum fide nituntur, deſcendamus, illud primo exploratum eſt, urbis Auguſtanæ advocatos imperatorios clero quoque Auguſtano datos fuiſſe, ut eis in dicundo jure, tuendis privilegiis, & quæ alia ſunt, quæ poteſtatem ſecularem deſiderant, officium ſuum præſtarent. Cujus ſatis luculentum argumentum eſt, inter Burcardi, ducis Sueviæ hæredes & Henricum epiſcopum Auguſtanum cum capitulo conſtructum inſtrumentum fidei, quo vicus Geyſenhauſen capi-

capitulo tradebatur. Ex eo enim, A. C. 982. ſcripto aperte patet, *traditionem illam, & ſecutam fidei ſtipulationem factam in eccleſia cathedrali in manus advocati urbis Werneri a præpoſito capituli Gerbardo.* Idem mos obtinuit ſeculo ſequenti. Cum enim anno Chriſti 1029. Bruno epiſcopus fratribus regularibus canonicis Auguſtanis certum terræ diſtrictum legato donaſſet, idque legatum poſt dicti præſulis obitum canonicis, conſentiente imperatore Conrado, eſſet tradendum, *in manus quoque Mangoldi advocati urbis Auguſtanæ, ab Vdeſchalco tradente & Dieterio capituli decano recipiente publico erecto inſtrumento factum eſt.* Pari modo ſeculo XII. anno ſcilicet 1125. non res tantum ſed perſonas quoque eccleſiaſticas choro capituli per manus advocati Wherneri traditas fuiſſe monumentum adhuc ſuperſtes luculenter enarrat. Et hinc ratio formulæ in dicaſterio publico in palatio epiſcopi haberi ſolito: *über Pfaffen und Layen*, poteſt intelligi.

§. V. Non vero moderandis tantum juribus eccleſiæ Auguſtanæ, ſed adminiſtrandorum quoque, certe tuendorum bonorum eccleſiaſticorum negotio adhibitos fuiſſe Auguſtanos advocatos, notabile monumentum ſeculi duodecimi loquitur, in quo *Fridericus urbis advocatus de uſurpatis juribus eccleſiaſticis præter limites ab advocatia ipſi conſtitutas agit pœnitentiam, ſancteque pollicetur, ſe non alia ratione canonicorum juribus & bonis ſe immiſturum, niſi quatenus advocatia urbis poſtulet, & requirat, & ab Aſcuino anteceſſore ſuo fuerit factum.* Vnde manifeſte liquet, advocatis Auguſtanis certum etſi ſuis terminis circumſcriptum jus in bona cleri Auguſtani fuiſſe: quod cum urbis advocatus adminiſtraret nomine imperatoris, poſtea ad ipſam eccleſiam tractum in detrimentum civitatis converſum eſt.

§. VI. Poſtquam enim ad comites de Suabec advocatia urbis Auguſtanæ hæreditario quaſi jure pervenerat, de eo vero ſimulque magiſtratu Auguſtano graves

ves querelas ſuderat Conradus epiſcopus Auguſtanus ejusque clerus, quod juris communis & civici illi eſſent negligentiſſimi, multa inde de juribus advocati inter clerum & civitatem exorta eſt diſputatio, quæ tandem prudentia imperatoris Friderici Barbaroſſæ in comitiis Norimbergenſibus Anno 1156. finita ita eſt, ut accurate limites inter jura eccleſiaſticorum virorum & advocatum atque magiſtratum Auguſtanum definirentur, ex quibus ea potiſſimum quæ huc pertinent, *codici legum juriumque Auguſtanorum*, Rudolphi I. juſſu ex chartophylacio, privilegiis, legibus, ſtatutis, pactis, conventis reliquisque monumentis publicis congeſto illata ſunt. Qui antiquiſſimi juris Germanici codex hodie ſuperſtes, ut tandem aliquando a viro docto rerumque Auguſtanarum veterum perito publicæ luci exponatur non immerito precamur (*c*).

§. VII. Hæc tamen etſi Fridericus I. princeps optimus ita conſtituerat, obiit tamen paucis ab hinc annis anno 1162. Adelgoſus, ultimus Suabecci comes, qui quod hæredem non haberet, ad quem advocatia urbis Auguſtanæ tranſiret, optimam occaſionem imperator nactus ſibi eſſe viſus, multis injuriis anſam præripiendi, & mutuis litigiis atque querelis imponendi finem, tandem ſibi & imperio dictam advocatiam, quam comites Suabecci hactenus ab imperatoribus quidem, hæreditario tamen titulo,poſſederant, tum hæreditario tum fiſci nomine vindicavit, Conrado de Zeilenhard conſtituto in urbe Auguſta ſuo vicario. Ita enim & controverſiis cum epiſcopo & clero & querelis de male adminiſtrata per advocatos juſtitia, maleque defenſis civitatis juribus occaſionem præripere ſe poſſe judicabat. Quod jam FELIX FABER in *hiſtoria Sueviæ l. I. c. 12.* obſervavit, qui inter

(*c*) Diximus ex inſtituto de hoc libro mſç. ejusque ſpecimen dedimus, in *collectan crit. ad hiſt. Germ. lingua Vol. IV. p* 561. & de edendi ejus conſilio, quod B. Wengius conceperat, *Vol. VII. p.* 325. fuſe egimus.

ter alia: *Iiſdem temporibus mortuo Adelgoſo de Suabeck ſine hærede, qui fuit advocatus Auguſtæ, ipſamque advocatiam, tanquam propriam poſſidebat, ipſe imperator omnia ſua vindicavit & Auguſtam civitatem imperio addidit. Quanquam enim ab antiquo civitas imperialis fuerat, tamen per nobiles imperio fuit detracta.* Id quod ante Fabrum jam notavit Vrſpergenſis.

§. VIII. Occurrit tamen altera & opportunior occaſio, libertatem Auguſtanam non tantum a difficultatibus, quibus ab epiſcopo Auguſtano, & ducibus quoque Bavariæ premebatur, ſed & ab omni jure alieno vindicandi aſſerendique & ita eam advocatis quoque ducum Sueviæ, qui ab imperatore Friderico I. eam poteſtatem hæreditario jure nacti fuerant, ſubtrahendi, & priſtino ſplendori poſtliminio quaſi reſtituendi, cum Conradus II. quem & Conradinum nominant, Suevorum ducum ultimus, circa annum 1264. & ſequentes ad tuenda ſua in Siciliæ regnum jura, quæ tum mire turbabantur, ut annalium fides loquitur, omnem virium ſuarum nervum colligeret, numosque, unde poterat, corraderet: tum enim providentiſſimus ſenatus Auguſtanus, eo quod hactenus advocatiam Sueviæ duces non nobilibus tantum & patriciæ dignitatis viris, ſed & epiſcopis Auguſtanis contulerant, unde mirum quantum civitatis jura turbabantur, quibus medendis tum in aula imperatoris tam confuſo rerum Germanicarum ſtatu nihil erat auxilii, occaſionem egregiam nactus, ſoluta haud exigua argenti ſumma libertati ſuæ ſuppetias tulit, inita cum Conrado II. & Ludovico comite Palatino Rheni atque Bavariæ duce transactione, nactus hac de re celeberrimum illud libertatis ſuæ monumentum, quod narrat GASSERVS *in annal. Augsburg. ad ann. cit.* & nos ex eo potiora repetimus *l. c. p. 13. not. 5.* quæ non exſcribimus (*d*). Verum hoc non poſſumus ut potio-

(*d*) Totum cum aliis privilegiis Auguſtanæ civitati conceſſis

potiora hujus diplomatis, cujus copiam nullibi omni adhibito ſtudio tunc potuimus nanciſci, cum iſta ſcriberemus, quodque hactenus rerum Auguſtanarum ſcriptoribus non indictum quidem, nullibi tamen expreſſum eſt, ſilentio prætereamus. Ita vero conſtituerunt dicti principes: *Quod a Georgii feſto civitatem Auguſtanam, una cum ejus perſonis, bonis & facultatibus in peculiarem tutelam receperint, omnem contra inſultus defenſionem & auxilium atque protectionem promiſerint, ita ut neque coram ducibus Sueviæ vel Bojariæ neque coram epiſcopo Auguſtano ullis jurium vinculis poſſint mancipari. Porro conceſſerunt ut a nemine ducum Sueviæ Bojariæve titulo & nomine poſſint in jus vocari, vel jus in eos exerceri, præter urbis advocatum, ita tamen, ut jus ſuum, contra ſubditos dictorum ducum apud judices eorum legitimos exequantur: nec cuiquam porro liceat pignore vel alio juris titulo civem Auguſtanum in alieno judicio morari, ſed ut omnes jus ſuum coram prætore vel advocato urbis tueri teneantur. Abrogant quoque omnem cenſum* (Umgeld) *urbi ab epiſcopo hactenus indictum, vel ab aliis vel ipſis Sueviæ ducibus indicendum, telonium quoque ducum de tranſitu ſuis terminis definiunt, & liberum viarum tranſitum inter Auguſtam urbem & arcem Bavaricam Fridebergam nuper extructam muniunt, ad antiqui juris & conſuetudinis traditionem, omnemque a Bavariæ duce libertatem civibus pollicentur, ſimulque exemtiones & libertates ab advocatia Sueviæ, ab anteceſſoribus collatas confirmant, pœnaque trecentarum librarum muniunt, conſtitutis tribus ſimul libertatis Auguſtanæ vindicibus.* Quam transactionem teſtium loco ſubſcripſere, ſuisque ſigillis munivere epiſcopus Conſtantienſis Eberhardus, & Burcardus abbas S. Galli, præter alios nobiles ex more ſeculi in teſtimonium adductos.

§. IX.

in extenſo, quod ajunt, exhibuimus in *appendice ad hiſtoriam regiminis Auguſtani* iterata cura editam.

§. IX. Interim infeliciter geſta re Conradus Sueviæ dux Neapoli triſti fato obit, miris turbis implicatur totius Europæ, imprimis Germaniæ, ſtatus, quas interregnum illud famoſiſſimum viginti, & quod excurrit, annorum ſequebatur. In quo cum & epiſcopus Auguſtanus, qui Conradinam urbis ab omni jurisdictione aliena exemtionem transverſo oculo intuebatur, de ſuis juribus tuendis cogitaret, huncque in finem peculiari documento cum clericis eccleſiæ ſuæ ad tuendam, ſervandam, defendendam, nec aliis niſi canonicis ſuis committendam advocatiam eccleſiæ ſuæ ſe obligaret, novæ inde inter dictum epiſcopum Hartmannum & ſenatum Auguſtanum excitatæ ſunt controverſiæ, quod multis magiſtratus urbis Auguſtanæ, quæ ſibi ſuoque advocato aſſeruerat, juribus epiſcopus contradiceret, ſibique vindicaret, quibus tamen, quod in imperio ſupremus judex non inveniebatur, transactionibus medela facta, & ita paci & tranquillitati publicæ inter epiſcopum & civitatem ratione jurisdictionis advocatorum aliquantiſper cautum fuit, donec felici ſidere ad Rudolphum Habsburgicum imperii inſignia rerumque publicarum moderandarum habenæ deferrentur.

§. X. Illuſtriſſimus ſcilicet iſte princeps fuit, quem non imperio tantum Romano Germanico aſſertorem & vindicem vere auguſtum, ſed & civitati Auguſtanæ patrem & evergeten conſtituit divina providentia. Is enim, habitis A. C. 1276. Auguſtæ comitiis, laſſatam tot controverſiis & in contentionibus prævíis pro libertate ſua civitatem potentia ſua recreavit, lites diremit, jura & privilegia civitatis confirmavit, & conſcripto de iis libro, qui, *libri civitatis* nomine, hodienum extat, & cujus ſupra facta jam mentio, auctoritatem addidit, advocatiam imperio vindicavit, advocati jurisdictionem definivit, ab epiſcopi jurisdictione diſtinxit, duumvirorum & ſenatus officia & poteſtatem decrevit & deſcripſit, & addendis quoque augendisque vim addidit, cunctaque

que privilegio firmavit, in quo cives Auguſtanos ab omni aliena ſervitute prorſus eximit, ſuæque libertati luculenter reſtituit. Quam libertatem & Adolphus Naſſoviæ dux, qui Rudolpho ſucceſſit, peculiari diplomate confirmavit, ſanciens, *ut coram nemine, niſi advocato ſuo, Auguſtæ Vindelicorum cives in jus rapi accuſarique queant, nec alia niſi ad ipſum imperatorem valeat ab advocato Auguſtano appellatio.*

§. XI. Idem non tantum factum a Ludovico quarto, ſed aucta quoque ἀυτονομία Auguſtana peculiari privilegio, cujus cum in dicta ſæpius *hiſtoria regiminis Auguſtani p. 17.* mentio, uti tamen fieri debebat, omiſſa eſt, hic potiſſimum repetimus argumentum: *Laudata* ſcilicet *fide officiis & integritate civitatis Auguſtanæ, & confirmatis privilegiis, quæ ab imperatoribus, regibus, ducibusque accepere, ita libertatem dictæ civitatis auget, ut primo: ad ſummam quadringentarum librarum nummorum, collecta imperatori debita definiatur & reſtringatur, civesque ab omnibus oneribus reliquis dimittantur immunes. Secundo ut laudata civitas, quam ex eminentiſſimis imperii urbibus eſſe magnifice prædicat, ſoli imperii jurisdictioni ſubjaceat in perpetuum, ita ut ab imperio Romano nullo pacto, emtione venditioneve, feudi collatione vel alio quovis modo alienari & avelli queat: Tertio ut cives Auguſtani in omnibus dicaſteriis digni & perfecti cenſeantur, qui ad jus dicendum & officia imperii adminiſtranda cum aliis imperii nobilibus poſſint debeantque admitti. Quarto, ut nemo bona civium Auguſtanorum vel naufragio disjecta, vel incendio direpta & ejecta ullo modo lædere audeat, ſed civibus omnis juris via ad ea defendenda pateat. Quinto, ut in jus vocari coram peregrino judice non queant, ſed, tantum coram advocato ſuo ejusque vicem gerente prætore rationem reddere teneantur.* Quæ omnia efficaciſſima clauſula munita, aureaque, quam vocant bulla roborata, anno 1329. Auguſtanæ libertati eximium robur & firmamentum addidere.

§. XII. Vſi hunc in modum libertate & αὐτονομία ſua magiſtratus civesque Auguſtani, in dicundo jure omnem diligentiam omnemque dexteritatem adhibuerunt, eo quidem ſucceſſu, ut non civitas tantum prudenti regimine gubernata lætiſſimo flore caput indies magis extolleret, ſed lites quoque peregrinorum ſæpius in forum Auguſtanum ſua juſtitia celebre vocarentur; quod cum advocatiæ & inde pendenti præturæ urbis Auguſtanæ famam inſignem conciliaret, metueret autem ſenatus providentiſſimus, ne advocatia iſta oppignoraretur principi vel nobili cuidam, Carolum IV. imperatorem eo permovit, ut peculiari privilegio, nobis in *hiſtoria regiminis Auguſtani* præterito, anno 1358. ſanciret & promitteret, *nunquam advocatiam urbis Auguſtanæ vel pignore vel venditione vel alio titulo ab urbe alienandam, ſed in æternum ſacro Romano imperio propriam ſervandam eſſe* (*e*). Quod libertatis & advocatiæ ſuæ firmamentum tamen cum Carolo iterum expiraviſſe viſum fuit, filio ejus Wenceslao dictam advocatiam cum totius Sueviæ advocatia ejusque juribus & peculiari jurisdictione in Iudæos Leopoldo Auſtriæ archiduci quadraginta millibus ducatorum oppignorante, qua de re imperatoriæ literæ datæ anno 1379. prolixe loquuntur. Quod etſi alienum a privilegio nuper obtento, & in detrimentum libertatis urbis cedere videbatur, maluit tamen ſenatus Auguſtanus boni principis, de Germaniæ ſalute ſolliciti, qualem Auſtriæ archiducem ſuſpiciebant, quam helluonis de imperii Germanici incolumitate minime cogitantis, ferre imperium, ejusque auſpiciis advocatia urbis frui, præſertim cum laudatus princeps multa egregia urbi promitteret, ampliſſimeque ei voluntatem ſuam declararet,

(*e*) Solebant advocatiæ interdum a divis imperatoribus perſonis quibusdam illuſtribus ad dies vitæ, quin ipſis quoque familiis titulo oneroſo ad certum tempus concedi & oppignorari, qui multarum poſtea querelarum fons extitit, quem obſtruere hoc privilegio imperator voluit.

ret, re veraque præſtaret. Non tamen diu perſtitit in manibus domus Auſtriacæ advocatia Auguſtana. Revocabat enim eam Wenceslaus, odio ſtatuum imperii preſſus, cujus culpam in dictum archiducem conjiciebat, eamque cum totius Sueviæ advocatia Stephano Bavariæ duci tradebat.

§. XIII. Interim & alio modo vexabantur cives Auguſtani, advocatorum nempe, qui in confuſo iſto imperii ſtatu, qui Wenceslai tempore invaluit, ſæpius mutabantur, infreni licentia, cum ſuperiorem non timerent, & poteſtate atque munere ſuo abuterentur. Quod imprimis ab urbis advocato Wilhelmo Fraunsbergenſi in Hag factum, qui indigne civitatem in litem pertraxit, ſuo tamen damno & bonorum ſuorum jactura, quod cum ab ACHILLE PIRMINIO GASSERO *in annalibus Augſtburgenſibus ad annum 1386.* fuſius enarratum ſit, ea hic, ubi brevitati litamus, non repetimus. Permovit tamen iſta injuria ſenatum Auguſtanum, ut omnes in id vires intenderet, ut de creandis ſibi proprio jure advocatis & obtinendo de ea re privilegio cogitaret. Quod etiam ab imperatore Sigismundo, civitati ſemper clementiſſime affecto, liberaliſſime conſecutus eſt. Is enim peculiari diplomate anno 1426. *& fidem, integritatem atque officia ſenatus & civitatis Auguſtanæ magnifice deprædicavit*, & peculiaris clementiæ hoc teſtimonium eſſe voluit, *ut ſenatui Auguſtano liceret, proprium ſibi denominare & eligere advocatum, ab imperatore quolibet certo confirmandum, & per totum vitæ tempus tuendum atque conſervandum: ut porro advocatus ab Auguſtano ſenatu nominatus & ab imperatore datus atque confirmatus prætori ipſe ſuo (Stadtvogt) a ſenatu electo jus banni loco imperatoris concedere queat, juxta tenorem juris & legum civitatis &c.* Quibus uti Auguſtanæ civitatis ἀυτονομία egregie munita eſt, ita hodienum tenore hujus privilegii accurate obſervato egregie efflorefcit.

§. XIV. Extricaverat ſe optimi imperatoris beneficio e multis, quibus quotidie fere irretiebatur, ſe-

natus Auguſtanus incommodis, ſupererat & aliud, quo ſubinde vexabatur, difficultate non carens incommodum. Oppignorata erat advocatia in campis Lyci, vulgo die Straſsvogtey, ab imperatore epiſcopo Auguſtano, Petro cardinali, viro ingentis ſpiritus multæque audaciæ. In iſta vero advocatia, quæ a vico Menchingen appellationem ſortita eſt, cum haud pauci continerentur pagi, quorum jurisdictio tum ad cives Auguſtanos pertinebat, fieri non poterat, ut non multæ inde controverſiæ atque lites exorirentur. Ex quibus ſe extricandis hæc a clementiſſimo imperatore peculiari diplomate via monſtratata eſt, *ut ſoluta ſumma trium millium nummorum, ſenatui populoque Auguſtano poteſtas concederetur, advocatiam Menchingenſem & Ottoburanam, eadem pecuniæ ſumma, qua oppignorata fuit, reluendi, ſicque jura & poteſtatem dictæ advocatiæ ad ſe trahendi, in omne illud tempus, quo non ab imperatore ejusque ſucceſſoribus reluatur; injuncto ſimul epiſcopo & clero Auguſtano mandato, ut dictam advocatiam civitati cedant, niſi cives Auguſtanos omnes, in dicta advocatia prædia habentes jurisdictione advocati Sueviæ ſuperioris exemtos eſſe & non parere velint*, ſignatis literis, Aug. Vind. in feſto Nativ. B. M. V. die 8. Sept. 1431. Etſi enim jam triennio prius cæſareo mandato epiſcopo fuerat injunctum, ne cives Auguſtani, præter jus & conſuetudinem in dicaſterio dictæ advocatiæ, quod ſingulis annis circa Æquinoctia inſtitui ſolet, gravarentur, edicto pœnali firmata libertate, eam tamen, quam innuimus, viam modumque ſe difficultatibus turbisque eripiendi neceſſitate preſſus elegit ſenatus providentiſſimus. Neque tamen multum de advocatia Menchingenſi ſollicitus, in id tantum incumbebat, ut civium libertatem & incolumitatem tueretur. Id vero multum epiſcopo Petro ſtomachum commovebat, qui cum Romam ad conſequendam cardinalitiam dignitatem eſſet profectus, de accepta a ſenatu populoque Auguſtano injuria multa conqueſtus in curia Romana commiſſio-

nem

nem, quam nominant, conſecutus, litem, domum reverſus, ſenatui movit, inter alia, advocati conſtitutionem & jura ſibi vindicans. Quod cum ſolenniſſime negaſſet & maſcule ei contradixiſſet ſenatus Auguſtanus multis controverſiis anſam dedit, ſenatu non cedente, & avita privilegia libertatemque tuente, donec Fridericus imperator advocato Auguſtano, qui e S. R. imperii mareſchallis Pappenheimenſibus tunc erat, mandato committeret, ut ſuo nomine & auctoritate inter commiſſarios epiſcopi & deputatos Auguſtanos litem componeret, quod & tandem anno 1456. ita factum, ut, quod advocatiam concernit, in eo convenirent. *Quoties dicaſterium in palatio epiſcopi* (*Voigts-Geding*) *colligitur, advocatum imperii, ejusve vicarium, prætorem Auguſtanum* (der Reichs-Stadt Vogt) *ei adfuturum, eique jurisdictionis inſignia a pedello deferenda, Gerſthovæque jurisdictionem advocati nomine exercendam eſſe.* Quod cum epiſcopo non placeret, nec tamen cæſarea auctoritate definita iterum hoſtiliter disjicere auderet, multa cum prætore civitatis eo tempore egit, ut iſte epiſcopi jurisdictionem agnoſceret, quod ille tamen fortiter recuſavit, ad muneris ſui naturam provocans, quod imperatoris & imperii nomine jus exerceat, ſimulque imperatoris hac de re deciſioni ſe ſubmittens. Qui prætor quoque, *Georgius Otto*, ſæpius pro advocatiæ jurisdictione cum epiſcopo concertavit. Quod tandem, excluſis ex choro majore eccleſiæ cathedralis civibus Auguſtanis, in novam litem in curia Romana degeneravit, ubi iterato impetu de jurisdictione quoque Auguſtani advocati decertatum eſt. Cum vero ipſa αὐτονομία civitatis in dubium vocaretur, ad ipſum imperii monarcham Fridericum confugiens ſenatus auguſtiſſimum implorarat auxilium. Qui pro ſummi judicis auctoritate decano atque capitulo cæſareo reſcripto ſub pœna ſumma injungebat, ut a lite ſenatui Auguſtano in curia Romana intentata deſiſterent, & in aula cæſarea ea, de quibus conqueſturi eſſent, exponerent, majeſtatemque imperii ad alienam

curiam tranſlata litis controverſia lædere amplius non auderent. Quæ omnia fuſiſſime nec ſine luculento indignationis cæſareæ indicio enarrantur in dicto reſcripto, quod ſignatum *Lintii die 10. Decembr. 1486.*

§. XV. Eadem, Friderico comite Hohenzollerenſi præſule, acta fabula; tantis enim litibus mox de reductionis jure circa advocatiam vel præfecturam Menchingenſem Auguſtano ſenatui debito, mox de auctis præter fas oneribus, & injunctis civibus Auguſtanis, in dicta advocatia prædia habentibus, præſtandis novis, mox de avocandis a juriſdictione magiſtratus civibus dictis concertatum eſt, ut glorioſiſſimus imperator, tribus mandatis neceſſe duxerit, preſſæ Auguſtanorum libertati ſuccurrere, quæ tamen a ſcopo noſtro paululum aliena hic non moramur, nec latius enarramus. Majoribus tamen hoc prælufit motibus; tanta enim indignatione res geſta fuit, ut tandem ſenatus populusque Auguſtanus anno 1490. armata manu libertatem tueri occœperit, cui tamen publicorum motuum initio mature amica compoſitione obvium iverunt prudentiores, uti latius hunc tumultum narrat GASSERVS *in Annalibus ad h. a.* qui pluribus videndus.

§. XVI. Poterant & huic narrationi addi alia paſſim advocatiæ Auguſtanæ hiſtoriam tangentia, quæ inter vicinos principes civitatemque contigere, & imprimis afferri privilegium Caroli VI. imp. glor. mem. quo conceſſum ſenatui Auguſtano advocatum ſibi vel ex ſac. imperii nobilibus vel ex patritiis denominare; tum vicariorum quoque advocatiæ, quos prætores, vulgo die Reichs - Stadtvœgte, vocamus, hiſtoriam tangere, vel ad alium & prolixiorem campum excurrendi neceſſitatem injungunt, vel prolixiora ſunt, quam ut heic pro inſtituti ratione enarrari queant, & variis tantum veterum ſchedarum relationibus nituntur, non fide diplomatum, quibus tamen præſentem commentationem circumſcripſimus, quare ei nunc juſtus a nobis imponitur finis.

CATA-

CATALOGVS ADVOCATORVM AVGVSTANORVM collectus a B. DAVIDE LANGENMANTELIO, & jam emendatus.

EBerhardus Hermannus, poſt interfectum Burcardum	A. C. 926
Wernerus a Seldenegg, eques	982
Welſo II. comes ad Ammerſe	1012
Mangoldus comes Entzberg	1029
Schweigerus comes Suabecc.	1067
Aſcuinus comes Suabecc.	1071
Wernerus comes Baltenhuſanus & Suabeccenſis	1090
Fridericus I. imper. Roman.	1162
Conradus dux Sueviæ	1183
Philippus dux Sueviæ	
Fridericus II. dux Sueviæ	1223
Conradinus dux Sueviæ, rex Siciliæ	1235
Sigfrid Welſerus Patr. Aug.	1263
Berchtholdus a Mulhauſen	1277
Albertus comes Hohenburg.	1284
Henricus Walter a Ramschwag.	1290
Vlricus comes Helfenſtain	1305
Conradus comes Kirchberg.	1309
Dietegen comes Caſtel (*)	1312
Conrad a Ramschwagen	1317
Otto Greiff, eques	1332
Petrus ab Hohenegg	1338
Fridericus a Freyberg, eques	1338
Fridericus dux Teccenſis	1347
Vlricus comes Helfenſtain	1368

(*) Hunc Sueviæ præſidem provincialem fuiſſe, ex monumento quodam anni 1313. patet.

Conradus comes Oettingenſis	A. C. 1374
Fridericus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ	1375
Leopoldus archidux Auſtriæ	1379
Waltherus von der alten Klingen	1383
Wilhelm Fraunsbergius, eques in Haag.	1386
Iohannes Landgravius de Lütenberg, vel Leuchtenberg	1389
Sigoſt Landgravius a Lichtenberg	1390
Henricus Portner	1392
Stephanus comes Palat. Rheni	1395
Henricus ab Abenſperg	1395
Erneſtus dux Bavariæ	1400
Schweigerus a Gundelfingen	1402
Rudolphus ab Heideck	1413
Conradus a Reiſchach	1420
Stephanus Epſer in Wagram	1426
Haupt Marſchallus in Pappenheim	1430
Henricus Mareſchallus Pappenh.	1451
Georgius Mareſchallus Pappenh.	1482
Adam a Frundſperg in Mündelheim, eques	1500
Wilhelmus Mareſchallus Pappenh.	1502
Wilhelm Dapifer, baro de Waldeburg	1518
Bernardus a Freyberg, eques	1553
Ioannes a Rechberg in Hohen-Rechberg, eq.	1561
Ioannes a Freiberus	
Caſpar a Schonau	1593
Carolus a Freiberg in Haldenwang, Rhonau &c.	1595
Carolus a Freiberg &c. jun.	1613
Henricus baro de Stein in Gedingen & Eberſtall eques	1624
Henr. Sebaſt. Schertlin in Burtenbach, eq.	1649
Ioan. Dietericus a Freiberg.	
Benj. Menzingen.	1693
Io. Iac. Holtzapfel in Herxheim & Köz, P. A. reip. Aug. duumvir	
Wolfg. Iac. Sulzerus, P. A. reip. Aug. duumvir.	

MISCEL-

MISCELLANEORVM
HISTORIAE PHILOSOPHICAE, LITERARIAE, CRITICAE
PARS TERTIA,
PHILOLOGICO-CRITICA.

OBSERVATIO I.
Diſſertatio epiſtolaris ad Ioël II. 23. ad D. C. A. M.

ROgaſti me, *vir plurimum reverende*, ſententiam meam de dubio ſenſu verborum IOELIS *capite ſecundo, commate vigeſimo tertio*, quæ ab interpretibus in diverſos ſenſus tracta jucundo nuper inter nos colloquio occaſionem exhibuere, & præbuerunt diſceptandi non ignobile argumentum. Pollicebar tibi uberiorem ſententiæ meæ demonſtrationem, & me in ære tuo jam eſſe ſentio. Patieris itaque, ut, ſi non nova profero, quod facile largior, veteri tamen interpretationi, fruſtra a doctiſſimis viris laceſſitæ, eas rationes afferam, quæ nova forte eam luce illuſtrabunt. Sunt vero verba vatis hæcce:

וּבְנֵי צִיּוֹן גִּילוּ וְשִׂמְחוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם כִּי נָתַן לָכֶם אֶת־
הַמּוֹרֶה לִצְדָקָה וַיּוֹרֶד לָכֶם גֶּשֶׁם מוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ בָּרִאשׁוֹן׃

Locus vero totus difficultate fere nulla laborat, niſi quod vox מורה duabus vicibus in hoc commate

occurrens, & varie ab interpretibus accepta, quoniam non ſagittarii tantum (*a*), ſed & doctoris (*b*) & pluviæ (*c*) notionem obtinet, difficultatem moveat. Plurimis enim priori loco (nam de poſteriori controverſia nulla eſt,) doctorem juſtitiæ, multis imbrem vel pluviam tempeſtivam, notat, quam ſententiam poſt ὁ interpretes, qui effectum pro cauſſa, cibum pro pluvia cibum producente agrumque fœcundante poſuiſſe videntur (*d*), & Syrum atque Arabem interpretem (*e*), qui cum Græcis faciunt, tenent Iudæorum commentatores celeberrimi: ABENEZRA & KIMCHI, & ex Chriſtianis, philologi magni nominis: IO. BVXTORFIVS (*f*), IO. TARNOVIVS (*g*), IO. VORSTIVS (*h*) EDVARD. POCOCKIVS (*i*), IVNIVS quoque & TREMELLIVS (*k*), præeunte ipſo CALVINO: quibus, dubitanter licet, accedunt DRVSIVS (*l*), PISCATOR, & verſio Anglicana, itemque DIODATI (*m*). Etſi vero luminibus tantorum virorum, qui de ſacra philologia tantopere meriti ſunt, plurimum tribuendum ſuo jure eſt, vulgatior tamen ſententia, & in ſe ſana, elegans & ſcopo Spiritus S. conſentanea, & ita comparata eſt, ut nulla urgente neceſſitate relinquenda non eſſe videatur. Cujus poſt accurate expenſas textus circumſtantias hæ potiſſimum rationes ſe mihi obtulere:

§. I. Antiquæ & commendatiſſimæ quidem ab accuratione verſiones voces את-המורה לצדקה verterunt per doctorem juſtitiæ, ex quibus præcipue nomina-

(*a*) 1. *Sam. XXXI.* 3. 2. *Sam. XI.* 24. (*b*) *Eſ. X.* 15. *Iob. XXXVI.* 22. (*c*) *Pſ. LXXXIV.* 7.

(*d*) Græcos in altera ſententia fuiſſe contra αὐτοψίαν aſſerit TARNOVIVS, *ad h.l. p.* 113. Vertunt enim τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην, niſi cibos pro doctrina poſuiſſe admodum improprie velis.

(*e*) in *bibl. Polyg.* WALTONI. (*f*) in *concord. Ebræis*, *voce* ירה. (*g*) *Comm. ad h. l. p.* 113. *ſeq.* (*h*) Philol. S. *P. I. c.* 2. *p. m.* 58. (*i*) *Com. ad h. l. p.* 205. *ſeq.* (*k*) in *Verſione ſua h. l.*

(*l*) *Comm. in Proph. min. p.* 458. (*m*) in *verſionibus hujus loci.*

minamus, primo quidem *Chaldæum Paraphraſten*, qui reddidit אתיב לבון יתמלפכון בזכו *reſtaurabit vobis doctorem veſtrum in juſtitiam;* tum SYMMACHVM, virum Ebraicæ linguæ peritiſſimum, cujus fragmenta verſionis V. T. ob hanc rationem a viris doctis plurimi fiunt; qui vertit τὸν ὑποδεικνύοντα, uti ex codice τῶν ό Barberino, cui ad marginem adſcripta erat hæc Symmachi interpretatio, notavit V. C. LAMBERTVS BOS (*n*): deinde *Vulgatum*, ſine gravi ratione non contemnendum, qui pari modo interpretatus eſt, *doctorem juſtitiæ*, a SIXTINO AMAMA, graviſſimo vulgati cenſore, cum hujus loci mentionem faceret (*o*), non reprehenſum. Ex recenitoribus vero potior interpretum & commentatorum pars pro hac ſignificatione militat, velut ex B. *Lutheri* noſtri, *Pagnini*, *Leonis Iudæ*, *Caſtalionis*, *Munſteri*, *Vatabli*, *Cocceji*, *Grotii*, *Oſiandri*, *Vinarienſium*, multorumque aliorum, hic ſine faſtidio non citandorum, laboribus patet, quibus Iudæorum magiſtri, R. *Salomo*, R. *Abarbanel*, R. *Iaphet*, aliique accedunt. Etſi vero leve prima fronte videtur argumentum hoc a conſenſu interpretum, præcipue vetuſtiſſimorum, deſumtum, plurimum tamen ponderis in ambiguo locorum ſcripturæ S. ſenſu definiendo habet. Vti enim iis temporibus proximi fuere, ubi penitior & accuratior linguæ ſanctæ cognitio florebat, ita iſtis potiſſimum ſubſidiis inſtructi, quibus recentiores plerumque carent, accuratius quoque mentem ſcriptorum ſacrorum perſpicere potuerunt, ſine graviſſima ideo ratione & neceſſitate urgente non deſerendi. Quod tamen ad LXX. interpretes, qui huic verſioni contrarii ſunt, eo minus adplicari poteſt, quo magis eorum lapſus noti ſunt, quicquid contra clament *Voſſius*, *Waltonus* hisque ſimiles.

II. Fa-

(*n*) in *obſ. ad h. l.* ſubjunctis *editioni τῶν ό a ſe curatæ. p.* 1090. 6.
(*o*) in *Antibarbaro biblico*, *l.* III. *p.* 588.

§. II. Favet etiam contextus, & totius vaticinii harmonia. Quod ſi enim illud attento, quo decet, oculo intueamur, & prædicatorum ad ſua ſubjecta relatorum conditionem pie expendamus, apparebit liquido, de majori quadam re cogitandum eſſe, quam de ſola reſtituenda agri fertilitate, annique fœcunditate. Quod ut clarius appareat, א. præſupponendum, quod neminem ſtili prophetici vel mediocriter gnarum inficiaturum arbitror, Spiritum S. in deſcribendo ſtatu eccleſiæ ſæpe ab ἐπιγείοις ſymbolum petiiſſe, & ſub ſchemate regni naturæ ſtatum & conditionem regni gratiæ adumbraſſe (*p*): vel ſexcentis hoc exemplis demonſtrari poteſt (*q*), & ſine hac clave nemo ſenſum vaticiniorum reſeraverit. ב. probe conſideranda prædicata in textu antecedente & conſequente occurrentia; dicitur vero c. II. v. 2. *dies Domini veniens, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, cui ſimilis non fuit a principio, & non erit in annos usque generationis.* &c. comm. 17. *Dicent, parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem in opprobrium, ut dominentur eis nationes; quare dicerent in populis: ubi eſt DEVS eorum?* comm. 28. ſeqq. luculentius. *Et erit poſthæc effundam de Spiritu meo*, &c. ex quibus prædicatis, niſi me omnia fallunt, ſi ad hanc regulam exigantur, ſequitur, de majori longe & illuſtriori re eſſe cogitandum, quam de ſola fertilitate agri, & danda anni cælique felicitate. Etſi enim hoc quoque DEI beneficium poſt annos eſurientes & ſteriles magnum eſt, non tamen tale eſt, quod omnibus ſeculis opponatur, cum ſuperioribus quoque temporibus eo gaviſi Iudæi fuerint, ſecus vero factum ſit in doctore juſtitiæ. Eum enim intelligi, ex conſequentibus in textu judicari poteſt, ubi ſtatus eccleſiæ Iudaicæ

(*p*) Vid. omnino SAL. GLASSIVS noſter, *philol. S. l. I. tr.* 4. *ſ.* 1. *can.* 5. *p.* 320. ed. recentiſſimæ, qui inter alia ad noſtrum Prophetam III. 18. 23. provocat.

(*q*) Vid. cel. VITRINGA *ad Ieſ. XI. 6. ſeq. T. I. comm. ad h. l. p.* 418. *ſeqq.* itemque in *præfatione.*

daicæ tempore advenientis doctoris juſtitiæ I. C. & conditio doctrinæ ſalvificæ adeo depravata exhibetur, ut agro depaſto a cicadis, regionique per calamitates & annonæ caritatem ad anguſtias redactæ ſimilis videatur. Hæc doctrina, a Phariſæorum fermento tanquam a cicadis corrupta, in inſigni illo die Domini (qua phraſi Meſſiæ adventum deſignari patet ex Malach. IV. 5. & Io. VIII. 56.) (*r*) exultanti veræ eccleſiæ & ſuſpirantibus fidelibus per Chriſtum doctorem juſtitiæ reſtituta, & in hunc finem Spiritus S. gratia in fideles effuſa eſt, imminente horrendo DEI die atraque judicii luce in contemtores Iudæos deſtinata. Et hæc allegoria, qua fœcundantis tempeſtatis ſymbolo doctrinæ veræ communicatio præfiguratur, ignota eſſe illi non poteſt, qui ad phraſeologiam Spiritus S. probe attendit, & conferenda ſunt loca Deut. XXXII. 2. Iob. XXIX. 12. Amos VII. 26. Eſ. LVI. 11. 12. aliaque ſæpius obvia. Hiſce demonſtratis facile jam intelligi poteſt (*s*), quomodo vulgatior verſio cum contextu cohæreat. Promittit enim benigniſſimum numen pœnitentibus reſtituendam felicitatem, & quidem talem, qualis requiritur ad maximum & ſingulare prorſus, idque ſine exemplo, in Sione excitandum gaudium. Hæc felicitas autem, quoad terrena quidem reſtituenda erat per regionis fertilitatem cœlique benignitatem, accedente propheta vel doctore aliquo inſigni, qui modum acquirendæ hujus felicitatis, & ordinem divinum, ſecundum quem, ex legibus juſtitiæ ſuæ, Deus eam dare vult, doceat, & confirmet, ut *facile Iſraëlitæ agnoſcant, in medio Iſraëlis eſſe Deum, & Iehovam eſſe Deum ſuum, & non amplius eſſe Deum*, quæ verba *v.* 27. occurrentia ipſe TARNOVIVS de obſignatione Spiritus S. interiori explicat, ex qua explicatione per ſe

(*r*) Vid. SAMVEL WERENFELSIVS, in *cogit. ad loca N. T. opp. theol. phil. p* 315. *ſeq.*

(*s*) Vid. COCCEIVS *ad h. l.* CALOVIVS *bibl. illuſtr. ad h. l. p.* 717. *ſeqq.*

ſe jam neceſſitas talismodi doctoris fluit, etiamſi de ampliori textus ſenſu & illuſtriore ſignificatione non cogitaremus. Quoad ſpiritualia vero, in inopia eccleſiæ dandus erat doctor juſtitiæ inſignis ille, Meſſias, qui ordinem ſalutis divinum, juſtitiæ rationem, viamque felicitatis æternæ perſequendam oſtenderet; qui poſtquam venit, mittenda erat pluvia tempeſtiva, illa ſcilicet, quam in ſequentibus largiſſime promittit, Spiritus S. & effundenda per illum abundantiſſima ſapientiæ & doctrinæ cœleſtis flumina, quæ ideo ordine c. III. ſubjungit vates, quia Chriſtum doctorem juſtitiæ prius venire par erat, antequam cœleſti rore irrigarentur fideles. Quod menti Spiritus S. in hoc vaticinio conſonum eſſe, ipſe nos per S. Petrum Act. II. certiſſimos fecit.

§. III. Hæc vero ut & τῇ συναφείᾳ textus ſcopoque ſcriptoris conſona ſunt, ita nihil habent, quod non ipſo argumento rei nos de ſenſu dicentis & ſcribentis convincat, modoque & rationi ſcribendi, Spiritui S. in ſacris oraculis ſolenni, conveniat. Quod ſi enim illa conſulimus, non doctores tantum videmus nominari מַצְדִּיקֵי רַבִּים Dan. XII. 3. quod vi tertiæ conjugationis notat viros juſtitiæ viam ordinisque ſalutis rationem docentes & ad eam ducentes, quod egregie B. Lutherus vertit: die ſo viel zur Gerechtigkeit weiſen; verum Chriſtus quoque a Patre nobis factus juſtitia, 1. Cor. I. 30. tanquam ſummus juſtitiæ doctor proponitur. Nemo tam ignarus ſalutis ſuæ voluntatisque divinæ eſt, qui hoc ignoret, & clariſſima id ſcripturæ loca evincunt, vid. Eſ. LXIII. 1. Hoſ. X. 12. coll. Iob. XXXIII. 23. Pſ. XXII. 23. Prov. VIII. Eſ. LV. 4. Matth. XXIII. 8. Idem vero in loco præſenti vocis צדקה ſenſus omnino eſt, quo ſcilicet idem dicitur, quod alias per voces אם פה משפט & אמת, aliasque exprimitur (*t*) & ab Helleniſtis per δίκαιον

(*t*) Vid. **FRID. SPANHEM.** *dub. evangel. P. III. d. 43. p. 362. ſeqq.*

δίκαιον & δικαιωσύνην verti ſolet, cujus exempla etiam in N. T. occurrunt (*u*). Eſt itaque promiſſus doctor juſtitiæ ille, qui τό πρέπον, καθῆκον καὶ τάξιν divinam, ordinem ſalutis, operumque divinorum œconomiam docet, & inſtruit, qua ratione hæc beneficia a Deo promiſſa fideles adipiſci queant, qua conditione, vel ſi mavis, ordine Deus ea dare velit, qui ordo ratione beneficiorum temporalium fuit prævia converſio & ſincera pœnitentia, hoc capite ſatis injuncta; in majoribus & ſpiritualibus beneficiis vero, qualis obtineat, ipſe juſtitiæ doctor, Ieſus noſter, eum docuit Io. XVI. 9. 10. affirmando, exinanitionis & poſt hunc exaltationis ſuæ ſtatum miſſione Spiritus S. eſſe priorem, & paſſione quidem atque morte eum demerendum, reſurrectione vero & aſcenſione mittendum. Ita vox צדקה accuratius huc collineare videtur, quam ſi מורה per pluviam vertatur, ubi ſimilem phraſin in Script. S. non invenies, & difficulter commodum extorquebis ſenſum; niſi forte cum IO. VORSTIO (*x*) interpreteris *benigne*, incommode ſatis; qui dum hujus ſenſus confirmandi cauſſa provocat ad Pſ. XXIV. 5. non attendiſſe videtur, ibi per צדקה ex noſtra ſignificatione commodiſſime intelligi id quod pio convenit, er wird Seegen empfangen, und was billig iſt, ihm gehört und zukommt, oder was nach göttlicher Ordnung, Willen und Wort ihm verſprochen iſt, von dem GOtt ſeines Heils, u. ſ. w. Et idem quoque dicendum puto de *verſione Anglicana*, quæ vocem לצדקה moderate, vel *Liveleii*, qui, juſta menſura; vel *Piſcatoris*, qui juſto tempore, contorta interpretandi ratione, verterunt.

§. IV. Tandem & ipſa verborum ſtructura huic favet ſententiæ. Vt enim nihil dicam, quod contraria ſententia ταυτολογίας ſpeciem exhibeat, quam vix cum *Tarnovio* per diſtributionem generis in ſuas ſpecies, vel cum *Pocockio* per emphaſin repetitione expreſ-

(*u*) *Matth. III.* 15. *Io. XVI.* 10.
(*x*) *l. c.* non diffitente Tarnovio *l. c. p.* 112.

preſſam excuſabis; emphaſis additi ה demonſtrativi, itemque adjectæ notæ accuſativi את, quarum particularum utraque, imprimis poſterior, ſingularem ſubſtantiam, eſſentiam & ſubjectum peculiare maximeque reale notat (*y*), magis ad ſubjectum doctoris, tanquam perſonæ ſingularis momenti, quam ad pluviam, etſi tempeſtivam, quadrat. Neque ita ſpeciatim determinari neceſſe fuiſſet hoc prædicatum per duas particulas, ſi pluvia intelligeretur, quia in ſequentibus ſatis ſuperque determinatur. Nec fert hanc ἐμφάσεως per particulas expreſſæ prolixitatem ſanctæ linguæ indoles. Accentuatio quoque & maxima ejus in hoc verſu diſtinctio τοῦ (*atnach*) huic interpretationi magis favet. Quod ſi enim ea admittatur, materiæ heterogeneæ recte diſcretæ ſunt, & facta inter ſubjectum & prædicatum diſtinctio per accentum (*atnach*) ita ut prior pars contineat ſubjectum gaviſurum & cauſſam efficientem excitantem gaudium; pars poſterior vero beneficium formale, quo gaviſuri ſint. Cum contra in altera interpretatione pars prædicati ad ſubjectum tracta, & quæ eadem prorſus ſunt, inter ſe magna diſtinctione contra dictamen logicum diſtincta ſint.

Audita jam parte una, audienda eſt quoque pars altera, & expendendum, quid contra hanc interpretationem objiciatur. Monet vero TARNOVIVS & ex parte quoque VORSTIVS locis citatis:

1. Occurrere vocem המורה cum ה articuli, adeoque ita verti non poſſe in ſtatu conſtructo, cui ה articuli non præfigatur. Hujus regulæ gratia Tarnovius provocat ad BVXTORFIVM (*z*), qui tamen non obſervaſſe videtur, quod BVXTORFIVS in ſequentibus (*aa*) monuit, quandoque tamen nomini conſtructo additum reperiri, cujus exceptionis exempla profert Gen. XXXI. 13. II. 9. Ier. XXV. 10. Iudic. XVI. 14. & alia: & ad finem recte ad Ellipſin pro-

(*y*) Vid. B. DANZIVS *Interpr.* §. 118. *p.* 133. *ed. min.*
(*z*) *Theſaur. gramm. p.m.* 383. (*aa*) *p.* 385.

provocat. Obſervavit enim acutiſſimus magnique nominis philologus B. IO. ANDR. DANZIVS (*bb*), ſubſtantivo conſtruendo abſolute vel cum articulo poſito idem ſubaudiendum eſſe in forma conſtructa. Quod ſi hoc non placet, id ſatis quod eſt faciet, quod juxta eundem (*cc*), ſi prior vox conſtruenda relinquatur, poſteriori ſc. recto præfigatur nota genitivi (ל) idque poſtea exemplis probat. Cadit itaque ſola hæc objectio: quæ nec inde ſpeciem lucratur, quod accentus diſtinctivus (*atnach*) voci מורה additus ſit, & conjunctionem cum ſequenti verbo impediat; cum notum ſit ex doctrina accentuationis Ebrææ (*dd*), diſtinctivos minores in ditione duarum vocum connectendarum per ſervum interdum pro eo adhiberi.

2. Monet Tarnovius*, noſtram interpretationem non niſi allegorice textui & ſubjectæ materiæ quadrare, nullum vero allegoriæ extare veſtigium. Verum ſupra jam monuimus, ex indole vaticiniorum, majus & illuſtrius ſubjectum, & ἀντίτυπον quendam hujus typi, adeoque allegoriam imprimis requiri. Et ſi nihil in antecedentibus occurreret, ſola gaudii, ad quod, vates excitat, magnitudo (*ee*) longe major, quam quæ reſtitutæ regionis fertilitati debetur, & appellatio Sionis, quo nomine eccleſia in vaticiniis intelligi ſolet (*ff*), ſufficerent ad cogitandum de typo & allegoria. Sed & inſequentia, quæ capite tertio occurrunt, huic objectioni nervos omnes incidunt: ea enim aperte docent, hæc eſſe ἀλληγορούμενα.

3. Tan-

(*bb*) *Interpr.* §. 23. *p.* 22.
(*cc*) *ibid.* §. 20. *p.* 19.
(*dd*) Vid. G. H. REIME *comp. accent.* §. 23. *p.* 35.
(*ee*) Vid. COCCEIVS *ad h. l.*
(*ff*) eleganter de eo commentatur B. LVTHERVS ad *h. l.* & ex eo CALOVIVS *bibl. illuſtr. ad h. l. T. II. p.* 777.

3. Tandem & hoc urgetur, ſequentia probare, quod de ſola fertilitate naturali ſermo ſit, quia in hoc verſu mox pluvia nominetur, in ſequentibus effectus doceatur. Sed ex ſuperioribus reſponſio patet; invertimus enim argumentum hoc, & ex conſequentibus contra contrariam pugnavimus ſententiam. Nec ulla in hac objectione eſt conſequentia. Nam quæ in textu inter ſe conſequuntur, ea non inter pauca aliquot commata includenda, ſed ad totam textus diſpoſitionem extendenda, ſicque quæ capite tertio dicuntur, neceſſario cum hoc verſu connectenda ſunt, & illuſtriora, quæ ibi promittuntur, huc trahenda, ne uno verſu eadem bis promittantur, indecora tanto tamque gravi ſcriptori repetitione.

Habes hic, vir pl. reverende, rationum mearum, olim tibi paucis expoſitarum, uberiorem expoſitionem; quæ vel eo nomine ſe mihi commendavit, quod ita nobile de ſanctiſſimo Salvatore noſtro vaticinium nobis, quod in altera verſione fit, non ſubtrahatur. Cum enim, monente ipſo magiſtro noſtro, tota ſcriptura ſacra de Ieſu teſtetur, cur non in tam luculento eum loco quæramus? Tu itaque pro eruditione & pietate tua hæc altius expendere, & hanc qualemcunque ſcriptionem æqui bonique conſulere non gravaberis.

Vale.

(o)

OBSER-

OBSERVATIO II. (*)
Exegetica ad locum IOANNIS XII. 32.

Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν.

EST hic locus ex iis, quibus ſanctiſſimus Salvator, omnium optime gnarus, quis futurus eſſet rerum ſuarum inter Iudæos exitus, *mortis genus*, quo a frivola Iudæorum gente ex viventium numero tollendus eſſet, prædixit, *fructum* vero haud ultimum mortis ſuæ indicavit. Verba in ſe quidem, ut ſolent prophetica, obſcuriora ſunt, quibus tamen clariſſimam ſua interpretatione lucem affudit ſanctus Ioannes. Illuſtratum quoque ex conſuetudinibus ſuppliciorum Romanorum locum dedere varii, interque illos inter primos numerandus ANTONIVS BYNAEVS (*a*). Nobis iſta prolixius exponere, & cramben recoquere conſtitutum non eſt, ſed circa hoc Ioannis oraculum a Chriſto profectum ea tantum obſervabimus, quæ ex veterum more *vexilla in altum erigendi* lucem ei fœnerabuntur.

Signum ſcilicet, ſive *vexillum*, in veterum militia *erigebatur*, &, ſi *in civitate* eſſet, *ex arce*, ſin *in campo*, *ex loco edito* monſtrabatur, quando delectus militum erat faciendus, copiæ congregandæ, miles in ordine continendus, ne diſpergeretur, ſed conſpecto vexillo ordinem ſervaret, vexilloque propoſito ad armorum capiendorum pugnæque initium indicandum. Res notior eſt, quam quæ multis probari debeat, & docte a IVSTO LISPIO (*b*) demonſtrata eſt.. Ex multis veterum locis pauca ſufficiant.

(*) Vid. *Miſc. Lipſ. T. X. obſ.* 207. *p.* 98. *ſeqq.*

(*a*) In *hiſtoria paſſionis Ieſu Chriſti ex antiqq. illuſtrata c. I.* §. 21. *p.* 59. *ſeqq.* Conf. quos laudat B. IO. CHR. WOLFIVS *cur. philol. ad h. l. T. I. p.* 930.

(*b*) *de militia Rom. l. IV. dial.* 5. *opp. T. III. p.* 185. ubi longam de ſignis & vexillis diſſertationem habet.

CICERO ad Atticum (*c*): *Num quando perditis civibus VEXILLVM, QVO CONCVRRANT, defuturum putatis?* CAESAR (*d*): *Cæſari omnia uno tempore erant agenda; VEXILLVM proponendum, QVOD erat INSIGNE, cum AD ARMA CONCVRRI oporteret.* AMMIANVS in hiſtoria Valentiniani (*e*): *SIGNIS illico fixis e more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum ſtetit regibilis miles, VEXILLVM opperiens EXTOLLENDVM, quod erat opportunæ initium pugnæ.* Apud Perſas quoque flammeo vexillo pugnam indici ſolitam fuiſſe autor eſt idem AMMIANVS (*f*).

Maxime autem memorabile hoc loco eſt, pugnæ ſignum, quo ad arma conclamaretur, milesque ad accingendum ſe ad pugnam excitaretur, fuiſſe tunicam ruſſam in prætorii faſtigio in haſta extenſam; habuiſſe quoque vexillum illud, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum, eum uſum, ut DISPERSI forte a ſignis ſuis milites CONGREGARENTVR, & imprimis in re ſubita haberet exercitus, quo ad imperatorem ſe colligeret. Loca veterum, quia diligenter collegit LIPSIVS (*g*) non adducimus, expendenda vero ſunt, cum dicendis magnam lucem accendant. Ceterum nec ignotum antiquitatis ſcrutatoribus, nomen haud raro imperatoris grandi, quod præferebatur, vexillo fuiſſe inſcriptum, quale in expeditione Craſſi contra Parthos in flumen e ponte inverſum decidiſſe narrat DIO (*h*). Poſterior ætas labarum dixit, ſignumque fuit, ubi imperator eſſet.

Hæc quod præſenti S. Ioannis loco adplicari queant debeantve, monet inſignis quidam IESAIAE locus c. XI. v. 10. ubi *de futuro Meſſia, veroque Davidicæ arboris ſurculo*; regiique ſtemmatis novo flore prædicit propheta, eum propoſitum iri tunc, cum pro-

(*c*) *L. X. ep.* 17. (*d*) *de bello Gallico l. II. c.* 20.
(*e*) *l. XXVII. c.* 10. (*f*) *l. XX.* (*g*) *l. c. p.* 232.
(*h*) *l. XI.*

prodierit, populis IN SIGNVM & VEXILLVM; & clarius paucis interjectis (*i*): ATTOLLET (Iehova) VEXILLVM *gentibus*, & COLLIGET *ejectos Iſraëlis*, & DISPERSOS CONGREGABIT. Clariſſimum hoc Ieſaiæ oraculum manu quaſi ad ipſam hanc textus Ioannei interpretationem ducit. Cum enim ad vexilla veterum in re militari uſurpata digitum intendat ſanctiſſimus vates, id quod collato loco parallelo c. V. 26. & XIII. 2. clarius patet, & a præſtantiſſimis (*k*) commentatoribus eſt obſervatum; in hoc ipſo vero textu, de ſanctiſſimo Meſſia noſtro tantum ſermo ſit, & eſſe poſſit: quis porro dubitabit (*l*), ex harmonia utriusque loci *Chriſtum* haberi in hoc textu noſtro pro *VEXILLO omnibus propoſito*, ut ad illud CONGREGARENTVR.

Et hæc certe mens oraculi Ioannei eſt. Magnifica tum Chriſtus de cœlo voce coram populo tanquam verus Meſſias, victor hoſtium humani generis, Servatorque mortalium prædicabatur, & glorioſo actu confirmabatur. Quod cum non recte intelligeret turba adſtans, clarius explicuit optimus divinorum oraculorum interpres Ieſus, & tum victoriam ſuam de principe hujus mundi reportatam indicavit, tum & verum fructum docuit, & VEXILLVM monſtravit, ad quod omnes, quotquot in ſua caſtra contra hoſtes ſint profecturi, CONGREGARENTVR. Licet enim per exaltationem primario hic intelligi *exaltationem in crucem* ipſe Ioannes moneat, & ex uſu & conſuetudine linguæ Chaldaicæ & Syriacæ, quibus uſus eſt Chri-

 ſtus

(*i*) *v.* 12.

(*k*) Vid. ARNOLDVS BOOTIVS *animadv. S. L. I. c.* 7. CAMP. VITRINGA *comment. ad h. l. p. m.* 439. *ſeqq.* Ed Herb. add. SANCTIVS & PISCATOR ad h. l. apud POLVM in *ſynopſ. criticor. Vol. III. p.* 127. qui oraculum hoc Iſaianum pari ratione *de Ieſu in crucem exaltato* interpretantur.

(*l*) Vnde, licet ſtrictiſſime & pauciſſimis, ad rationem *Vexilli* hunc noſtrum textum quoque adplicat MARTIN. DE ROA *ſingular. l. I. c.* 2. apud IAC. LYDIVM *de re militari l. I. c.* 2. *p.* 6. quem ſequitur PICINELLVS *lum. reflex. p.* 665.

ſtus τὸ *exaltare* pro *cruci affigere* uſurpetur, quod ex TARGVM (*m*) & verſione Syriaca N. T. (*n*) patet; licet præterea ipſe quoque Ieſus clariſſime id doceat: (*o*) nihil tamen obſtabit, quo minus ſalva explicatione Ioannis, ſervato ſimili *ad VEXILLORVM conſuetudinem* cuncta adplicentur. Fuit enim *vere exaltatus* Salvator *in ligno crucis* SIGNIFER populi ſui, contra ferales humani generis hoſtes in pugnam procedens, depugnans, victoriamqueglorioſam reportans, triumphis æternis nobilem, quam divus Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes (*p*) eleganter depingit, & fuſe ex veterum triumphis illuſtravit IACOBVS LYDIVS (*q*). In nobili hac & divinis carminibus decantanda pugna, *SIGNVM crucis*, quin, ſi rem recte exiſtimes, *ſemetipſum in crucem propoſuit ſuis*, ut ad ipſum ANTESIGNANVM (*r*) & *ducem caſtrorum ſuorum*, victoriam certiſſimam jamjam conſecutum ſe CONGREGARENT (*s*), & quaſi TRAHERENTVR, diſperſi antea per obſcura humanarum traditionum, onerumque, impotentiæ carnalis, cœcitatis & ſervitutis ſpiritualis devia, devicti vere & expugnati, niſi cum prælio & victoria ipſe cuncta reſtituiſſet.

Conſentit cum his, quæ attulimus, ipſe divus Ioannes, qui finem mortis Chriſti indicaturus, eam Chriſtu perpeſſum ait, ἵνα τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ ΤΑ ΔΙΕΣΚΟΡΠΙΣΜΕΝΑ ΣΥΝΑΓΑΓΗΙ ΕΙΣ ΕΝ. *Vt filios Dei DISPERSOS CONGREGARET in unum.* Et cum ſanctiſſimum Servatoris corpus tot vulneribus dilaceratum, & largo ſanguinis rivo cruentum, vexillum fuerit erectum, ad quod congregarentur filii

(*m*) *Eſth. VII.* 10. & *IX.* 13. (*n*) *Matth. XX.* 19.
(*o*) *Io. III.* 14. 15. (*p*) *c. II.* 15.
(*q*) pecul. diſſ. quæ inſerta eſt ejus *ſyntagm. S. de re milit. l. VI. c.* 3. *p.* 211. *ſqq.* & addita quoque ejus *Florumſparſioni ad paſſionem Ieſu Chriſti p.* 311. *ſqq.*
(*r*) *Col. I.* 18. conf. quæ de hac *congregatione fidelium* dixit CAMPEG. VITRINGA *comm. ad Ieſ. XI.* 11. *ſqq. p.* 440. *ſeqq.*
(*s*) *c. XI.* 52.

filii Dei, quis non PVRPVREVM hoc SIGNVM devotis reſpiciens oculis, TRAHI & CONGREGARI ſe patiatur ad illud, ut ſolebat fortis Romanorum miles, cum pugnæ initium faciendum erat, ad *puniceum vel rubrum vexillum* concurrere. Quod ſi jam ad ſanctiſſimum hoc vexillum trahuntur & congregantur fortes Chriſti commilitones, continebuntur hoc ipſo etiam ita in ordine, ut conſpecto tot vulneribus cruento magiſtro, nunquam hoſtium inſultibus cedant, nunquam per mundi illecebras ſe ex ordine deduci & rapi patiantur: ſed quotiescunque ſatanæ furor, mundi rabies, peccati vis, bellum indixerit, ad hoc vexillum concurrant, & utraque manu datis cœlitus armis (*t*) ductore ſummo SIGNIFERO hoſtibus jam profligatis inſtent. *Flammeum* quoque IGNEVMQVE Perſarum VEXILLVM, ſignum nobis in cruce eſſe propoſitum, FLAMMEO COLORE inſigne, monet. Flagrat enim ſummo amore erga ſuos pendens in cruce Servator, eoque amore ſuos CONTINET, ne tantæ fidei ducem unquam deſerant. Id quod ipſe de ſe profitetur S. Paulus, fortis in caſtris Chriſti heros, & fidus ſummi anteſignani comes, qui diſerte (*u*): ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ ΣΥΝΕΧΕΙ ἡμᾶς; *amor*, inquit, *Chriſti CONTINET* nos, & in veteri jam fœdere ſymboli loco habuit ſponſa cœleſtis (*x*): *Introducis me in locum vini, habens pro VEXILLO AMOREM erga me* (*y*).

Conſpicuum autem ſalutare hoc & prætorianum crucis vexillum venerando imperatoris nomine, quod ut cunctis rite pateſceret, cognoſcerentque, ſub quo duce congregati, in ſpem victoriæ arma conferrent milites Chriſtiani, ita dirigente Numine ipſe

 procu-

(*t*) *Eph. VI.* 13. *ſeqq.* (*u*) *II. Cor. V.* 14.
(*x*) *Cant. II.* 4. (*y*) Vid. IVNIVS *ad Cant. II.* 4. qui ita: Vnico ſuo amore erga me, velut INSIGNI ob oculos poſito, animum meum ad ſe pertrahens, ut milites a duce CONVOCANTVR & CONTINENTVR ſub ſignis. Add. IAC. LYDIVS, *l. c. p.* 7.

procurator Romanus indicare debuit, inſcripto cruci dominicæ titulo: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Quamvis autem nolimus acriter de eo contendere, quod nonnullis (z) placuit, Chriſtum ignominiæ cauſſa ex altiori, quam latrones, cruce pependiſſe, & ita ut in loco edituin, quo prætoria ſolebant collocari, ſuis vexillum propoſuiſſe; ipſe tamen ex anguſtiis ſublatus in cœlum, ſalutiferum vexillum ex alto ſuis præfixit, ut ſcirent, non ad alium quam ad IESVM CRVCIFIXVM fideles poſſe congregari.

Pulchre itaque ſanctiſſimum hoc ſignum, ad quod congregaturum ſe populos Deus magnifice per Ieſaiam promiſerat, reſpexit IGNATIVS *in epiſt. ad Smyrnæos* (*aa*): *ἀφ᾽ οὗ καρπȣ̃ ἡμεῖς ἀπὸ τȣ̃ θεομακαρίȣ αὐτȣ̃ πάθȣς, ἵνα* ΑΡΗΙ ΣΥΣΣΥΜΟΝ *ἐις τȣ̀ς αἰώνας, διά τῆς ἀναςάσεως*, ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΓΙΟΥΣ ΚΑΙ ΠΙΣΤΟΥΣ ΑΥΤΟΥ, *εἶτε ἐν. ἰουδάιοις, ἕιτε ἐν ἔθνεσιν ἐν ἑνὶ σώματι τῆς ἐκκλησίας αὐτȣ̃. Ex quo fructu* (Chriſto) *nos ſumus per divine beatam paſſionem ejus, VT ELEVET SIGNVM in ſecula per reſurrectionem, SANCTIS ET FIDELIBVS SVIS, ſive inter Iudæos, ſive inter gentes, in uno corpore eccleſiæ ſuæ.*

(z) KIPPING. *exerc. XXIII. de cruce p.* 167. BARTHOL. *de aperto Chriſti latere c.* 7. HEINSIVS *ad Nonn. p.* 515.
(*aa*) *init. epiſtolæ.*

(o)

OBSER-

OBSERVATIO III.
EXEGETICA ad locum PAVLI *ad EPHES. C. II. comm.* 1, 2. (*)

§. I.

D. Paulum oriundum Tarſo, ubi elegantiſſimarum ſcientiarum, & philoſophiæ quoque, cultura maxime floruit (*a*), in Græcanica philoſophia ceteraque eruditione Græcorum admodum excelluiſſe, multi quidem ſunt, qui ſibi perſuadent, nihil tamen afferunt, quod nos ſententiæ huic pollicem premere cogat (*b*). Illud tamen nemo negabit, ſanctum apoſtolum ad ſeculi ſui ſtatum & conditionem attentum, non ad mores tantum temporis ſui atque conſuetudines reſpexiſſe in ſuis epiſtolis, ſed præcipue quoque ad doctrinas inter Iudæos & gentiles tum maxime receptas animum intendiſſe. Vti enim Græcanica philoſophia tum temporis in Ægypto, Syria, atque Aſia fuit florentiſſima, ita inter Iudæos quoque, ſi non Palæſtinæ incolas, certe illos, qui inter Græcos habitabant, eam viguiſſe, alibi (*c*) nobis demonſtratum eſt atque evictum. Præcipue vero illud philoſophiæ genus, quod Alexandriam in Ægypto patriam habuit, & a Platonis auctoritate, quam potiſſimum ſequebatur, Platonicum dictum fuit, aſcito circa ſec. II. finem Eclecticorum nomine, ſæpe reſpexiſſe ſanctum gentilium apoſtolum, non uno exemplo in epiſtolis ejus occurrente demonſtrari poteſt, & nos olim

Paulus ap. reſpiciens ad phil. ſui ævi.

Nn 5

(*) *Temp. Helvet. T. II. ſect. I. p. 58. ſeqq.*

(*a*) Tarſi philoſophiam adeo floruiſſe, ut Athenis æmula non minorem inde gloriam conſequeretur, teſtis eſt STRABO *L. XIV. p.* 673. & celeberrimi viri inde orti ſatis evincunt, quos nominat doctiſſima induſtria cel. HEVMANNI *act. phil. Vol. III. p.* 141. Conf. quæ diximus in *hiſt. philoſ. T. III. p.* 1067.

(*b*) Confectum, niſi fallimur, luculenter in *hiſt. philoſ. T. IV. p.* 983. *ſqq.*

(*c*) *ibid. p.* 46. *ſqq.*

olim luculento teſtimonio confecimus (*d*). Nec mirandum quidem illud eſt. Vti enim hoc philoſophiæ genus, quod miram ſententiarum abſurdiſſimarum colluviem ſplendido Eclecticæ philoſophiæ titulo & facie poſte a continebat, ex Ægypto per Syriam & Aſiam ſe maxime diffudit (*e*); ita multum quoque cauſſæ erat apoſtolo, qui ad harum regionum eccleſias ſcribebat, ut vigilaret, ne quis eas ſit *συλαγωγῶν, διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων καὶ τὰ ςοιχεῖα τοῦ κόσμου*, ut ipſe diſerte teſtatur *Col. II. 8.* Et hinc ratio petenda eſt, cur mox ad erronea hujus ſectæ dogmata refellendo reſpiciat, mox ex conceſſis atque poſitis ab ea diſputet, eaque ad ſanctiſſimam Chriſtianæ fidei & divinæ revelationis normam emendet. Poſterioris generis exemplum luculentum jam porro nobis exponendum, luxque loco Paulino *Epheſ. II. 1. 2.* affundenda eſt. Non vero compilabimus ſcripta exegetarum & interpretum, nec quæ viri doctiſſimi & potentes in ſcriptura ad eum affatim de ſtructura & ſenſu hujus textus dixere, repetemus, facile alibi quærenda, & plenis cyathis haurienda (*f*), ſed ea tantum afferemus, quæ ad placita philoſophiæ Alexandrinæ prorſus reſpicere nobis videntur, indeque lucis aliquid fœnerantur. Illam enim philoſophandi methodum Epheſi quam maxime ſuos cultores tempore jam Apoſtoli habuiſſe, philoſophiæ veteris ejusque fatorum peritum fugit neminem (*g*).

§. II.

(*d*) in *otio Vindel. Mel. I. p. 41. ſeqq.*

(*e*) Hoc vel ſolas EVNAPII *vitas ſophiſtarum* legenti conſtabit: addenda, quæ fuſe de hac ſecta diximus in *hiſt. phil. T. III. p.* 427 *ſqq*

(*f*) Conſulenda hic potiſſimum præſtantiſſima eruditio B. IO. CHR WOLFII, qui in *curis philol. & crit. in* N. T. libro optimæ frugis pleniſſimo, *ad h. l. Vol. III. p.* 38. per lancem ſaturam ea collegit, & eleganter digeſſit, quæ prolixe attulit præſtantiſſimorum ſcripturæ interpretum diligentia.

(*g*) A priſco jam tempore philoſophiam Epheſi viguiſſe exemplum Heracliti nos dubitare non ſinit, quidum librum ſuum de natura in archivis templi Dianæ ſecretum repoſuit, vid. LAERT.

§. II. In eo vero eſt ſacro inſtinctu actus divinus *Scopus* ſcriptor, ut ſtatum converſionis Epheſiorum laudibus *ſcript.* deprædicet, & quantis per Ieſum Chriſtum, Dei fi- *ſacri.* lium, mediatorem, miſeriis erepti ſint, quantis beneficiis mactati, exponat, validiſſimum inde argumentum ducturus, quo ad ſanctam in fide conſtantiam nullis afflictionum procellis turbandam excitarentur. Incipit itaque miſerrimum, in quo ante ſuam converſionem conſtituti erant, ſtatum vivis coloribus depingere, & in memoriam revocare, tum quæ ipſorum conditio ſub poteſtate infernalis genii fuerit, tum quæ corruptiſſima vivendi ratio cæcis cupiditatibus & præjudiciis turpiſſimis ducta. Sinamus hoc aliis expendendum, & ad illud potiſſimum reſpiciamus, in quo D. apoſtolum ad receptas tum temporis Iudæorum pariter atque gentilium, maxime philoſophorum, ſententias digitum intendere, & ex conceſſis, ut eo magis conſtringat, diſputare putamus. Ita vero: Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις, ἐν αἷς ποτε περιεπατήσατε κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. *Vos quoque, prævaricationibus & peccatis mor-*

tui

L. IX. S. 6. & MENAGIVS *ad h. l.* luculenter, quo loco ſuo jam tempore philoſophia apud Epheſios habita ſit, docet. Philoſophiæ vero Eclecticæ ſtudium apud Epheſios floruiſſe, Maximi philoſophi exemplo conſtat, qui cum fratribus Claudiano & Nymphidiano præter elegantes literas Eclecticam ibi quoque philoſophiam edoctus magnam ſibi nominis celebritatem & Iuliani quoque imperatoris venerationem, fata vero non minus dura & aſpera ſibi conciliavit. Prolixe ſatis ex veteribus ejus res enarravimus *hiſt. phil. T. III. p. 700. ſqq.* Nemo vero inter philoſophos Epheſi commorantes majori jure nominari meretur, quam Apollonius Tyaneus. Celeberrimus enim hic philoſophus id potiſſimum eo tempore, quo divus Paulus hæc ſcribebat, egit, ut diſciplinam Pythagoricam reſtauraret. Eo vero, teſte PHILOSTRATO haud ſemel Epheſi degente & longas moras nectente, *vid. l. I. c. 16. p. 19. l. IV. c. 1. p. 366. ſeqq.* facile inde concipi poteſt, modum quoque Pythagoricum cum diſcipulis apoſtatis agendi, doctrinasque Pythagorico-Platonicas ibi non fuiſſe ignotas.

tui ambulaviſtis in iis ſecundum ſeculum hujus mundi, ſecundum principem poteſtatis aëreæ, ſpiritum nempe, qui nunc quoque efficaciter operatur in filiis incredulitatis. Delineat his verbis Paulus tum rationem conditionis Epheſiorum ante converſionem in genere, tum in ſpecie infauſto vivendi principio, quo agebantur & ducebantur, luculenter expreſſo. Primum illud vocat ſtatum *mortuorum in peccatis & transgreſſionibus.* Significationem verborum impropriam eſſe nemo non videt: nec repugnamus, primario reſpexiſſe ſanctum gentium doctorem ad ſignificationem verborum: *vivus & mortuus,* in ſ. ſcriptura potiſſimum occurrentem, qua is *mortuus peccato* dicitur, tum qui omni ſpiritualis operationis efficacia deſtitutus ineptus totus eſt & incapax illius virtutis divinæ, in omnia alia diſcedens, & ſceleribus ſe mancipans; tum qui propter transgreſſiones & prævaricationes contra legem divinam morti a divina juſtitia addictus eſt, & ſeparatus a ſpe vitæ æternæ (*b*). Nec ignota quoque Iudæorum magiſtris hæc phraſis, ex quibus R. ELIEZER in *Chetubh. fol 3. col. 2.* עמי ארצות אינן חיים *populi terrarum,* i. e. gentiles *non ſunt viventes:* & R. IER. BEN ABBA in *Sanhedr. fol. 92. col. 6. Oſſa Ezechielis arida ſunt filii hominum, in quibus* שאין לחלוחית המצוה *non eſt humiditas præcepti* (*i*) Erat tamen apoſtolo res non cum Iudæis ſolum inter gentiles viventibus, ſeque eorum moribus, atque haud raro placitis quoque attemperantibus, ſed cum gentilibus quoque, a doctoribus ſuis ſeductis, ad quorum dogmata perverſiſſima reſpicere videtur Paulus, ubi verſu ſequenti Epheſios ait feciſſe τὰ θελήματα τῶν διανοιῶν, ea, *quæ ſeducta in errores cogitationes & præjudicia imperabant.* Hic ſtatus maledictionis & impotentiæ ſpiritualis, quem ſupra tetigimus, clara quadam in re magni momenti voce, Epheſiis ſatis jam intel-

Mortui in peccatis.

(*b*) Conf. B. GLASSIUS *philol. S. l. V. tr. I. c. 12. p. m.* 1807.
(*i*) apud LIGHTFOOTUM *hor. hebr. ad Io. V. 25. opp. T. II p. 623.*

intellecta, erat delineandus. Vtitur vero non alio, niſi emblemate mortis, dum eos in transgreſſionibus & peccatis mortuos habitos fuiſſe monet: cognita itaque ipſis hæc ſignificatio mortis impropria fuerit, neceſſe eſt. Vnde vero hanc ſignificationem ſumſerit, inter veteris eccleſiæ doctores oſtendet CLEMENS ALEXANDRINVS, patriæ philoſophiæ peritiſſimus, qui alicubi (*k*): ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσοῦντας τῶν δογμάτων, καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. *In barbarica philoſophia vocant mortuos eos, qui exciderunt dogmatibus, & mentem ſubjecerunt animæ perturbationibus.* Vbi per barbaricam philoſophiam Pythagoream intelligit, extra Græciam in Italia olim florentem, & a multis veterum inter barbarica philoſophandi genera relatam. Narraverat enim doctor Alexandrinus, quod & alibi (*l*) notatum legimus, Hipparchum Pythagoreum accuſatum, quod aperte ſcripſiſſet decreta Pythagoræ, expulſum fuiſſe ex ſchola, & ob id ipſum tanquam mortuo poſitam ei columnam fuiſſe. Cujus moris rationem luculentius nobis pandit IAMBLICHVS, qui in *vita Pythagoræ* (*m*) hæc habet: εἰ δ᾽ ἀποδοκιμασθείησαν, τὴν μὲν οὐσίαν ἐλάμβανον διπλῆν, μνῆμα δὲ αὐτοῖς ὡς νεκροῖς ἐχώννυτο ὑπὸ τῶν ὁμακόων - - συντυγχάνοντες δὲ αὐτοῖς οὕτω συνετύγχανον, ὡς ἄλλοις τισίν. ἐκείνους δὲ ἔφασαν τεθνάναι, οὓς αὐτοὶ ἀνεπλάσαντο, καλοὺς κἀγαθοὺς προσδοκῶντες ἔσεσθαι ἐκ τῶν μαθημάτων. *Qui vero rejiciebantur opum, quas contulerant, duplum recipiebant, iisque monumentum, tanquam mortuis, extruebatur ab homacois; qui ſi aliquando illis obviam facti fuiſſent, cum iis tanquam cum aliis quibusdam agebant, ipſos vero dictitabant mortuos, quos hac ſpe reforma-*

(*k*) *Stromat. l. V. p. m.* 574. *ſeqq.*
(*l*) IAMBLICHVS *de vita Pythag. c. XXXIV. n.* 146. 247. *c. XVI. n.* 74.
(*m*) *c. XVII. n.* 73. *p.* 60.

formaverant, ut ope diſciplinarum in bonos honeſtosque viros evaderent (*n*). Eadem habet ORIGENES *contra Celſum* (*o*), qui vitam idioticam opponit Pythagoricæ, ſolutam libidine ſubactæ ad regulas ſapientiæ. Ex quibus manifeſtum eſt, duplici nomine mortuos dictos fuiſſe, qui diſciplina Pythagorica deſertione, mala fide, & corruptis moribus exciderant, nempe propter extinctam in ipſorum animis ſapientiæ & virtutis diſciplinam, & propter deletum inter ſocios nomen, ſublatamque accedendi magiſtrum & audiendi poteſtatem, & ejectum ex numero ὁμακοίων ſocium. Quod ut ignotum eo tempore eſſe non potuit, quo Apollonius maxime Tyaneus Epheſii Pythagorica vitæ & philoſophandi inſtituta renovabat, ita non ineptum erat ad illum adumbrandum ſtatum, in quo Epheſii ante ſuam ad Deum converſionem verſabantur. Erat enim lux omnis ſapientiæ in illis extincta, & delati ad cupiditates carnis, unde & nomen inter ſodales & amicos Dei deletum, & ejecti ipſi e numero cœtus divini, excluſi a gratia accedendi Deum, athei in hoc mundo, & ita ſenſu hoc duplici revera mortui. Ita enim in ſequentibus apoſtolus conditionem eorum luculenter depinxit, ut dubii eſſe nequeamus, ad hanc potiſſimum a ſocietate excluſionem eum reſpexiſſe, quando *comm. 12.* ait, ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθήκων τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, in quibus verbis magnam cum diſciplina Pythagorica convenientiam veteris philoſophiæ non ignarus facile deprehendit. Capiebant hoc facile Epheſii, præſertim οἱ ὄντες μακρὰν, id eſt, gentiles, vel, ut Pythagorica phraſi utar, exoterici; quibus illud novis & purgatis luminibus pateſcebat, quod obſcure & per umbram ſaltem balbuti-

(*n*) conf. SCHEFFER *de phil. Ital. c. 12. p. 124. hiſtoria de ideis, Sect. I. §. 23. p. 124. hiſt. philoſ. T. II. p. 89.*

(*o*) *l. II. p. m.* 68. ed. Hœſchel.

Digitized by Google

butiverant philoſophi, laſcivientes cupiditatibus extorres eſſe a vita, reveraque habendos pro mortuis. Secuti ſunt hanc loquendi rationem veteres Chriſtiani, ad quorum diſciplinam eccleſiaſticam modumque ejiciendi e cœtu ſacro & pro mortuis habendi ſceleratos ORIGENES Pythagorea hæc inſtituta adplicuit, quando inter alia ita (*p*): Καὶ τὸ μὲν τῶν Πυθαγαρείων σεμνὸν διδασκαλεῖον κενοτάφια τῶν ἀποσάντων τῆς σφῶν φιλοσοφίας κατεσκεύαζε λογιζόμενον, νεκροὺς αὐτοὺς γεγονέναι, ϗ οὗτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας ϗ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἤ τίνος ἀτόπου νενικημένους ὡς νεκροὺς πενθοῦσι. *Pythagoreorum veneranda ſchola ponebat cenotaphia diſciplinæ ſuæ deſertoribus, nimirum quod haberent eos pro mortuis: hi vero, ut deperditos Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove malo victi fuerint* (*q*).

Ambulantes ſecundum ſeculum hujus mundi.

§. III. Progreditur divinus doctor, & infelicem Epheſiorum conditionem a principio, a quo prius regebantur, deſcripturus, ait porro, *eos ambulaviſſe ſecundum ſeculum hujus mundi.* Varia hic eſt interpretum vocis αἰών explicatio, cui enarrandæ non inhærebimus. Dicamus potius, quod nobis in mentem venit, Paulum hic ad placita Platonicæ ſcholæ inter Ægyptios & Aſiaticos vigentis reſpicientem conſiderantes. Deſcribit nempe apoſtolus, poſt generalem miſeriæ Epheſiorum delineationem, eam quoque ſpecialiter magis, oſtendendo, tum cujus imperio, ductu & impulſu, tum qua ratione modoque vitam turpiſſimam egerint. Prius commate ſecundo accurate perſequitur, inque eo totus eſt, ut oſtendat, malum genium peccati omnis malarumque cogitationum, ratiociniorum corruptorum, & pravarum cupiditatum auctorem fontemque iis fuiſſe, unde tota illa

(*p*) *contra Celſ. l. III. p. m.* 14.

(*q*) Paria reperiuntur apud alios quoque, vide PHILONEM *allegoriar. l. I.* quosque nominat rev. WOLFIVS *ad h. l. cur. exeg. T. III. p.* 39.

illa malorum ſeries ad ipſos dimanaverit. Hæc quilibet textum accurate intuitus capit & intelligit. Referenda itaque deſcriptio tota ad infernalium poteſtatum principem eſt, & diſquirendum, quo ſenſu is dicatur *αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου.* Vbi in poſterioribus verbis obſcuritas nulla eſt, attendenti, per *mundum hunc* hominum perditorum, & ad ſpiritualem vitam non revocatorum turbam intelligi. Redit itaque difficultas omnis eo, quo ſenſu quave ratione diabolus dicatur *αἰὼν*, *ſeculum?* Evaneſcet tamen omnis illa, ſi meminerimus, non apud philoſophos tantum, qui ex Ægyptiaca Platonicorum ſchola orti ſunt, ſed apud eccleſiæ quoque doctores, horum philoſophorum placita ſuo modo ſequentes, vocem *αἰὼν* ſignificare ſubſtantiam intellectualem, immortalem, temporisque ex mutatione ſucceſſivi expertem. Amplus ſe hic nobis aperiret campus, per ſcripta Platonicorum & platonizantium eccleſiæ patrum exſpatiari, & hanc vocis *αἰὼν* ſignificationem probare, niſi hic nobis otium feciſſet præſtantiſſima celeberrimi BEAVSOBRII eruditio, qui in doctiſſima *hiſtoria Manichæiſmi* id tam erudite, tamque luculenter confecit, ut malimus cupidum lectorem eo remittere, ubi lautiſſimis eruditionis dapibus ſatiatus abibit, quam parvo jentaculo appoſito eſurientem dimittere. Ne tamen ſine omni ſymbolo abeamus, id potiſſimum, quod e re noſtra eſſe putamus, & a celeberrimo viro prætermiſſum eſt, hic notari bene volumus: Platonicos recentiores, ut nugis ingenii ſupra modum ſubtiles & acuti fuerunt, ita in deſcribendis naturis per ſe & ſine omni mutationum materialium viciſſitudine perſiſtentibus curioſiſſimos, *τοῦ αἰῶνος* conſiderationem, quæ omnes partium viciſſitudines excludit, ad eſſentiam abſolute primam, ipſamque naturam intelligibilem, infinitam, tum & ad reliqua intelligibilia extendiſſe, ſicut ens intelligibile, ejusque tota ſimul atque perfecta veritatis & vitæ

quid αἰών.

vitæ poſſeſſio ſine ulla partium mutatione per vocem αἰὼν intelligatur. Rem in Platonicorum ſcriptis paſſim obviam nemo majori ſubtilitate expoſuit quam PLOTINVS, qui *Enneade tertia* in eo totus eſt, ut doctrinam περὶ αἰῶνος καὶ χρόνου illuſtret, (obſcuret verius dixeris, ita nimiam ſubtilitatem & frigidum acumen venatur;) ex cujus tractatione ratio deſumi poteſt manifeſta, cur veteres hæretici, Gnoſtici, Valentiniani, Manichæi, cur veteres theologi cetera orthodoxi, ſed in ſcholis Platonicis inſtituti, Clemens Alexandrinus, Origenes, Syneſius & alii (*r*), ſubſtantias non tantum intellectuales, ſed & ipſum Deum, & ſanctiſſimas Trinitatis perſonas, quasve alias comminiſcebantur divinas emanationes, voce αἰώνων deſignaverint. Immo, ſi vel hunc locum noſtrum excipias, alio non obſcuro in ipſa ſcriptura S. per αἰῶνας intelligentiæ ſpirituales indigitantur, Paulo ad Ebræos, *C. I. c. 2.* ſcribente: *per filium Dei condita etiam ſecula*, τοὺς αἰῶνας; ubi ſi per ſecula angelos intelligamus, locus optime & clariſſime cohæret, alias obſcurus ſatis, ut vix dicere liceat, quid per αἰῶνας intelligi debeat? unde & eruditiſſimis viris hæc interpretatio arriſit, quos nominat ven. WOLFIVS, quibus jure meritoque addimus celeberrimos viros FABRICIVM (*s*) & BEAVSOBRIVM. His rite perpenſis, veroſimile admodum videtur, Paulum, qui principis infernalis in ſeducendis & gubernandis irregenitis potentiam & operationem deſcribere volebat, per αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου ſpiritum hujus mundi τὸν κοσμοκράτορα intellexiſſe; nam mox illum latius depingit, inque eo totus eſt, ut ex deteſtanda imagine auctoris vitæ Epheſiorum anteactæ horro-

(*r*) Prolixe exponentem videſis BEAVSOBRIVM *l. c. p.* 574. quocum conferendi SVICERVS *in Theſ. T. I. p.* 141. & PETAVIVS *dogm. theol l. III. c.* 5. §. 6. *ſeqq.*

(*s*) *Cod. apocryph. N. T. T. I. p.* 710.

horrorem illis injiciat, ſicque ad conſiderandam magnitudinem gratiæ divinæ in converſione ſe manifeſtantis eos eo fortius adducat. Egregie quoque omnia ſic cohærent, nec ad ſignificationes improprias & interpretationes duras vocis αἰὼν confugiendum eſt. Vnde miramur, hanc interpretationem B. HIERONYMO *ad h. l.* jam dictam, prætermiſſam fuiſſe plerisque interpretibus, ut vel ex congeſtis a POLO & WOLFIO *ad h. l.* videre eſt; rectiſſime itaque celeberrimus BEAVSOBRIVS (*u*) hanc vocis αἰὼν ſignificationem alteri, quæ morem & conſuetudinem ſeculi interpretatur, quamque alibi (*x*) ſecutus fuerat, prætulit, uti poſtea obſervavimus, cum hæc jam meditati eſſemus.

Rector poteſtatis aëris. §. IV. Propius vero porro deſcribit Paulus malum hunc & infernalem genium, quo potiſſimum auctore Epheſii in ſupremæ corruptionis & miſeriæ ſtatum detruſi ſunt, dum eum vocat τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *principem ſive rectorem poteſtatis aëris.* Vbi iterum in diverſas ſententias abierunt interpretes, quid potiſſimum his verbis indicare voluerit apoſtolus (*y*); ad tot ſententiarum divortia non diſceſſuri, ſi, quod initio monuimus, ad id attendiſſent, apoſtolum ad receptas tum temporis inter Epheſios ſententias reſpexiſſe. Quod ut manifeſtum fiat, obſervamus, vocem ἐξουσίας hic aperte magiſtratum, potentiamve quandam imperio conſpicuam innuere. Nec inſolitum eſt & ſcripturæ S. atque Iudæis, & huic ipſi, ad quam ſuo modo reſpexiſſe putamus, Platonicæ catervæ, ſpiritus non bonos modo, ſed & malos, poteſtatum, principatuum, magiſtratuumque nomine appellare. Illius luculentus teſtis eſto ipſe D. Paulus, qui *Rom. VIII. v. 38.* Πέπει-

(*t*) *l. c. p.* 575. (*u*) *ibid.*
(*x*) in *Not. ad h. l.* verſ. Gallicæ additis *T. II. p.* 431.
(*y*) B. WOLF. *ad h. l.*

Πέπεισμαι γὰρ, ὅτι οὔτε θάνατος οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις - - δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ·, τῆς ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ Κυρίῳ ἡμῶν. In quibus verbis de potentiis ſpiritualibus & magiſtratibus inviſibilibus ſermonem eſſe, vel ipſa addita vox, angelus, ſatis evincit; boni vero ſpiritus intelligi nequeunt, quippe qui ab amore Dei in I. C. fideles ſeparare non contendunt, quod infernalis draconis ex veteri odio paradiſiaco opus eſt. Horum, Platonicorum, vero libri his ſignificationibus pleni ſunt, & videndus imprimis, qui in his rebus delineandis totus eſt, IAMBLICHVS *de myſteriis Ægyptiorum:* qui inter multa alia, ubi de Ægyptiorum diis loquitur (z), hæc habet: ἔςι δὲ καὶ ἄλλη τις ἡγεμονία παρ' αὐτοῖς τῶν περὶ γένεσιν ὅλων ςοιχείων καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς δυνάμεων, τεττάρων δὲ θυληκῶν μὲν ἀρσενικῶν, τεττάρων κ. τ. λ. *Eſt & alius principatus* (ſpirituum) *apud illos ſuper elementa tota in generatione poſita, virtutesque eorum, nam quatuor maſculæ totidemque fœminæ ſunt.* Sed & reliqua legenda ſunt, quæ manifeſte docent, ex ſententia philoſophiæ Ægyptiacæ, ſive Platonicæ recentioris, elementis, aëri, cœloque præſides & poteſtates ſive magiſtratus ex ſpiritibus fuiſſe tributos. Et hos magiſtratus vocat τοῦ ἀέρος, quod duplici nomine dixiſſe intelligi poteſt. Vel enim ad eam opinionem reſpicit, quæ ſtatuit, eos ſedem ſuam habere in aêre, ibique principatum atque poteſtatem ſuam exercere; vel eam tangit ſententiam, cui mali hi ſpiritus aërii aliquid in ſe habere, ſuperioribus potentiis natura ſua multum inferiores, videntur. Vtraque trita tum temporis inter Iudæos & gentiles philoſophiæ Alexandrinæ alumnos doctrina, genios malos poſt lapſum ſuum in aërem tenebricoſum tanquam in carcerem detruſos, in illo, velut in tartaro, ſedem ſuam habere,

Cur in aëre?

Oo 2

(z) *Sect. VIII. c. 2. p. 159.*

habere, & in aëre potiſſimum poteſtatem exercere; ipſo vero lapſu ſuo a ſpiritualitate ſua plurimum receſſiſſe, craſſiorique involucro circumdatos materiales ſuo modo factos eſſe atque malos. Κυρία enim hæc δόξα eſt, quæ ex ſcholis Alexandrinis ad Iudæos quoque digreſſa, multum negotii otioſis Cabbaliſtarum ingeniis fecit. Poteramus id latius docere, & adductis veterum ſuffragiis probare, niſi ſupervacaneum putaremus ſpicilegium noſtrum poſt meſſem eruditiſſimorum virorum, ELSNERI (*aa*), WINDETI (*bb*), PARCKERI (*cc*), CVDWORTHI (*dd*). Vnum obſervatis ab his doctis viris addimus, reſidentiam hanc in aëre tenebricoſo gravique angelis malis, ex Iudæorum & Platonicorum juniorum ſententia, tanquam carcerem contigiſſe, & naturam ipſorum corruptam & a ſpirituali perfectione longe abhorrentem potiſſimum genuiſſe. Non in rem trahemus vel S. Petrum vel S. Iudam, ad has potiſſimum ſententias alluſiſſe viſos, non ignari, quid ad iſta potiſſimum loca moneant viri eruditiſſimi (*ee*). Iudæos vero & imprimis Cabbaliſtas philoſophos teſtes eſſe volumus, qui angelis damni, perditionis, vel mortis habitationem atque ſedem aſſignant ſub luna in regione aëris maxime ſeptentrionali, quod adductis doctorum Iudæorum teſtimoniis evicit EISENMENGERVS (*ff*), & nos alibi demonſtravimus (*gg*). Immo Cabbaliſtæ altius rem exorſi & ſyſtemati emanativo propius inſiſtentes, in mundo Aſiathico i. e. in aëre collocant ſpiritus materiales, præputium

(*aa*) *Obſerv. SS. p.* 206.
(*bb*) *de vita functorum ſtatu Sect. XIII. p. m.* 248.
(*cc*) *in libro* rariſſimo *de deſcenſu Chriſti ad inferos* l. II. §. 78. *ſqq. p.* 128. *ſq.*
(*dd*) *Syſtem. intellect. c. V. Sect. III.* §. 38. *p.* 1093. *ſqq.*
(*ee*) Audiendus imprimis ven. MOSHEMIVS *ad loc. cit.* CVDWORTHI.
(*ff*) in *Judaiſmo detecto P. I. c.* 18. *p.* 820. *ſqq.*
(*gg*) in *hiſt. phil. T. IV. p.* 541. 577.

putium ſerpentis, poteſtates malitiæ, quos cortices emanationis divinæ vocant, & multa de malitioſa eorum operatione garriunt. Quod qui latius cognoſcere cupit, ex R. ABR. COHEN IRIRÆ *pneumatica cabbaliſtica* (*bb*) plenis cyathis haurire poteſt. Inter gentiles philoſophos ut haud uni placuit (*ii*), aërem eſſe dæmonum plenum, ita ſchola potiſſimum Platonica, de qua hactenus loquimur, multa de ſpiritibus aëreis dixit atque docuit, dæmones materiales in aëre variis modis ſe manifeſtare contendens. Tangunt hanc opinionem *oracula Zoroaſtris* ab his hominibus profecta, quæ *Sect. XI.* (*kk*).

Πῦρ ἴκελον σκηρτηδῶν ἐπ' ἤερος οἶδμα τιταίνων
Ἢ καὶ πῦρ ἀτύπωτον, ὅθεν φωνὴν προθέουσαν
Ἢ φῶς πλούσιον, ἀμφιφαὲς ῥοιζαῖον ἑλιχθέν. κ. τ. λ.

Ignem ſimilem ſaltuatim in aëris fluctum extendens,
Vel etiam ignem ſine figura, atque hinc vocem emanantem,
Aut lumen dives, circumquaque radians, ſtreperum, convolutum.

Loquitur carmen facrum de apparitionibus dæmonum in aëre, (quales in ſacris quoque Eleuſiniis fieri jactabant;) quos vocat τὰ κακῆς ὕλης βλάσματα, *malæ materiæ germina.* Eos IAMBLICHVS (*ll*) ſtrenuus theurgiæ artifex definit, "δαιμόνων γένος τι ἀπατηλῆς φύσεως, παντόμορφόν τε καὶ πολύτροπον αἰτιωμένη τῆς μαντείας ὑποκρινόμενον Θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυ-

(*bb*) in *cabb. denud. T. II, P. III. tr. I. p.* 188. *ſq.* Conf. *hiſt. phil. l. c. p.* 874. *ſeqq.*

(*ii*) Oſtendimus id de Chaldæis *hiſt. phil. T. I. p.* 115. de Thalete *ib. p.* 360. de Stoicis *ib. p.* 1025. de Pythagoreis & Empedocle *T. II. p.* 156. 162. 224. de Democrito *ib. p.* 368. 386. de Heraclito *ib. p.* 425. 434. nec doctrina de anima mundi aliud patitur. Conf. CVDWORTH *l. c.* WINDET. *l. c.* Cel. FABRICIVS ad *Sextum l. IX. p.* 571. EVGVBINVS *de perenni philoſophia l. VIII. c.* 27.

(*kk*) ap. STANLEIVM *hiſt. phil. P. XIII. p.* 1191.

(*ll*) *de myſteriis Ægyptior. Sect. V. c.* 31. *p.* 102.

χὰς τῶν τεθνηκότων, *dæmonum genus quoddam deceptorium, multiforme; quod ſpecies Deorum & animarum poſt mortem mentiatur:* quos & ἀντιθεοὺς vocari, in ſequentibus monet. Clarius vero adhuc de his dæmonibus malis, aëreis & materialibus, ex hujus ſcholæ placitis differit PSELLVS, qui Marci ſui Chaldaicam, vel Alexandrinam potius pneumaticam, edoctus (*mm*) ſcribit: πολλὰ ἐςὶ τὰ δαιμόνων γένη ϗ παντοδαπὰ τὰς ἰδέας ϗ σώματα, ὥς εἶναι πλήρη μὲν τὸν ἀέρα τὸν ὕπερθεν ἡμῶν, καὶ τὸν περὶ ἡμᾶς. *Multa eſſe dæmonum genera formis corporibusque omnimoda, ita ut iis plenus ſit aër, & qui ſupra nos eſt, & qui nobis circumfunditur,* quos dæmonas quoque in ſeqq. juxta claſſes ſuas diſtribuit, dum ſunt, qui per aërem diſcurrunt, qui ſupra nos eſt, alii qui per contiguum nobis aërem & proximum vagantur. Plura in re Platonicæ philoſophiæ gnaris non ignota non cumulamus. Notum enim vel ex ALCINOO eſt (*nn*), eſſe ϗ ἄλλους δαίμονας, οὓς ϗ καλόιη ἄν τις γεννητοὺς Θεοὺς, καθ' ἕκαςον τῶν ςοιχείων, οἱ μὲν ὁρατοὶ, οἱ δὲ ἀόρατοι, ἐν τε αἰθέρι ϗ πυρὶ, ἀέριτε ϗ ὕδατι, ὡς μηδὲν κόσμου μέρος ψυχῆς ἄμοιρον εἶναι μηδὲ ζωῆς κρείττονος θνητοῦ φύσεως. *Alios quoque dæmonas, quos genitos deos* (*oo*) *nuncupare poſſis, in elementis ſingulis, partim quidem viſibiles, partim autem inviſibiles, in æthere, atque igni, aëreque & aqua, ne pars ulla mundi expers animæ animantisve mortali natura præſtantioris relinqueretur* (*pp*).

§. V.

(*mm*) *de operat. dæmonum p. m.* 76.

(*nn*) *Intr. in Platon. c.* 15. conf. OLYMPIODORVS in *Plat. Alcib ap.* FABRICIVM *l. c.*

(*oo*) Male pro hoc legitur apud STANLEIVM *l. c. P. IV. p.* 342. *intelligibiles.*

(*pp*) Patet hinc, unde Paracelſus ſuas Nymphas Salamandros, Gnomos, aliosque omnium elementorum ſpiritus hauſerit. Vid. *hiſt. phil. T. VI. p.* 1120.

Quales dæmones?

§. V. Facile hinc colligitur, tum Iudæis tum gentilibus, Platonicis præcipue, dæmones hos non natura tantum ſua materiali, ſed & operatione malos habitos fuiſſe. Illis enim animum malitioſum, & ad ſcelera quævis ſeducentem, qui auctor omnis inter homines proteιviæ ſit, adſcripſere. Iudæi enim, imprimis Cabaliſtæ, malos hos, qui in aëre reſident, ſpiritus eorumque regnum regno Dei opponunt; uti videre ex illis eſt, quæ prolixe diſſerit R. IRIRA (*qq*) hic, ubi brevitatem ſectamur, non exſcribendus. Paria habent Platonici, ex quorum doctrina impii magi (*rr*) *τοῖς κακοῖς πνεύμασι συνάπτονται, πληρούμενοί τε ἀπ᾽ αὐτῶν τῆς κακίστης ἐπινοίας, πονηροὶ δὲ καὶ ἀνόσιοι γίνονται, ἡδονῶν μὲν ἀκολάστων πλήρεις, κακίας δὲ ἀνάμεστοι, malis & impuris ſpiritibus familiares evadunt, quorum flatu prorſus replentur peſſimo, improbique fiunt ac impii, voluptatibus laſcivis & omni malitia referti, &c.* Quæ pauca hic Iamblichus affert, ea prolixe ſatis ac jucunde PSELLVS (*ss*) exponit, multumque in deſcribendis malitiæ eorum, & peſſimæ in animas hominum operationis modis induſtriæ ponit. Quæ maligna ſpirituum malorum operatio cum nec Iudæis nec gentilibus Epheſi habitantibus ex dictis potuerit eſſe ignota, facile hinc ratio patet, cur D. Paulus iis *ἐνέργειαν, efficacem operationem* in incredulitatis filiis adſcripſerit.

Præfectus ſpirituum.

§. VI. Tandem & principis his ſpiritibus malis præfecti meminit apoſtolus, quem ſcilicet *τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος* nominat. Nihil dicit, quod non receptum atque creditum fuit ſuo tempore Iudæis pariter & gentilibus. Illi enim catervam corticum, id eſt malorum ſpirituum, in duos exercitus dividunt, quorum unus adverſus Seir Anpin, ſive Sephiras ſuperiores, alter adverſus Malcuth, quæque cum ea connectuntur, Sephiras inferiores,

infenſos animos alit ac hoſtilia bella,

 illi-

(*qq*) *l. c. p.* 197. (*rr*) IAMBLICHVS *l. c. p.* 103.
(*ss*) *l. c. p.* 63. *ſq.*

illique Samaëlem, huic Lilith præficiunt (*tt*). Nec aliter Platonici, a quibus didicere Cabbaliſtæ, qui interprete IAMBLICHO (*uu*) ſpiritibus aëreis per varias cœli partes diſpoſitis ὑπερέχοντα αὐτῶν ἕνα προτιθέασι, *unum præficiunt, qui omnibus ſuperior ſit.*

Summa dictorum. §. VII. Vidimus itaque & adductis tum Iudæorum platonizantium, tùm Platonicorum philoſophorum & ſequacium ſententiis atque calculis probavimus, planumque fecimus, eo tempore, quo D. Paulus ad Epheſios ſcribebat, & hoc maxime ſacræ doctrinæ genus caput extollebat, homines perditorum & malorum morum habitos fuiſſe inſtar mortuorum: vidimus voce, αἰὼν, ſignificatas fuiſſe ſubſtantias ſpirituales & intelligibiles; vidimus, malis ſpiritibus aërem vel ſedem vel naturam quoque adſcriptam; vidimus omnis malitiæ operationes ipſis eſſe tributas; vidimus principem illis fuiſſe præfectum. Hæc cum omnia tam manifeſte in textu noſtro tangantur, quis nos veriſimilitudinis leges migrare contendet, ſi dixerimus, ſanctum apoſtolum in deſcribendo infeliciſſimo Epheſiorum ante ſuam converſionem ſtatu ad receptas & ſatis cognitas inter eos ſententias reſpexiſſe, easque, quantum ſalva divina veritate poterat, ad ſuum ſcopum accommodaſſe? ita non ſolum facilius in re gravi intelligendus, ſed & fortius ex conceſſa gentilibus doctrina, a miſeria Epheſiorum priſtina ad excellentiam ſtatus gratiæ præſentis argumentum ducturus? Etſi non id non dicimus, eandem prorſus apoſtoli fuiſſe de ſtatu illorum miſero ſententiam, quæ Iudæorum & imprimis Platonicorum fuit, quippe qui nec corruptionis rerum fontem & profunditatem, nec infernalis principis in ſpiritualibus naturam & operationem ſatis intelligebant; facit tamen ipſa ſententiarum collatio manifeſtum, ad ejusmodi doctrinam reſpexiſſe apoſtolum, ex quibus eo validius ad deteſtanda gentiliſmi βδελύγματα argumentari, & quo beneficio divino per converſionem ſuam affecti fuerint, demonſtrare potuit.

OBSER-

(*tt*) IRIRA *l. c. p.* 211. conf. EISENMENGER *l. c. P. I. c.* 18. *p.* 820. *hiſt. phil. T. IV. p.* 577. 880. (*uu*) *c. Sect. VIII. c.* 3. *p.* 159.

OBSERVATIO IV.

ANTIQVORVM
Quæ
AVGVSTAE VINDELICORVM
extant
MONVMENTORVM
a
ſummo viro
MARCO WELSERO
Duumviro Auguſtano
ad calcem
rerum Auguſta Vindelicarum editorum
SVPPLEMENTVM
ab ipſo auctore collectum
ac primum Amœn. lit. T. V. p. 116. ſeqq.
EX CODICE WELSERIANO
editum.

PRAEFATIO.

QVæ conſpectui tuo ſiſtuntur B. L. folia commendatione nulla egere puto, poſtquam ſummi viri, MARCI WELSERI, duumviri Auguſtani nomen illis præfixum eſt. Nemini enim, niſi plane rudis ſit in hiſtoria literarum, tantum nomen & inſignia in rem literariam merita, quibus æternam ſui memoriam fecit Welſerus, ignota eſſe exiſtimo, unde facile iſtorum elogiorum enarratione ſuperſederi poteſt, quæ in eum omnis eruditorum cohors cumulavit, præſertim, cum poſt cl. CHRISTOPH. ARNOLDVM in diſſ. de vita ejus, operibus junctim editis præmiſſa, THOMAS POPE-BLOVNT in cenſura celebrium auctorum, & PETRVS BAYLE in

dictionario hiſtorico-critico digna tanto viro honorum tropæa erexerint. De præſenti tantum monumentorum, Auguſtanorum, ab illuſtri duumviro editorum ſupplemento pauca quædam dicenda ſunt. Collegit ſcilicet hæc monumenta, poſt alteram mon. Aug. editionem, quæ Venetiis 1594. fol. prodiit, & in qua multa editionis primæ, quæ Ven. 1590. 4. lucem aſpexit, mutavit, addidit, correxit; proprioque ea codici locis ſuis ipſe adſcripſit, quo conſilio tamen, incertum, niſi aliam adhuc editionem animo concepiſſe, morte tamen præventum conſilium exequi non potuiſſe virum illuſtrem ſuſpiceris, id quod additæ hic inde breves in comm. de rebus Auguſtanis emendationes tantum non ſuadent. Illa itaque λεί ψανα cum in codice Welſeriano conſpicerem, vel ob illam ſolam cauſſam luce publica non indigna putavi, quod Welſerus in his literis ſummum ſibi nomen famamque tum propria antiquitatum Romanarum inveſtigatione, tum benevole communicatis cum aliis, imprimis IANO GRVTERO, divitiis ſuis comparavit, qua de re hic pluribus in theſauri inſcriptionum limine videndus eſt. Indignum itaque judicans, ſi quicquam, quod a tanto viro profectum eſt, in tenebris lateret, ſupplementa iſta deſcribere, & quod in Norica quoque operum ejus editione omiſſa erant, incognita ſine dubio, & in obſcuro deliteſcentia publicæ luci ſiſtere conſtitui, ut egregium antiquitatis vetuſtiſſimæ, qua Vindelica Auguſti colonia merito ſuperbit, monumentum, quod illi Welſeri ſui eruditio erexit, iſtis quoque acceſſionibus augeretur, & ſua quaſi conſtaret integritate: ſperans fore, ut profecta a viro, qui in magno & priſco ævo magnus futurus LIPSIO audit, etſi pauca, non ingrata fuerint harum literarum amantibus, cum & hic quædam deprehendi queant, quæ multam eruditioni lucem fœnerabuntur. Vtere itaque B. L. etiam hoc ſpicilegio, & viri, quem omnium laude digniſſimum Muſa vetat mori, memoriam grato animo recolens vale.

MARCI

MARCI WELSERI
ANTIQVORVM
Quæ Aug. Vind. extant Monumentorum ſupplementum.

Pag. 205. n. I.

IVl. Iacobonius appendice de priſca Cæſiorum gente p. 18. hæc verba habet: His tribus porro numinibus ſacra conjunctim fieri apertius demonſtratur ex pervetuſta inſcriptione quam Auguſtæ (cognomen non addit) inventam marmore elegantiſſimo legimus, cujus verba hæc ſunt:

IOVI. IVNONI. MINER
ANTONIA. M. LIB.
APHRODISIA. SCYPHOS. H
VENEREVM. SPECVLVM
DONVM. DEDIT

In tertio verſu H manifeſte pro ET poſita.

In templo S. Vdalrici inventum anno MDCVI. ſaxum quadratum prægrande pulcherrimis literis ſculptum

I. O. M.
M. TR. SECCO

Pag. 211. (*a*) n. VIII.

In hortis M. Welſeri ſaxum quadrilaterum ab omni parte ſculptum. Frons inſcriptionem habet: dextrum latus Mercurium cum caduceo, crumena, gallo & hirco: ſiniſtrum Martem cum haſta & clypeo: tergum victoriam cum palma & laurea.

AEL.

(*a*) Vid. BECKIVS in mantiſſa monumentorum Aug. Vindel. inſcr. I. ubi etiam de errore in Coſſ. quædam.

AEL. MONT.
HAEDER. PRO
SALVTE. SVA. ET. P
HISP. C. ANA. VILI
FILI. ET. AEL. MON
FESTINAE. CON
IVGI. V. S. L. L. M
D. D. D. VII. KAL.
SEPT. GETA. II. E
PLAVTIANO
II. COS

Omnes faſtorum ſcriptores conſulum iſtud par habent, nullo adſcripto numero; ſed Plautianum bis fuiſſe conſulem, Herodianus diſerte prodit, & meminit ejus iterum conſulis Vlpianus Dig. *l.37. tit.17. l. 2.* de Geta hoc ſecundum conſule nullum præterea exſtat teſtimonium. Vtrumque priorem conſulatum inter ſuffectos geſſiſſe apparet, cum inter ordinarios nullus locus vacet. Getam vero Septimii Severi imp. fratrem, non filium fuiſſe (quod quidam exiſtimaſſe videntur) aliis dudum obſervatum, non æque illud; hinc eorum errorem fluxiſſe, qui Antoninum & Getam Septimii filios utrumque II. Antonium & Getam utrumque III. conſules comparaverunt, cum jungere deberent Antoninum II. & Getam, Antoninum III. & Getam II. uti in Panvinii marmoribus legitur, numerum enim a fratre imperatoris in filium imperite continuarunt. Quæ labes non ſolum faſtos Græcos, Caſſiodorum, alios, verum Iuſtinianeum etiam codicem vicies & quod excurrit, inſedit, tot correctorum opera nondum eluta. Antoninus enim & Geta uterque II. coſſ. habentur codicis *l. 1. t. 54. l. 1. lib. 2. tit. 12. l. 7. & l. 8. libr. 3. tit. 1. l. 1. tit. 28. l. 4. tit. 33. l. 2. lib. 5. tit. 69. l. unica lib. 6. tit. 3. l. 2. tit. 46.*

tit. 46. l. 2. tit. 54. l. 1. lib. 7. tit. 21. l. 2. lib. 8. tit. 14. l. 3. tit. 16. l. 2. tit. 26. l. 1. tit. 45. l. 2. Geta *lib. 9. tit. 12. l. 1. tit. 32. l. 1.* Antonius & Geta uterque II. coſſ. *lib. 2. tit. 12. l. 9. & l. 10. lib. 6. tit. 35. l. 2. tit. 52. l. 4. lib. 8. tit. 14. l. 4. tit. 26. l. 2. tit. 41. l. 3.* Quibus omnibus locis, ſi verum amamus, unum Getæ conſulatum detrahemus. Mirarer tot editores in re non obſcura parum vidiſſe, niſi fœdiora reliquiſſent; præteriere ſupra triginta leges Duobus & Aſpris conſulibus datas, quod neque profecto ferri, neque adeo intelligi poteſt: & quantum erat ejecta intermedia vocula *Duobus Aſpris* reſcribere, ſi Aſpros in Apros Siculorum faſtorum auctoritate mutare nolebant! porro Geta conſul tertium deſignatus non iniit, fratris ſcelere occiſus. Extat nummus apud Occonem, P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. qui conficit, Getam, cum Auguſtus II. conſul dicatur, Cæſarem III. conſulem eſſe non potuiſſe. Plautiani nomen in lapide ſtudio eraſum apparet, poſt ejus nimirum mortem, ſic tamen, ut legi adhuc poſſit.

In hortis Welſerianis

herCVLI STATVAM
CVM. BASE. AVRELIVS
MVCIANVS V. P. P. PR.
PRO. SALVTE. SVA. SVO
RVMQVE. OMNIVM
poSVIT. CVRANTE
. . . . GERONTIO . . .
. . . .

Vir perfectiſſimus præſes provinciæ an provinciæ Rætiæ Aurelius Mucianus (*b*), quis fuerit, porro licet quærere. Veſpaſiani, Septimii Severi, aliorum imperia

(*b*) Apud Reineſium VIII. 82. lapis Romanus occurrit hac inſcriptione:

imperia Mucianos habuere, quos ego ad hunc lapidem alligare non auſim. Neque de Gerontio quidem quidquam præterea mihi compertum.

Pag. 215. n. XIIII.

In domo Io. Vdalrici Humpis, Canonici.

IVVENNIAE. PRISCae
VXORI. CARISSIMae
. . . .
. . . . bene
DE. SE. MERItae
MALRINIVS. FE
DEC. MVN. QV . .
SACERDOTALIS. omni
bus hONORIB. IN. rep.
SVA FVNCtus

Pag. 217. *ad vocem : Cleuphas.*

Cleophas videtur Scaligero Græcum nomen contractum ex κλεόφιλος κλεοφᾶς, ut κλεόπατρος, κλεοπᾶς.

Pag. 218. n. XIX.

In Suburbio Mariano, ad januam cauponæ.

L. VAL. RVSTICVS
LVGVDVNENS
VIXIT. ANN. LXX
TESTAMENTO. F. I

L. Va-

D. M.
AVREL. MVCIANVS
VETER. EX. N. SING. AVG.
N. VIX. ANN. XXXXV.
DOMO THRACIA
IVL. VALENS. LEG. HE
RES. AMICO. ET. MVNICIP
OPTIM. B. M. F. C

L. Valerium Ruſticum mercaturæ etiam cauſſa Auguſtæ egiſſe, veroſimile eſt. Lugudunum & Lugdunum promiſcue habent: ſed annotavit Dio *l. 46.* hiſtoriarum, Luguduni nomen vetuſtius eſſe, quam Lugduni.

Pag. 222. *ad vocem: trochum* (*c*)

Scaliger putat trochum ingentem circulum fuiſſe, quem radio in triviis agitabant pueri; ut ſolent in urbibus Batavorum; qui hic ſpectatur, minutus fuiſſe pueris inſtar σόλου, quo in palæſtra adultiores ſe exercebant.

Pag. 227. *ad literas inſcript.* n. XXXIII.

N. I. F. L.

Ioſ. Scaliger literis K. Aug. An. MDIC. datis tentabat, an mutari poſſet N. ⳨⳨ L. hoc eſt nummis ſeſtertiis quinquaginta.

Pag. 230. n. XXXVII. (*d*)

Saxum grande effoſſum ad Vindonis alveum III. K. Febr. Ann. MDCIII. & in hortos Welſerianos translatum.

D. M.
C. SENILIO. PERVINCo
VETER. EXSIGNIFERO
LEG. III. ITALICAE. ET
SENILIO. INPETRA . . . .
AVREL. SABINIANVS
INGENVI HERES. FECIT.

Pervincæ nomen ſupra extat XV. Inſcript. imagines in alio licet ſaxo, eodem tamen loco effoſſæ, videntur una

(*c*) Vid. quæ monuit HIER. WELSCHIVS de vena medin. c. 12.

(*d*) Exhibetur etiam a Grutero *p.* 1159. *n.* 14. & Beckio in mantiſſa monum. Aug. Vind. Inſcr. II. qui aliter legit & interpretatur.

una C. Senilii Pervincæ patris, altera Senilii Impetra (*e*) filii. Civili pater veſte, puta veteranus, & emeritus. Eo Cæſar apud Lucanum:

Ipſe ego privatæ cupidus me reddere vitæ
Plebejaque toga modicum componere civem.

Ibid. In hortis Welſerianis.

D. M. ET. P
ERPETVE. SECVR
ITATI. VALERI
CATVLLINI. CO
EX. A/BDA A/
. . . .
QVI. VISSIT. AN
XXX. MES. IIII. D. VII.
VAL. SENILIA. COIVS
FECIT. TITVLVM
D. M. P.

Et character & orthographiæ ratio indicio ſunt, hæc ad ima rei Romanæ tempora referenda eſſe. VISSIT. MESES. COIVS pro vixit, menſes, conjux, etiam alibi extat. Vide Celſum Cittadinium de origine linguæ vulgaris, & Gruteri indices. Val. Seniliam, Senilium Pervincum & Senilium Impetratum attigiſſe omnino credendum.

Pag. 233. n. XLIII.
In monaſterio S. Vdalrici fragmentum
. . . ISSII

Ibid. In ædibus Io. Drexelii

O SEC . .
. . I . R
C. SATVR/. .

Ibid.

(*e*) Impetratum legiſſe Welſerum ex inſcr. ſeq. patet, cui hæc interpretatio, non Grutero, adſcribenda.

Ibid. In domo privata fragmentum

D . . . . . m.
EGI . . . . .
. . VM . . . .
IVS . . . . .
IN . . . . .
ꝗ . . . . .

Item fragmentum

C . . . . . .
E X . . . . .
L. L . . . . .

Pag. 244. *ad Vocem EXORDIARIVS*

Vide Nic. Greg. *l. 8. p. 158.* de præſtigiatore cum globo vitreo varie ludente.

And. Schottus Roma A. D. X. Kal.Ian.an. MDXCV. ad Iacobum Pontanum Auguſtam.

Legi M. Welſeri annales pereruditos: multa de coloniis præclare. Inſcriptionem illam Romanam, quam ab amico & cive meo Ortelio accepit: VRSVS togatus vitrea qui primus pila, Romæ inſpeximus, fideliusque deſcripſimus: in extrema hic legitur rectius

CVIVS NVNC LIBENTER DICOR
EXODIARIVS

Exodiarius, inquam, non ut editum doleo, exordiarius. Exodii meminit, & Iuvenalis (f) ſatyra, ni fallor III. & ibi ſchedæ antiquæ a Pithæo editæ, verſum Lucilii laudant,

Principio cauſſis dignum exodioque ſequente.

Sed cui ego hæc? cum tibi his meliora domi ſuppetant: admonere tamen viſum, ſi, ut fit humanitus, oculorum aciem præterfugiſſet, vel operarum eſſet ἁμάρτημα.

Abra-

(*f*) Vetus ſcholiaſtes ad illud Iuvenal. ſatyr. III. v. 174. *Tandemque redit ad pulpita notum exodium: Exodiarius* apud *veteres in fine intrabat, quod ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum ac triſtitiæ cepiſſent, ex tragicis affectibus hujus ſpectaculi, riſus detergeret.* Conf. memorabilis locus LIVII. I. VII. c. 2.

Pp

Abrahamus Ortelius Antverpia K. Mart. ann. MDXCVI. ad M. Welſerum, And. Schotti quadam epiſtola una miſſa.

Sub finem literarum Schotti leges emendationem inſcriptionis a me miſſæ, quod valde miror: a quo enim eam habui, aderat, cum ipſa effoderetur, & idem ipſe exſcribebat, vir harum delitiarum admodum peritus, qui idem quoque ſuis ad me literis, de verbo illo, EXORDIARIVS ſe mirari ſignificabat: locum itaque forma dubium, aut antiquitate eroſum, fere mihi perſuaſerim: at nihil de re mihi non viſa judico; ſub judice me peritiore potius lis erit.

Ad antiqua agri Auguſtani monumenta.

Pag. 246. poſt voces: Apollini Granno & Sironæ Dis præſentibus.

Et Muſſelburgi in Scotia, ut habet Gruter. *p. 37. n. 12.* APOLLINI. GRANNO. Q. LVCIVS. SABINIANVS. PROCOS. AVG. Item in Scotiæ pago Enderask, ut eſt apud eundem Grut. *p. 3. 8. n. 4.* APOLLINI. GRANNO. Q. VOLVSIVS. SABINIANVS.

Pag. 247. ad vocem MIRPA. n. III.

Scaligero Mirpa eſt μιρφᾶς ut Ciceroni Rupa ῥυφᾶς a Rufo.

Ibid. n. V.

IN. H. DD.
APOLL. GRANNO
BAIENIVS . VICTOR
ET. BAIENIVS. VICTO
RINVS. FILI. EIVS. EX
VISSV. SIGNVM. CVM
BASE

Eugup.

Eugip. c. 28. Biennium quendam nominat, qui huc tamen nihil pertinet. VISSV mendoſe eſt pro IVSSV, niſi EX VISSV pro VISV ſit.

Pag. 248. n. IX.

Altenbaindi in templo. Exſcripſit Io. Iacobus Remboldus an. MDVC.

FLAVIO. VICTORI
CLAVDIA. MARITO
CONIVNX. F. CVRAVIT.
VIXIT. ANNIS. LXV.

Lapis eſt inſertus altari, literis inverſis. Inter inſcriptiones Auguſtanas extat Iulii Victoris nomen n. XIX. Victorii Victoris n. XVIII. Victorinæ XX.

Pag. 250. n. XII.

Gunzelhofii.
Imp. Cæſ. L. Septimius
Severus. Pius. Pertinax
Aug. Arabicus. Adiab. Parthicus
Maximus. Pont. Max. Trib.
Pot. VIIII. Imp. XII. Coſ. II. P. P. Proceſ. Et
; MP. CAESAR. M. aurelius
ANTONINVS. PIVS. AVG. TR. ß
POT. IIII. PROCOS. & imp. p.
Septimius. geta. antoninus
VIAS. ET. PONTES. REST.
AB. AVG. M. P.
XXXI.

Pag. 254. *ad vocem ſcimpodium* n. XIII.

Scaligero non videtur lectus diſcubitorius, ſed potius ἀνάκλιθρον. ex ſella & lecto, hoc eſt medium quid inter ſellam & lectum, in quo ſemiſupini recubabant, pedibus in ſcamillo ſuppeeaneo quieſcentibus.

Pag. 257. *ad vocem PANNYC D*

Scaliger l. PANNICYDI, quod rectius erat, ait PANNYCHIDI; Παννυχίδι.

Ad monumenta peregrina.

Pag. 260. n. II.

Viennæ in Lazii ædibus, Grut. p. 524. n. 6.

D. M.
C. ATTIO. ROM.
VLO. AVGVSA
MIL. LEG. X. G. EX
ALA. CVSTOD.
. . . XIIII. H. F. C.

Scaliger, qui indices operis Gruteriani, etſi nomine non adſcripto, confecit, hæc indice X. ad Auguſtam Vind. refert.

Pag. 261. num. III. *ad vocem ER. LEG.*

Scaliger legit: Erogatorem legionis, de quo in codice Theodoſiano.

Pag. 263. n. V. ad vocem VEIN.

Scaliger negat ad Vindelicos pertinere, quia EI pro I. longo nunquam ponebatur, niſi ſequente vocali poſt N, ut AATENOC, ANTΩNEINOC & ſimilia. Contra Scaligeri obſervationem eſt inſcript. Grut. p. 1046. n. 6. VEIXSIT.

* Albæ in Latio inſcriptionem extantem notat Reineſ. VIII. 557.

BASSVS. GERMANVS
GERMANICI. AN
DRVSI. CAES
NATIONE. VEIVS
VIXIT. ANN. XXX.

Vejum & Germanum ſimul ſtare non poſſe manifeſtum; jubet itaque V mutare in N. ut legatur NATIONE. VEIND. EI. pro ſimplici I. poſita.

Pag. 265. n. 8.

Tibure in baſe marm. Leon. Guetenſteinius Roma miſit anno MDC.

SEX

SEX. OPPIO. PRISCO.
V. C. X. VIR. STLIT. IVD.
ELECTO. INTER. ORDINAR. AB.
ACT. SENAT. AEDIL . . . . . .
ADLECT. INTER. PRAETOR . .
PROC. PROV. . . . . . LYCIAE .
PROC. PROV. DACIAE. PROC. PROV.
RAETIAE. ET. VIND . . . . . .
QVAEST. PROV. MACEDONIAE.
IIII. VIR. VIAR. CVRANDAR.
PATRONO. INCOMPAR.
S. P. Q. TIBVRS.
OB MERITA. EIVS

Pag. 267. n. X.

Romæ in cippo marmoreo. Habet Gruterus p. 529. n. 5.

D. D. M.
MERCATORI
NAT. RAETO
ANNOR. XIIII
SERVO. DE. SE
MERENTI
L. AVR. GENTILIS
DVPLICARIVS. DOMINVS.

Ibid. n. XI.

Romæ effoſſum via Labicana. Iac. Sirmondus miſit

D. M.
T. AVRELIO, ARICANO
EQ. SING. AVG. EX TVR
GERMANI NAT
RAITVS. VIX. ANN. XXIII.
MIL. ANN. V. T. AVR.
FAVSTINIANVS
TRIBVNI HERES
AMICO OPTIMO. F. C.

Pag. 270.

Ameriæ ad S. Secundi. Gruter. p. 1080. n. 7.

P. RAETIVS. RVFVS
IIII. VIR. ITR. MESSA . . .
MEL . . . . . .

Idem Gruterus p. 1099. n. 9. Paullo aliter
. RAETIVS. T. F. RVFVS.

In notis Tyronis & Senecæ a Grutero editis c. 5. p. 140.

 Retus

 Retia

 Reticus

---

Eboræ in Reſendii ædibus.

L. VOCONIO. C. F. QVIR.
PAVLLO. AED. Q. IIVIR.
VI. FLAM. ROM. DIVORVM
ET. AVGG. PRAEF. COH. I.
LVSIT. ET. COH. I. VETTO.
NVM . . . LEG. III. ITAL. OB
CAVSAS. VTILITATESQ. PV
BLICAS. APVT. ORDIN. AM
PLISS. FIDELITER. ET. CON
STANTER. DEFENSAS. LE
GATIONE. QVA. GRATVI
TA. ROMAE. PRO. R. P. SVA
FVNCT. EST.
LIB. IVL. EBORA.
PVBLICE. IN. FORO.

Pag. 272. n. XXII.

In horto S. Ioannis Arelate. Gruterus p. 550. n. 7.

D. M.

D. M.
LICINIAE. MAGNAE. QVAI
MATRONAE. L. SEVERVS. T.
IVLIVS. VALENTINVS. T. IVLIA
VALENTINA. FRATRES. T. LICINIVS
RVSTICVS. 7. LEG. III. ITAL. MARITVS

Pag. 273. n. XXIII.

Tarraconæ, ad D. Laurentii, juxta ſacrarium. Gruter. p. 555. n. I.

L. NVMERIO
L. F. FELICI
7. LEG. VII. G. P
7. LEG. XX. VICT
7. LEG. XXII. P. R.
7. LEG. III. CYR
7. LEG. III. ITAL
MAMILIA
PRISCA. MARITO
OPTIMO

Ibid. Arimini ad portam S. Andreæ. Gruter. p. 1091. n. 12.

L. BETVTIO. L. F.
PAL. EVRIANO
P. P. LEG. III. ITAL. II VIR
QVINQ. II VIR. I. D. III VIR
AEDILI. CVR. PONTIF
FLAMINI. DIVI. NERVAE
PATRONO. COLON
COLLEG. CENTONARIOR
AMANTISSIMO. PATRIAE
L. D. D. D.

*Subnectere his, quæ apud TH. REINESIVM de Rhætis & leg. III. Italica occurrunt, inſtitutum Welſeri ſuadet.

Pag. 515. Cl. VIII. n. 13.

D. M.
T. AVRELIO
SPERATO. EQ. SING.
TVRMA. AERELI
SABINIANI. NATIONE
RAETO. VIX. A. XXXVII.
MILITAVIT. A. XVIIII.
AVRELIVS. QVINTVS.
DVPLICARIVS. HERES.
ET. AVRELIVS. AVRIANVS
SESQ. SECVNDVS. HERES
AMICO. OPTIMO. F. C.

Pag. 533. n. 54.

Albæ in pariete quodam fragmentum.

IIs . . .
RAC. PR.
IC. RETVs
TRIB. LEG. XII.
V. L. S.

Pag. 213. Cl. I. n. 224.

Romæ in ruinis viæ Nomentanæ ara marmorea.

DIS. DEAB. PATR. SACR.
Q. ALERIVS. Q. F. CLAVD. SA
BINVS. EQ. ROM. TVRMAE
L. VALERI. SANQVINI. EL
PRAET. LEG. III. ITALICAE
SVA PECVNIA

(O)

OBSER-

Observatio V.

Q. Curtius Rufus adoleſcentibus ad imitandum non proponendus (*).

INter ſcriptores, quos ad imitandum proponunt adoleſcentibus caſtioris Romanæ dictionis magiſtri, non extremum plerumque locum occupat *Q. Curtius Rufus*. Nam ut multa taceam, quæ in eo commendari ſolent, vel ſolus Latini ſermonis nitor & nativa quædam ſuavitas effecit, ut ei pulcherrimæ elogiorum ſuſpenderentur tabulæ, quas commendationes multo labore collegit vir eruditiſſimus, & de Q. Curtio omnium optime meritus, IOANNES FREINSHEMIVS (*a*). Cauſſa hæc fuit, quæ perſuaſit CHRISTOPHORO CELLARIO (*b*), ut ejus ſtilum ævo Auguſteo non inferiorem cenſeret; cujus viri ſententiæ eo major habenda eſt ratio, quo accuratiorem eum in his eruditionis partibus fuiſſe omnes norunt. Quin ipſe IOANNES CLERICVS (*c*) vir clariſſimus, in Curtium multis licet viſus iniquior, eum tamen inter primos refert, quos ad formandam ſtili Latini puritatem & elegantiam juventuti commendandos putat. Subſcripſi hactenus virorum eruditiſſimorum ſententiæ, ſed cum altius rem rimarer, haud exigua oriebantur dubia, quæ referre, rationemque exponere, *cur Curtius adoleſcentum ſtudiis commendandus haud videatur*, eo magis erit licitum, quo juſtior in hac parte ſentiendi eſt libertas. Quod ſi enim IOANNI BODINO (*d*) & DANIELI GVILIELMO MOLLERO (*e*), ea conceſſa fuit libertas,

Pp 5

(*) Extat *miſc. Lipſ. T. IX. p. 12. ſeqq.*

(*a*) *Initio commentar. in Curtium.*

(*b*) *Prolegom. cur poſterior. p. 20.*

(*c*) *Art. crit. p. 1. c. 2. §. 8. p. 46. P. III. S. 3. c. 1. p. 401. c. 9. p. 494. Ed. Bat.* 1712.

(*d*) *in method. hiſtoriar. c. 10.*

(*e*) *in diſſ. de Curtio, Altdorfii* 1683. *habita, cui aliam oppoſuit* MAGNVS DANIEL OMEIS.

bertas, ut Curtium ex ſcriptorum Latinorum numero excluderent, & ad recentiora tempora referrent, nobis ſanè nemo vitio vertere poterit, ſi mentem circa hanc rem aperiamus, niſi cui, miſſis reliquis auctoribus, ſolus valet Curtius ſoſpitator, quod de Alphonſo, cui ſapientis cognomen fuit, refert ANTONIVS PANORMITANVS (*f*).

Duplex vero ratio commendare ſolet ſcriptorem adoleſcentum labori atque ſtudio; vel enim *dictionis nitor atque puritas* ex eo diſcenda, vel *rerum*, quas proponit, accurata adquirenda *cognitio*. Quod ſi vero oſtenſum fuerit, in utroque Curtium exiguam præſtare juvenibus operam, multum noſtræ ſententiæ accedere robur quilibet concedet. Et quod ad primum quidem attinet, inficias quidem neutiquam ibo, vivaciſſimæ dictionis & elegantiſſimi ſermonis ſcriptorem eſſe Curtium: hoc enim negare, eſſet altam profiteri ſtili elegantioris ignorantiam. Tantum tamen hoc non eſt, ut adoleſcentibus propterea commendandus videatur Curtius. Cujus aſſerti ratio ut accuratior conſtet, ipſa ſtili Curtiani indoles penitius paulo conſideranda & expendenda eſt. Quintum certe Curtium, hominem rhetorem Alexandri M. hiſtoriam eo tantum fine ſelegiſſe, ut pro rei illuſtris amplitùdine artis oratoriæ vela, quam maxime poſſet, panderet, ipſa Curtiani commentarii lectio abunde ſuadet. Actum hoc a Curtio quam maxima ingenii vi & imaginationis fortioris opera. Hinc videas deſcriptiones frequentiſſimas, ſtilo florentiſſimo delineatas, quibus loca ignota, flùmina remota, & inacceſſos terrarum tractus, Alexandri item orationes in caſtris atque præliis magnifica oratione ita depingit, acſi oculis auribusque omnia ea ipſe uſurpaſſet. Quod profecto neglexiſſet Curtius, ſi memorem tenuiſſet animum ejus, quod LVCIANVS (*g*) monet; Σωφρονη-

τέον

(*f*) *In facetiis Alphonſi exſcribente* I. FREINSHEM. *proleg. in comment. Curt.* conf. ERIC. PVTEAN. *orat.* 19.

(*g*) *de conſcribenda hiſtoria.*

τέον ἐν ταῖς τῶν ὁρμῶν ἢ τειχῶν, ἢ ποταμῶν ἑρμηνεί-αις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεπιδεί-κνυσθαι δοκοίη. Quibus verbis ſcriptor graviſſimus bene monet, *fluviorum atque locorum nimiis deſcriptionibus imperitam artis dicendi oſtentationem manifeſtari.* Non narrabo tot orationes ad panegyricarum morem compoſitas, ſed in ipſis relationibus artem declamatoriam inepte oſtendentem vel uno exemplo producam Curtium (*h*). Poſtquam enim Alexandriam ab Alexandro conditam narraſſet, *Memnonis*, addit, *Tithonique regiam cognoſcendæ vetuſtatis avidum traxiſſe pæne extra ſolis terminos.* Quaſi id extra ſolis terminos eſſet, quod ad illam zonam ſitum eſt, quæ

- - - - - *coruſco*
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni eſt.

Plura proferenda eſſe exempla neceſſum non puto, cum ubique in Curtio ea ſint obvia. Tantum vero abeſt, ut hoc de Curtio negare ſuſtinuerint viri eruditiſſimi, ut potius ipſi Curtii adoratores ſtilum declamatorium & panegyricam affectationem in eo reprehenderint. MICHAEL ſane TELLIERIVS (*i*), ex Ieſuitarum ſocietate vir clariſſimus, *Curtium ſententiarum aculeos affectaſſe pluſculum, & deſcriptionibus quandoque poëticos flores, orationibus declamatorium ſtilum adſperſiſſe*, ingenue fatetur. CASPAR vero BARTHIVS (*k*) ei *declamatorium acumen ad panegyriſtarum affectationes inclinatum* objicit. Nihil in

(*h*) *L. IV. c. 8. §. 3. plura hyperbolarum plus quam poëticarum exempla vid. l. III. c. 2. §. 9. l. IV. c. 10. §. 20. l. IV. c. 2. ſq. coll. cum* Arriani *l. II.* conf. CLERICVS *art. critic. P. III. Sect. 3. c. 8. p. 475. contra experientiam id negante* GVIL. BVDAEO *in præf. Curtii ab* ANTONIO CANDIDO *editi Lugd. 1591. vid.* FREINSHEM. *prolegom. comment. Curt.*

(*i*) *in præfat. Curtii a ſe editi in uſum Delphini Pariſ. 1678. 4.*

(*k*) *ad Claudiani L. I. in Rufin. v. 275.*

in præſentia de iis vocibus dicam, quibus admodum impropríe luſit Curtius, & quibus teneras & accuratiori ſermoni aſſuetas aures læſiſſe viſus eſt (*l*). Facilis jam, quid de ſtilo tali judicandum ſit, conſideratio eſt. Impotentis enim imaginationis fræna laxaſſe Curtium, & tantum judicio derogare, quantum valet ingenio, quilibet videt. Hinc nihil aliud, niſi per fortiorem imaginationem corrumpendum tandem juvenum ingenium expectandum eſt, dum intimius ſtylum Curtii imitari preſſoque pede ſequi ſtudent. Quod quam facile fieri poſſit, quantumque hoc veritatis ſtudio impedimentum afferat, illi ſibi facili negotio perſuadebunt, qui communicationem fortioris imaginationis intelligunt, & rationem norunt, cur homines ejusmodi alios vivaciſſima ſua dictione ab accurata rei conſideratione abducant, & auditorum vel lectorum judicium miſere corrumpant. Quod argumentum luculenter excuſſit, & *Senecæ*, *Tertulliani*, atque *Michaelis Montani* exemplo illuſtravit acutiſſimus Gallorum philoſophus NICOLAVS MALLEBRANCHIVS (*m*), quem ſecutus eſt IO. FR. BVDDEVS (*n*). Stili certe magnificentia a rerum meditatione & examine ipſum abduxiſſe Curtium ingenue fatetur IO. CLERICVS (*o*), quando, *rerum geſtarum*, inquit, de ſe ipſo, *quas deſcribit Curtius magnitudine animus perculſus, & ſtili ſuavitate delinitus aliud nihil præter fortitudinem, audaciam, & felicitatem Alexandri videbat, aliud nihil præter ſublimia verba facundiſſimi ſcriptoris audiebat.* Accedit huic argumento, ſtilum Curtii, qualem deſcripſimus, talem eſſe, quem, ſi rite expreſſerit,

(*l*) conf. CLERICI *ars critica P. III. S.* 3. *c.* 1. §. 9. *ſq. p.* 484. *ſq.*

(*m*) *de la recherche de la verité l. II. p. III. p. m.* 236.

(*n*) *Theolog. moral. P. I. c. I. S.* 5. §. 11. *p. m.* 172. *ſ.*

(*o*) *Art. crit. P. III. S.* 3. *c.* 1. *p.* 397.

ſeris, vix unquam in ſocietatis civilis ſtatu adhibere poteris. Pauciſſimis enim datur in panegyricis orationibus ſermonis magnifici tumorem oſtendendi occaſio. Cur itaque talis formanda conſuleretur juvenibus dictio? cum eo maxime eorum tendere debeant ſtudia, ut ſocietatis, in qua victuri ſunt, habeant rationem, & foro ſe parent. Neque tandem ullam video Curtii adoleſcentibus commendandi neceſſitatem. Ex *Cicerone* enim, *Cornelio Nepote*, *Iulio Cæſare*, atque *Terentio* caſtigatiſſimum ſermonem imitando diſci poſſe apud omnes in confeſſo eſt. Sed non ibi judicii corrumpendi metus, non affectatæ panegyres, non declamatorius & vix unquam uſurpandus ſtilus, ſed probus & elegans ſermo eſt. Quod ubi curate examinabitur, magnum addet robur huic ſententiæ, quæ Curtium adoleſcentibus propter ſtilum commendandum non eſſe ſtatuit. Vbi tamen id monendum, Curtii lectionem non plane rejici. Illi enim, qui ſubacta judicant judicii vi, & ſobriam dictionis rationem tenent, cum delectatione & emolumento legent Curtium, tumorem ejus judicio & mentis potentia moderaturi.

Quod ſi propter ſermonis elegantiam Curtius adoleſcentibus dandus non eſt, multo minus ob rerum, quas tradit, ex eo haurienda cognitione commendari poterit. Cum enim, quod jam oſtendimus, thematis alicujus oratorii loco hiſtoriam Alexandri ſelegerit Curtius, in qua oſtenderet, quid artis ſuæ vires poſſent, fidem hiſtoricam, geographiam, chronologiam aliasque hiſtorici virtutes lædere neceſſe habebat. Prolixior eſſem, quam ferri poſſet, ſi pro rei conditione id oſtenderem. Licet enim IVSTVS LIPSIVS (*p*) *Q. Curtium probum & legitimum hiſtoricum, ſi quis unquam fuerit*, appellet, confutando tamen judicio huic temere profecto concepto eo minus opera impendenda eſt, quo luculentius contrarium ex ipſa Curtii

(*p*) *in notis ad l. I. politicor.*

Curtii lectione adparet. Otium in hac parte mihi fecere, in geographicis quidem CHRISTOPH. CELLARIVS (*q*) in omnibus vero nævis Curtii accurate examinandis IOH. CLERICVS (*r*) viri celeberrimi. Cui poſteriori licet acerbam litem ſuper hanc rem moverit IAC. PERIZON. (*s*) a cujus tamen parte ſtet veritas, cuilibet, niſi præjudiciis & ſcriptoris nimio amore occœcato, facile ex ſcriptorum, quæ invicem ſibi oppoſuere, collatione patebit. Nos pro inſtituti modulo pauca tantum attingemus. Qua fide & veritate hiſtoriam recenſeat vel uno ſpecimine videri poteſt, ex narratione prælii ad Iſſum, (*t*) cum Dario commiſſi, ubi poſtquam ſtrenuam & difficilem ex utraque parte aciem narraverat, ſubdit, *Perſarum peditum centum millia cæſa eſſe, decem vero millia interfecta equitum. Ex parte Alexandri, quatuor & quingentos duntaxat ſaucios fuiſſe, triginta & duos omnino ex peditibus deſideratos, equitum centum quinquaginta interfectos.* Manibus palpari poſſunt, quæ egregie nugatur Curtius. Ligneos certe fuiſſe Perſarum gladios, & immobilia Macedonum ictibus expoſita eorum pectora neceſſe eſt, ſi hæc ullo modo vera ſunt, cujus tamen rei contrarium multa verborum φαντασίᾳ ipſe Curtius prius ediſſeruerat. Crux hæc fuit, quæ torſit miſere Criticos, locum ob incredibilem relationem corruptum eſſe ſuſpicantes (*u*), ſed ſine ullo, quo valido nitantur, fundamento. Pugnas vero in ſacris paginis recenſitas objicere, quod *Clerico* fecit *Perizonius* (*x*) infeliciter eſt a miraculoſis

(*q*) *in notis ad Curtium a ſe editum* 1696. 12.

(*r*) *Art. crit. P. III. S. 3. per tot.*

(*s*) *Initio in notis ad Æliani varia p.* 728. *Reſpondit ei* CLERICVS *ſub* Theodori Goralli nomine *in præf. ad Ped. Albinov.* conf. *biblioth. choiſ. T. I. art. I, p.* 256. *ſq.* Regeſſit ad ea PERIZONIVS *in Q. Curtio reſtituto in integrum & vindicato Lugd. Bat.* 1703. 8. Recenſuit librum & reſpondit CLERICVS *dans la biblioth. choiſie T. III. p.* 171. *l. III. c.* 11. §. 27.

(*u*) vid. FREINSHEM. *ad l. III. c.* 11. §. 27.

(*x*) *in Q. Curt. vindicato* conf. CLERIC. *biblioth. choiſie* P. *III. art.* 3. §. 11. *p.* 219.

loſis Dei bellis ad latrocinia Alexandri concludere. In geographicis quam turpiter confundit (*y*) Pontum Euxinum cum mari Caſpio, Caucaſum cum Parapamiſo (*z*), & alia, quæ noſſe probe potuiſſet, ſi hujus rei accuratam curam egiſſet? Aſtronomiæ ignorantiam prodit mala menſium Indorum deſcriptio, (*aa*) luna a ſole premi dicta (*bb*), & quæ ſunt hujus generis alia. Chronologiam ubique fruſtra quæſiveris. Quin quod maximum, non ſolum peſſima philoſophiæ Stoicæ præcepta offert, & dulce propinat venenum, ſed & Alexandrum peſſimum vitiorum exemplum viva deſcriptione commendat Curtius. Alexandrum enim quaſcunque etiam mentitus fuerit caſtitatis, juſtitiæ, ſobrietatis, clementiæ, virtutisque perſonas, omnibus tamen vitiorum generibus fuiſſe inquinatum & falſa virtutis ſpecie decepiſſe, evincunt ea, quæ a ſcriptoribus hiſtoriæ Alexandrinæ fuſe narrantur (*cc*), & SENECA (*dd*) pariter atque LVCANVS (*ee*) notaverunt. Quid quæſo exempli capient juvenes animi, ex hujusmodi ſcriptore, apud quos exempla plus valent, legibus, & ad vitium facilius longe quam ad virtutem flectitur cerea indoles, imprimis ubi ſub virtutis larva illud apparet? ſcilicet in laudes Alexandri debacchanti (*ff*), Curtio ea fuere facilia, & condonan-

da

(*y*) Vid. CELLAR. *ad l. VI. c.* 4. §. 18. *p.* 285.

(*z*) Conf. CLERIC. *art. crit. l. c. c.* 2. §. 14. *ſq. p.* 417. *ſq.*

(*aa*) *l. IIX. c.* 9. conf. SCALIGER *de emend. tempor. l. II. p.* 118. CELLAR. *ad h. l.* CLERICVS *l. c. p.* 409.

(*bb*) *l. IV. c.* 10. §. 5.

(*cc*) Conf. CELLAR. *diſſ. de virt. & vitiis Alexandri M. præmiſſam Curtio. Meditat. phil. de falſa virtute exemplo Alexandri M. illuſtratæ ſupra datæ.*

(*dd*) *de Benef. l. II. c.* 16. *l. I. c.* 13. *l. VII. c.* 33. *Ep. LXXXIII.*

(*ee*) *l. X. v.* 20 *ſq.*

(*ff*) Negante id contra experientiam & oculorum fidem Erico Puteano *in præfat. ad Curtium.*

da forte, adoleſcentibus proponenda non item. Quis vero ingenuus fatum Stoicum inevitabile & neceſſarium, nefandum illud idolum, quod Deum impio conatu tollit (*gg*), adoleſcentibus commendari a Curtio patietur? Sed prolixiora hæc ſunt, quam quæ pagella capiat. Sufficiat oſtendiſſe dubia; *cur Curtius adoleſcentibus commendandus haud videatur*. Iam tela abrumpenda & colligendæ ſarcinæ. Dubia propoſita ſunt, quæ rite ſoluta libenter mittam. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

(*gg*) vid. IAC. THOMAS. *de exuſt. mundi Stoica diſſ.* 13. *p.* 166. *ſq.* BVDD. *analect. hiſtor. philoſ. p.* 178.

(*hh*) *l. IV. c.* 6. §. 17. *l. V. c.* 11. §. 10. *&c.*

INDEX

INDEX I.
Rerum & Nominum.

A.

ADvocatiarum hiſtoria cur intricata 534.
Advocatia Auguſtana difficile argumentum 534. 535. advocati Auguſtani clero quoque dati 539. tuentur bona eccleſiaſtica 540. jura eorum definita 541. vindicatur advocatia imperio 541. & civitati 542. nunquam oppignoranda 546. ad archiducem Auſtriæ delata 546. electioni Auguſtanæ civitatis permiſſa 547. patritiis Aug. conferri conceſſa 550. catalogus advocatorum Auguſtanorum 551.
Advocatia in campis Lyci civitati Aug. conceſſa 548. lites inde ortæ 549.
Aeon quid ſit in philoſophia Alexandrina 575. 576. 577.
Aër ſedes malis ſpiritibus aſſignata 579. 580. 581. ſpirituum plenus 581.
Aegyptii, eorum philoſophia impoſtura 68. quomodo Pythagoræ præceptores 68. numerorum doctrinam philoſophicam non habuerunt 69.
Alexander M. illuſtre pſeudovirtutis exemplum 37. ſeqq. Scriptores de vita ejus 37. 38. de rebus ad eum pertinentibus 38. 39. ejus pietas erga Deos 40. ſanctitas & continentia animi 41. magnitudo animi 42. fortitudo 42. conſtantia 43. laboris patientia 43. juſtitia 43. 44. pietas erga parentes & præceptores 44. officia erga amicos 44. clementia 45. liberalitas 45. 46. virtutes aliæ 46. diſpoſitio animi ad ambitionem 46. 47. & voluptatem 48. temperamentum cholerico-ſanguineum 48. 49. educatio ambitioni litans 49. exemplis corruptus 50. converſatio vitioſa 50. cum ambitionis & voluptatis miniſtris 50 conſuetudinis in eo vis 50. rerum externarum in mores ejus influxus 51. falſitas virtutum ejus ſingularum 51. 52. inconſtantia 53. vitia ejus virtuti contraria 54. 55.
Amman Gaſpar quis fuerit 302. 303.
Ammaniana familia patricia Aug. Vindel. 304.
Anima an diverſis inclinationibus trahatur antecedenter ad corpus 33. ad intellectualia ducenda 104. ejus pabulum 105. ex Deo 100. 123. ejus vincula venæ 122. duplex in homine 122.

a Deo in cratere commixta 125. fluvii inſtar Heraclito 127. & Stoicis 131. 132. quomodo Peripateticis divina 159. ejus praeexiſtentia in libro Sapientiæ afferta 214. ejus deſcenſus 217.

Anima mundi cur crateri aſſimilata 125. 126. afferta in lib. Sap. 191.

Argentinenſis ſodalitatis membra 306.

Ariſtoteles formavit Alexandrum ad magna quævis ex ambitione ſuſcipienda 49. ejus phil. moralis effectus in Alex. M. 50. an cum Platone conſpiret 129.

Atheiſmus refutatus 275. 277. Stratonis 154. Parmenidis 154. 155. Epicureus in libro Sapientiæ debellatus 201.

Avicenna malus philoſophus 143.

Auguſta Vindelicorum, de bibliorum editionibus merita 304. purioris in ea doctrinæ initia 323. favet libris 447. fovet medicos eruditos 488. 505. amittit incendio chartas publicas 535. 536. vaſtatur 536. libertatis ejus vindiciæ 545. 546. juſtitiæ laude celebris 546. vexata ab advocatis ſuis 547. jura ſua tuetur 549. vindicatur ab epiſcopi & canonicorum inſultibus 549. 550. ejus hiſtoria medii ævi manca & obſcura 291. ejus epiſcopi contendunt cum civitate de juribus 539. 540. 541.

B.

B*Ajerus*, Guil. 269.

Baluzius, Steph. 286.

Baronius Cæſar. 272.

Barbaries ingruens 268.

Beccberus Ioach. 288.

Beckius Matth. Frid. 266.

Bercbtholdus 296.

Bernardus Geyſtenſis 267.

Bibliotheca univerſalis an condi poſſit 259. qua ratione ſuſcipienda 278. 280. ejus uſus 289. Vindobonenſis 271. Auguſtana 453. ejus catalogus mſc. 454.

Bodini Io. colloquium heptaplomeres 275.

Bœclerus Io. Henr. 273. 286.

Boblii Sam. concordantiæ deſiderantur 264.

Brunopolis, quando expugnata 260.

C.

Cabbaliſtæ, ideas ad lumina ſephirotica referunt 135.
Calixtus, Georg 270.
Calvus bibliopola Papienſis Lutheri libros in Italica ſpargit 328.
Carinus Ludov. 384.
Carpzovius Io. Ben. 258.
Caſtalio Seb. 368. injurius in Hier. Wolfium 369.
Celſus an Epicureus 230.
Chriſtus philoſophus 170. quo ſenſu 173. ſignifer 566
Chriſtiani, Elpiſtici num dicti 165. idiotæ & rudes habiti 168. philoſophia quo ſenſu illis tributa 169.
Civitates imperii duplices olim magiſtratus habuerunt 538.
Clerici Veneti 266.
Cleopbæ nomen unde 390.
Codex Iuſtiniani emendatus 588. 589.
Concilia edenda 286.
Colomeſius Paul 279.
Comenius Amos 267.
Conradini privilegium de libertate Auguſtana 542. 543.
Conſtantiæ fata miſera 339.
Converſio Stoica 241.
Corpus animæ carcer 219. impedit animum 221.
Crophius Io. & Io. Bapt. 515.
Crophius Phil. Iac. ejus vita 513. nativitas & educatio 514. ſtudia academica 516. ſub I. A. Schmidio 517. reditus ex academia 519. munus collatum 520. ſcholæ præfectura 522. ratio muneris cum laude geſti 523. virtutes ſcholaſticæ 524. 525. 526. educatio juvenum ſcholaſtica 527. corporis animique imago 528. pietas 529. obitus 530. ſcripta 531. vitæ privatæ rationes 532. 533. elogium 564.
Curtius juvenum imitationi non commendandus 601. laudatus 601. detruſus ad recentiora tempora 602.
Curtius cur hiſtoriam Alex. M. ſcripſerit 602. declamator eſt 603. derogat judicio 604. quibus legendus 605. malus hiſtoricus 606. & ethicus 607.
Cynici veri deſcriptio 242. examinata 254. 255.

D.

David de Auguſta 291. unde ejus memoria haurienda 292. patria Auguſtanus 293. tempus quo vixit 294. ordo ſacer 295. munus & eruditio 296. famæ celebritas 297. mortis tempus 298.

298. ſcripta 298. 299. an myſticus fuerit 301. errores 302.
Dæmones mali a Platonicis agniti 583.
Deus cur ἀνδρόγυνος dictus 89. 98. 138. cur τὸ ὂν 223.
Deſcriptores inepti 261.
Deſiderium infinitum animæ fundamentum naturæ moralis hominis, 20. qui illud admiſerint 20. 21.
Dionyſius Areopagita ſcriptor ſuppoſititius non atheus 141. quo ſenſu duplices ideas ſtatuerit 142.
Doreſchvvanus Io. codd. mſc. ex Aſia procurat 372. 382. 402.
Dorica dialectus cur adhiberi ſolita 82.

E.

Ecchellenſis Abr. notatus 263.
Eclectici quid de ideis ſenſerint unde hauriendum 145. quid de illis tradiderint 229. Chriſtianos imitantur 230.
EI-pro I. quando in inſcriptionibus ponatur 596.
Elementa omnia ſpiritibus plena 582.
Elogiographia commendata 285. 289.
Elpiſtica ſecta explicata 164. indicta pleriſque 167. Heumanni explicatio 167. examinata 168. Elpiſtici in genere qui 178. in ſpecie Stoici 183. cur hoc illis nomen datum 185.
Ephemerides ſacræ Gallorum 284.
Epheſ. II. 1. 2. locus integra diſſ. explicatus 569.
Epheſus philoſophos alit 569. 570. philoſophia Aegyptiaca ibi nota 571. memorabilis commoratione Heracliti 572. & Apollonii Tyanei 572.
Eſſentiæ rerum latent 6. 7.
Ezardus Esdras 266.
Exodiarius, quis 593.

F.

Fabricius Simon 450.
Fagius Paulus 337.
Faſti conſulares emendati 588. 589.
Ferrarius Octavius 267. 268. 269. 274.
Fichettus 278
Florentina mſc. 259.

Fortuna,

Digitized by Google

Fortuna, quid apud Stratonem 158.
Franciſcani, quando pedem Aug. Vind. fixerint 295.
Freinshemius Io. 270.
Fridericus Io. Sax. electoris conſtantia 47. epiſtola *ib.*
Fritſchius Ahasverus 270.
Fuggeri columen eccleſiæ Romanæ apud Auguſtanos 309. Nachtigallum ſibi concionatorem adſciſcunt 309. merita eorum literaria 391. eruditioni litant 393. ſcriptores de iis 393. elogium eorum 394. Marcus Iac. fil. 394. Georgius 394. Raymundus & Antonius 394. 395. Ioannes Iacobus 397. Georgius 397. Philippus Edoardus 398. Marcus 399. Iacobus 399. favent viris doctis 399. quod fecit Iacobus 400. cimeliarchium eorum 401. 402. bibliotheca 403. publici juris facta 405. laudati 405. ſtipendia ab eis data 406. Marcus 408. excitant patronos literarum 409. Vlricus 374 407. Fuggerey 394.

G.

GAulminus 265.
Gaſſerus Ach. Pirminius 5 vita ejus 409. ſeqq. ſcriptores de eo 410. natales 411. juvenilia ſtudia 412. præceptores 413. munus Feldkirchæ 414. Auguſtæ 414. 415. ædes 416. conjugium 416. mores 417. auctoritas 417. amici 418. elogium *ib.* religio & pietas 419. ſtudium emendatæ religionis promovendæ 419. adjuvat centuriatores Magdeburgenſes 420. Flacii partes tuetur 420. in formulam concordiæ iniquus 420. lites alit cum ſenatu Lindavienſi de Flacianiſmo 421. 422. mors 423. epitaphium 423. fama eruditionis 424. judicia de eo 425. ſtudium linguæ Germanicæ 427. annalium Augſtburgenſium hiſtoria 428. occaſio operis 428. pararii & patroni 429. emendantur 430. Hier. Wolfii cenſura 431. 432. X. Betuleji carmen de illis 433. Cyr. Spangenbergii judicium 434. Rhelingero dedicantur 435. & ſenatui 435. editi ex parte, ſed ſuppreſſi 436. editi tandem omnes 437. fides eorum aſſerta 437. exſcripti & male verſi 437. a pontificiis ſcriptoribus deſcripti 441. cur fontes in iis haud allegati 441. habent nonnulla falſa 442. pertinent ad hiſtorias arcanas 441. 442.
Glanvil Ioſeph 282.
Grammaticæ notitia in ſcholis urgenda 343.
Grimmius Sigism. 315 316.
Gundlingius Nic. Hier. 188. 189.
Gymnaſii Norimbergenſis profeſſores 359. Auguſtani hiſtoria deſcripta 531. 532.

H.

Hackſpanius Theod. 260.
Hainzelius Ioan. Bapt. 385. 419.
Hebraicus textus bibliorum reformatus 261.
Heideggerus Io. Henr. 262.
Helvvigius Ioan. ejus obſerv. medicæ 503.
Heniſchius Georg. 272.
Hermannus Ioan. Georg. 462.
Hippocrates, ejus ψυχαὶ an animalcula Lœwenhœckii 129.
Hiſtoria literaria univerſalis quomodo ſcribenda 281. 282.
Hæſchelii David's vita 444. ſeqq. educatio literaria 446. academica 449. an itinera literaria ſuſceperit 449. *ſeq.* præficitur ſcholæ Auguſtanæ 450. fit ejus rector 451. ſuſpectus Calviniſmi 451 obit 452. ejus merita de bibliotheca Auguſt. 452. eſt bibliothecarius 452. inſervit viris doctis 455. ejus merita literaria 456. elogia 457. 474. amici 458. virtutes 459. ſcripta 460. ſeqq. mſc. & inedita 471. 473. ſcribit verſus Græcos 472.
Honeſtum quomodo a juſto differat 26.
Hypotypoſes Melanchthonis v. *Melanchthon.*

I.

Idea, ſupplementum hiſt. doctrinæ de ideis 110. ſeqq. Philonis locus de eis 121. an ideas Plato ab intellectu divino ſeparaverit 121. cum notione conjuncta a Platone 126.
Ieſaiæ XI. 10. locus explicatus 564.
Iejunium philoſophicum 171.
Imago Dei homo 241.
Imitatio Chriſtianorum a gentilibus philoſophis cur ſuſcepta 228.
Inſcriptiones Auguſtanæ 585. ſeqq.
Intelligibile objectum philoſophiæ 208. vid. *Numerus.*
Ioan. XII. 32. locus explicatus 563.
Ioël II. 23. locus explicatus 553. variæ ejus interpretationes 554. 555. promittit doctorem juſtitiæ 555. quod probatur ex contextu 556. 557. ex modo & dicendi ratione ſcriptoris 558. quid juſtitia? 559. ex ordine verborum 559. 560. argumenta in contrarium ſoluta 560. 561.
Ioſephi editiones 187.
Iuſtinianus Fab. 262.
Iynges quid ſint? 111. Chaldæis num tribui queant *ib.* quo ſenſu angelos ſignificaverint 113.

K.

K.

Kircherus, Athanaſius 269.

L.

Labbadius, Ioan. 260. 289.
Labes originalis Stoicis aſſerta 241. ſed tantum ex corpore 253.
Lambecius, Petrus 278.
Launojus, Ioan. 262.
Leibnizius, God. Guil. ſex ejus epiſtolæ 274. ſeqq. refutat atheos 275.
Libertas ad naturam hominis moralem neceſſaria 21.
Lindaviæ ſtudium circa Flacianas opiniones extirpandas 421.
Ludovicus Bavarus 263.
Luſcinius Ottomarus, vid. *Nachtigall.*
Lutherus, Martinus 263.

M.

Mantuani, Ioan. Bapt. opera 266.
Mainutianæ typographiæ fata 329.
Marcunius Maximus 462.
Martius Ier. vita ejus 383. a Fuggeris arti ſalutari deſtinatur 384. deſcribit Zonaram 385. Ingolſtadium abit 385. ſtudia academica 386. itinera literaria 386. 387. munus Auguſtanum 388. amicitia cum Gaſſero 388. mors 388. ſcripta medica 388. Nonus ab eo editus 389. bibliotheca ejus 391.
Medici Auguſtani deſcripti 382.
Melanchthonis hypotypoſes Italicæ, liber omnium rariſſimus 323. Latinarum prima editio rariſſima *ib.* Germanica editio rara 324. Italicæ verſionis titulus 325. fata 326. auctor. 327. editio 328. variatio ſententiæ Melanchthonianæ 330. libellus, an liceat Chriſtiano litigare 330. tempus editarum hypotypoſeon Italicarum 331. fata; crematur 326. auctor 327.
Menaſſe ben Iſraël 270.
Menagius Ægid. 287.
Mens divina fons intellectualium 95. 96. ab anima diſtinguenda 101. emanatio ejus in libro Sapientiæ aſſerta 209.
Methodus ſcholaſtica optima 345.
Meulen, Gerardus von 277.
Montacutius, Richt. 272.
Mortui qui dicti Pythagoricis 572.

Moſchi hiſtoria 504. 505.
Mundi bonitas quo ſenſu in libro Sapientiæ aſſerta 198.
Munſterus, Sebaſt. 428.
Muſæus, Ioannes 261.

N.

Nachtigallus, Ottmarus vir cl. 305. nativitas & ſtudia juvenilia 305. loca ubi docuit 306. puriorem doctrinam cognoſcit 309. ſectæ tamen priſtinæ adhæret 309. vehemens in evangelicos 310. cenſura ſenatus in eum 310. 311. non fuit concionator evangelicus Auguſtanus 311. vita reliqua 311. ingenii dona & mores 311. excellit in linguæ Græcæ ſtudio 312. acerbus & dicax 312. ſcripta 313. pſalterium Latinum 315. Germanicum 315. ſeqq. gratioſus apud Fuggeros 401.
Neceſſitas hypothetica non tollit providentiam 162.
Neſſelius, Daniel 271.
Nihil ex nihilo, univerſale philoſophorum axioma 118. Platonici aliter ſtatuentes fallunt 119.
Nominalium hiſtoria 145.
Nonus, quis fuerit 389. corraſor 390.
Novarinus, Aloyſius 272.
Numeri Pythagoræ explicantur 56. unde numerorum notitia haurienda 57. auctores, qui convenire cum ideis Platonis aſſeruerunt 60. 61. diſſenſus Moshemii 61. reſponſio 61. 62. auctores qui numeros intellectuales & ideas idẽ eſſe judicarunt 65. inepti ad philoſophandum 82. recentiorum de iis nugæ 83. 84. quid de iis dicendum 84. ſunt ideæ rerum 85. & principia rerum 85. ſpiritualium 86. 87. diverſitas unde 87. 88. quid binarius 88. 89. ſignificant intelligibilia 91. 92. diſtinctio 93. unde 94. dignitas eorum 99. ſunt objectum ſapientiæ 100. quomodo inſint animæ 102. ſunt objectum philoſophiæ 104. ſcientifici & mathematici ſymbola intellectualium 105 definitio 114.

O.

Officia erga Deum, ſe ipſum & proximum ſecundum Stoicos 244. 245. 246.
Oratorum ſcopus in rebus publicis Græcorum 9.
Orientalium conſenſus in dogmatibus parvi faciendus 264.

P.

PAllavicinius 272.
Paralipomenων liber Chald. 262.
Patina Carola Cath. ejus epiſtola de morte parentis 508.
Paulus apoſt. reſpicit ad opiniones gentiles 569.
Pharmacopœia Auguſtana oppugnata & defenſa 499. ſeqq.
Philo quid de ideis ſtatuerit 137.
Philologiæ ſtudium præmaturum 266.
Philoſophiæ finis animæ purgatio & ſolutio 102. 103. fata apud Romanos 134.
Pietatis ſtudium Spenerianum 269. 270.
Piſcopia, Helena Cornelia fœmina erudita 265.
Plato veterum ſcrinia expilavit 62. maxime Pythagoræ 63. ideas ſuas ex numeris Pythagoræ tranſumſit 64. ejus itinera literaria ſtudiumque philoſophiæ Pythagoricæ 64. cur obſcurus 114. diſſimulanter præceptorum placita producit 115. corupit Parmenidea 115. ambiguus 116. an ſcepticus 116. 117. interpretationes ejus 117. quid de idea in Deo ſtatuerit 117.
Poëtæ Elpiſtici 173.
Polemo quomodo converſus ad ſapientiam 202.
Porphyrius ſyncretiſmi Platonico - Peripatetici fulcrum 130. non tamen primus auctor 130. ubi de ideis tractaverit 144.
Portæ quid Platonicis ſignificent 121.
Prædeſtinatio abſoluta Melanchthoni aſſerta 333.
Præfectus ſpirituum 183. princeps poteſtatis aëreæ 578. cur ita dictus 579.
Providentia Stoicorum num ſana 147. ſeqq. quo ſenſu eam Strato negaviſſe videatur 159. ſplendide a Stoicis aſſerta 238.
Pſalterii verſio Latina & Germanica Luſcinii 317. ſeqq.
Ptolemæus, Fr. 283.
Pugio fidei, judicium de eo 270.
Pythagoras; ejus philoſophia difficulter explicari poteſt 66. numeros artificiales a Phœnicibus didicit, non philoſophicos 67. an aliquid ſcripſerit 70. 71. 72. occultat ſua 72. illi diſcipuli ſua inſcribunt tanquam auctori 73. loca in contrarium explicata 74. diſcipulorum diſciplina arcani 75. eorum libri quomodo in vulgus editi 76. ea non initiatis vitiati 77. Platonici ſequiores mali ejus interpretes 77. ſymbolice omnia tractat 78. 79. inde obſcurus 79. initiationis gradus conſtituit 80. qui eum acroamatice explicant, non ſatis fidi 80. triplex interpretandi methodus 81. utitur dialecto Dorica 81. convertit res phyſicas in mathematicas 83. ejus ſyſtema phyſiologicum 86. Elpiſticus 178. 179.
Pyrrho ſcepticiſmi univerſalis accuſatus & defenſus 1. vita ejus 4. unde ejus ſcepticiſmus enatus *ib.* ejus dogmata 6. 7. abſolutus ab ea macula 8. 9.

Q.

QVorlius Phil. notatur 273.

R.

RAynaldus notatus 262.
Reiſerus, Anton. 269.
Remus, Georg ICtus theologiæ deditus 475. ejus comm. in libros regum 476. deſcribitur 477. ſeqq.
Romanorum philoſophia qualis 133. 134.
Rudolphus I. vindex libertatis Auguſtanæ 544.
Raelii concilia 256.
Ruſerus Ioannes 305.

S.

SAncti Auguſtani 293.
Sapientiæ liber refertus philoſophumenis Alexandrinis 187. ſeqq. ſcriptum ſuppoſititium 187. male Salomoni vindicatus 188. Græcum auctorem ſapit 189. ſtatuit ſpiritum mundi 191. Platonice commendat ſapientiam 205. attributa Platonica 212. ſeqq. quando ſcriptus videatur 224.
Sapidus Ioannes 412.
Saubertus notatus 265.
Sauſſaus Andreas 279.
Scaliger pater & filius 332. Scaligeranorum oſcitantia 331.
Scepticiſmus univerſalis quo ſenſu negetur de Scepticis, maxime Pyrrhone 2. qua ratione evidentiam ſenſuum admittat 3. an vitam tollat 3. magis de modo rei quam de re aſſenſum ſuſpendit 11. ejus fata apud Romanos 133.
Scheſſerus Ioan. 262.
Schenckius Matthias præter meritum obſcurus 334. ejus nativitas 335. educatio literaria 336. vocatio in patriam 337. fata domeſtica 338. occaſio Auguſtanis eum commendandi 340. vocatio Auguſtana 341. curæ ſcholaſticæ 343. character ingenii animique 344. ejus epiſtola de docendi diſcendi'que ratione 341.
Schenckius Ioannnes 334.
Scherzerus Ioan. Adam. 259. 265.
Schmidius Ioan. Andr. 517.
Scholarum decrementa 266.
Schrottus Ioan. abbas Vlricanus Auguſtæ promotor literarum 307.

Schrœckii Luc. elogium 486. patria 487. parentes 489. dotes animi 489. educatio literaria 490. vita academica 491. præceptores academici 491. diſputationes editæ 492. honores academici 493. itinera literaria 493. munus in patria 495. praxis clinicæ felicitas 496. mores 497. 510. auctoritas inter medicos 497. ſcripta 498. 499. ingenium eclecticum 504. honores 506. 507. præſes academiæ naturæ curioſorum 500. vita privata 510. obitus 511.
Scientiæ, earum dignitas 12. diviſio *ib.* philoſophicæ an tantum ancillæ 13.
Scimpodium, quid 595.
Sectæ unde nomina ſua acceperint 175. 176. Græcæ an Elpiſticæ 177.
Senſus fallunt 6.
Sexus in divinis quid ſignificet 138. 139. 140.
Socrates Elpiſticus quo ſenſu 180.
Sophiſtæ quales philoſophi fuerint 7. quomodo ſe Pyrrho illis oppoſuerit 10.
Sorbona 162.
Species ex corporibus emanantes Stoicis & Peripateticis 132.
Speeth Ioan Petrus 273.
Spes futuræ vitæ Socrati ſolatium 180. fundamentum philoſophiæ Pythagoricæ, Platonicæ, Stoicæ 180. ſeqq.
Spiritus Dei Stoicus in hominibus qualis 351.
Spiritus principatus dicti Platonicis 578. 579. aërii quales 579. 580.
Spizelius Theoph. de re lit. Sinenſium 271. de arcanis bibliothecarum 275.
Steudnerus Eſaias 266.
Stoici quid de ideis ſenſerint 131. quid de providentia 147. fundamenta impia 149. 151. 152. 247. ſeqq. ſubdoli Chriſtianorum imitatores 225. ſyncretiſtæ ſunt 231. ſanctitatis laudem habent 231. hypocriſis ſuſpecti 231. an Chriſtiani 232. formulas loquendi a Chriſtianis mutuantur 232. & dogmata 237. philoſophiam moralem 244. fruſtra excuſati 246. detecta fallax eorum impietas 249. ſeducunt alios 256.
Strazelius Ioannes notatus 369.
Strato Lampſacenus an atheus 155. ſeqq. quomodo excuſari poſſit 159. quid ſtatuiſſe ſit veriſimile 161. ejus libri periere 163.
Suicerus notatus 273.
Syncretiſmus Platonico-Peripateticus antiquior ſchola eclectica 130. qui eum foverint 131.
Syneſius Platonicus magis quam Chriſtianus 140.
Συνεκτικὸν quid philoſophis antiquis ſignificet 65.

T.

T.

Tarſus philoſophos alit 569.
Temperantia quomodo a Græcis philoſophis aſſerta 18.
Tentzicus monachus Franciſcanus 295.
Tranquillitas animi finis Scepticiſmi 6.
Trinitas Stoica 239. peſſima 252.
Trochus quid fuerit 599.
Tubingenſis ſcholæ doctores 361.
Typographeum Sigiſm. Grimmii 316. ad inſigne pinus 455. 456.

V.

Vdalgerus epiſcopus Auguſtæ 272.
Venetiis rari libri Latini 268.
Vexillum, ad quid adhibitum apud veteres 563.
Viennenſis bibliothecæ codd. mſc. 275.
Virtus falſa delineata a nonnullis 13. 14. hiſtoria doctrinæ de virtute 15. 16. 17. quid vox ſignificet 19. vera ex natura hominis morali delineanda 13. 14. veræ fundamentum 21. definitio 22. characteres 23. 24. diviſio 25. falſæ quomodo fallat 25. veræ requiſita interna 26. officia ejus diſtincta 26. honeſtate interna nititur 26. falſa mentitur pietatem 27. ſanctitatem & temperantiam 28. juſtitiam 29. continentiam 29. detegitur ex fundamento 30. ex fontibus 30. ex mixtura vitiorum 31. ex cauſſis moralibus 31. 32. ex corporis diſpoſitione 33. ex rebus externis 34. characteres falſitatis 35. cur alios decipiat 36. ſecundum virtutem vivere quid Stoicis 250.
Vltima hominum a Stoicis conſiderata 243. ſed infeliciter 255.
Vnum & unitas quomodo differant 94. nomina ejus 97. 98.
Vogtsgeding in urbe Aug. Vind. 549.
Voluptas cum temperantia conjuncta 28.
Voſſius Iſaacus notatus 591.

W.

WEislingerus Nicol. iniquus in Gaſſerum 425.
Welſchius, Georg. Hieron 272. 276. quis vitam ejus ſcripſerit 502. 503. ejus obſervationes medicæ 503.
Welſeri, Marci elogium 585. ſupplementa antiqq. Auguſtanarum 585. ſeqq.
Wernerus mechanicus 287.
Wolzoogenius Ludov. 289.

Wolfius

Wolfius Hier. adjuvat Matthiam Schenckium 343. ejus vita ab ipſo conſcripta 351. genus & parentes 356. nativitas 356. 357 aſtrologiæ deditus 352. characteres naturales 357. fratres 355 infantia 358. educatio 358. induſtria juvenilis 360. ſtudia academica 361. aulica 363. reditus in academiam 364. vita privata Norimbergæ 365. magicis artibus impetitus 366. itinera 367. mora Argentorati 368. Baſileæ 368. Lutetiæ 369. adventus Auguſtæ 370. munus apud Fuggeros 371. ephoria Auguſtana 372. ejus difficultates 373. cur lyceum Auguſtanum contemſerit 373. dedicationum munera accipit 374. βιβλιόφιλος 375. ſcripta 375. oblatæ vocationes 376. libri Auguſtæ editi 377. ſcholæ ejus conditio 377. bibliothecam vendit 377. proſcriptus in indice librorum prohibitorum 378. parum commodi ex libris capit. 379. ſcripta reliqua 380. judicium de eo 381. laudatus 381. 448.

Wurſtlinus Leon. calligraphus eximius 307.

Z.

Z*immermannus* Io. Iac. 226. 227.

INDEX II.

Digitized by Google

INDEX II.
Obſervationum.

PARS I.

OBS. I. De Pyrrhone a ſcepticiſmi univerſalis macula abſolvendo. 1.
II. De falſa virtute exemplo Alexandri M. illuſtrata. 12.
III. De convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis. 56.
IV. Supplementa ad hiſtoriam de ideis. 110.
V. De providentia Stoica. 147.
VI. De Stratonis Lampſaceni atheiſmo. 154.
VII. De ſecta Elpiſtica. 164.
VIII. De veſtigiis philoſophiæ Alexandrinæ in libro Sap. 187.
IX. De Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus. 225.

PARS II.

OBS. I. Electa epiſtolica Spizeliana cum mantiſſa epp. Leibnizii. 258.
II. De Davide de Auguſta. 291.

OBS. III.

Digitized by Google

OBS. III. De pſalterio Germ. Ottomari Nachtigalli. 302.
IV. De verſione Italica hypotypoſeon Phil. Melanchthonis. 323.
V. De vita Matthiæ Schenckii. 334.
VI. Synopſis vitæ Hier. Wolfii. 352.
VII. De vita Ieremiæ Martii. 382.
VIII. De meritis gentis Fuggeriadæ in literas. 391.
IX. De vita & ſcriptis Achillis Pirminii Gaſſeri, 409.
X. De vita Davidis Hœſchelii. 444.
XI. De Georgii Remi comm. in libros regum. 474.
XII. Elogium Lucæ Schrœckii. 486.
XIII. De vita Phil. Iac. Crophii. 513.
XIV. De advocatis Auguſtanis. 534.

PARS III.

OBS. I. Explicatio Ioel II. 23. 553.
II. Exegeſis Ioan. XII. 32. 563.
III. Exegeſis Epheſ. II. 1. 2. 569.
IV. Supplementum Antiqq. Auguſtan. Marc. Welſeri. 585.
V. De Curtio juvenum imitationi non commendando. 601.

FINIS.

VA1
1520221

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIV
A
65

116
B.
82.